MATTHIAE NORBERGI

SELECTA

OPUSCULA ACADEMICA.

EDIDIT

JOHANNES NORRMANN.

PARS SECUNDA.

LONDINI GOTHORUM MDCCCXVIII.

LITTERIS BERLINGIANIS.

Tomo hoc continentur Dissertationes:

I.

DE

INGENIO MUHAMMEDIS DISSERTATIO.

§. I.

De vita & moribus, ingenio & operibus Muhammedis, famosi & Orientalis vatis, diversa tradiderunt scriptores, ut quibus studium aut ira fuit. Muslemii, qui illius sacramento suum nomen dederunt, talem eum fuisse affirmant, ut majorem melioremque hominem voto saltim concipere nemini mortalium succurrat. Detur genti hæc fingendi venia, ut Deo simillimus esse deberet, qui Dei vices in terris sustineret. Quem vero supra cæteros homines sapuisse Muhammedani crediderunt, eum mentis vix compotem fuisse Christiani dixerunt.

Neque hæc judicii ſeveritas ſua ratione caret. Qui nim, more Muhammedis, religionem Numinis felicitatemque futuri ſeculi ita compoſuerit, ut illa odium generis humani, atque hæc faſtidium ſui pariat, dementia aut ſcelere abreptus facile judicabitur. De hoc autem viro, qui tam varie extollitur arguiturve, recte ſi exiſtimabitur, æque vitanda eſt amicorum de eo præſumta, atque inimicorum fanatica opinio. Integrum ſit æſtimantium judicium, & ex æquo fiat, ita ut neque inconſultæ laudi ab una, neque malignæ obtrectationi ab altera parte fides adhibeatur. Si enim Muhammed tam ſanctus fuerit, quam a Muſlemiis celebratur, reclamant ſceleratiſſima illius opera; ſi tam ſtultus, quam a Chriſtianis reprehenditur, adverſantur prudentiſſima ejus conſilia; ſi vero, quantum fictis animi virtutibus detrahendum ſit, tantum compertis ingenii dotibus additum fuerit, facta hac temperatione, vero, proprio, tantumque ſui ſimili charactere ille ſignabitur.

§. II.

Si autem urbs Athenarum magna ingenia tulit; nec Mecca adeo eorum ſterilis fuit, ut non

& illuſtria exempla prodiderit. Diverſa quidem fuit, cœli ſolique vis, Græciæ temperata, Arabiæ fervida, quæ in formandis corporibus, ſenſibus eorum & animorum ſatellitibus, diverſa etiam vivendi ratio, Græcorum urbana, Arabum agreſtis, quæ in fingendis ingeniis ingeniorumque operibus plus vel minus momenti habuit; quam tamen naturæ & uſus varietatem forma regiminis vicit, quæ his gentibus eadem fuit, libera, & ſervituti inimica. Si autem poteſtas, quæ hominis & arbitrii eſt, corpora humi abjicit, eaque pigra & vilia inter verbera & onera efficit; illa, quæ legis & rationis eſt, mentem & cogitationem in ſublime rapit, & linguam ac vocem optime exercet. Quicquid enim, ſive animantium ſive herbarum arborumve ſit genus, libere & commode vivit & creſcit, id pulcrius & lætius viget & floreſcit. Ingeniorum vero, quæ Arabum libertas aut licentia genuit aluitque, præſtantiſſimum certe fuit, quo Muhammed eminuit. Nec ſine fide & auctoritate hoc affirmo. Teſtes ſunt res geſtæ, quarum initia, media & extrema hominem maxime memorabilem, etſi injuriis magis quam beneficiis cognitum, digito quaſi demonſtrant. Virtutes autem & vitia in hoc

con-

congruunt, quod in iis excellere ſine magno ingenio aut animo non datur. Et neſcio, annon multo difficilius ſit, mediocritatem in malis ſine reprehenſione, quam in bonis cum laude ſupergredi. Peſſima enim optime agere, falſis veri, turpibus honeſti ſpeciem induere, & acutiſſimis fucum facere, ad hæc ſubtili judicio, & magna prudentia opus eſt. Quis vero in illa arte Muhammedem æquavit vel ſuperavit? Sive receſſus loci, ex quo in medium prodiit, ſive faſtigium honoris, quo adſcendit, ſive magnitudo imperii, cujus fundamenta jecit, ſive amplitudo religionis, qua magnam orbis partem implevit, conſideretur, hæc omnia non opinionem, ſed fidem nobis facient, nihil eo vel in providendo ſollertius, vel in ſuſcipiendo prudentius, vel in conficiendo felicius fuiſſe.

§. III.

Muhammedem naſcentem nullæ res circumſteterunt, quæ talem eum futurum, qualis cognitus eſt, portenderunt. A ſtirpe Coreiſchitarum, familia Arabum vetuſtiſſima & ampliſſima a), generatus,

a) Coreischitæ, quorum fides in tuenda majorum superstitione spectata erat, templi Meccani cu-

tus, imagines titulis magis ſpecioſas quam opibus florentes acceperat. Pater mature fato conceſſit, non majori quam ſervæ Æthiopicæ & quinque camelorum hæreditate relicta. Hæc matri & filio ſola vivendi ſpes, hæc ſola ſubſidia b). Nec felicior educandi cura, quæ inſcienter & negligenter ſuſcepta eſt, & talis fuit, qualis pauperum eſſe ſolet c). Corporis præterea firmitati magis, quam ingenii acumini inſervire, apud Arabes diu inſtitutio pueritiæ, & juventutis honos fuit. Gens enim, quæ ex raptu præcipue vixit, curſu & equo antevertere, fortibus honeſtum, ingenio autem & ſtudio valere, ignavis proprium putavit. Hinc vetus fama eſt, legendi ſcribendique arte Muhammedem eruditum non fuiſſe, & quæ ore protulit, ea omnia ſocios paullatim & amicos litteris prodidiſſe d), quamquam recentior memoria tradit, hoc ſcien-

ram ſibi demandatam habuerunt. Abulfedae vita Muham. p. 6. Hottingeri Hist. Orient. p. 206.

b) Abulf. l. c. p. 2.

c) Hæc stetit primum avi, deinde patrui tutelâ. Elmacini Hist. Saracen. p. 2.

d) In Sura XXXIX. Muhammed argumentum

fcientiæ arcanum non eum præteriiffe e). Tamen quod fortuna detraxerat, id natura cumulate compen-

divinitatis & fidem miraculi Corano ex sua litterarum ignorantia quærit.

e) Narrat Anas ex Elbarao: "Apostolus Dei visitationem sacram indixerat. Sed Meccenses noluerunt ei facultatem concedere Meccam intrandi. Postmodum vero (pace inita) stipulatus est cum illis se per tres dies tantum Meccæ moraturum. Ubi autem ad scribendum diploma accesserunt, scripsere (Muhammedis scribæ): Hæ sunt conditiones, quas nobiscum stipulatus est Muhammed Apostolus Dei. Ibi (Meccenses) dixerunt: Hujusmodi nequaquam ratum habebimus; nos enim (volumus scribi): Muhammed Abdallahi filius. Tunc ad Alin dixit: Deleto istud, Apostolus Dei. At ille, Minime vero, inquit, per Deum! non delebo te in æternum. Mox Apostolus Dei chirographum accepit, & quamvis prorsus scribendi imperitus esset, scripsit: Hæ sunt conditiones, quas stipulatur Muhammed Abdallahi filius: non ingredietur Meccam armatus, nisi tantum accinctus gladio, eoque in vagina recondito: neminem ex ejus civibus secum inde exire compellet, si iste civis in ea remanere voluerit." Et Abulfeda p. 136

penſavit. Magna in eo erat oris vocisque commendatio, formæ pulcritudo, & habitus ac geſtus elegantia f): par ingenii acumen & judicii ſubtilitas: nec minor animi magnitudo, & efficiendi celeritas g). Tam alta indole, ſine cura parentum, in lubrico ætatis ſibi conſtitit, & æqualibus exemplo fuit. Si autem ratio multum potuit, nec parum fuit, quod ſors valuit. Magnam eſſe Arabiæ Petreæ ſterilitatem, argumento eſt ipſum nomen. Aſperi paſſim montes, aut ſabulo & ſole ardentes campi parum loci agro colendo, pecori paſcendo nonnihil relinquunt: ex quo inopia frugum, certaque fames, niſi ad alienam & vicinam Ægypti, Perſidis aut Syriæ ubertatem & copiam adi-

refert: "Cum autem invalesceret ægritudo ejus, dixit: afferte mihi atramentum & chartam, ut scribam vobis librum, quo post obitum meum non erretis in æternum.

f) Abulf. l. c. Marraccii vita & res gestæ a Muhameto.

g) Abulfedæ Annales p. 191: ارجح الناس عقلا وافضلهم رايا "præstabat aliis omnibus intellectus acumine atque consiliis." Et Marraccius l. c. p. 31.

aditus pateret h). Igitur in libera commeandi contrahendique facultate, necessitates vitæ pauperibus, & opes avaris, sicut hodie, ita olim propositæ erant. Quod vero genus vivendi Muhammedis æque ingenio placuit atque ejus consilio profuit. Namque primum, cum ad studia magis hominum quam rerum natus esset, in itineribus, urbibus & pagis secreta pectorum, quam domi & in recessu subtilia litterarum scrutari maluit, ut, quemadmodum medicus ex impulsu sanguinis, ductu spiritus, habituque oris cæcas morborum origines & species discernit, iisque remedia proponit, sic ille ex vultu aut sermone, & corporis motu aut statu, simulato sæpe & composito, abditos animorum sensus cognosceret, & voluntatibus jungendis sua verba & lenocinia accommodaret. Deinde, ut peregrinando prudens, ita commercando callidus fiebat, magno in posterum emolumento. Quam enim fraudandi naturam & consuetudinem libra & ære contraxerat, eandem deinceps in suæ venditatione religionis retinuit & prospere exercuit.

§. IV.

h) Ex ore Abd Allah, Scherifi Meccani, quo linguæ Arabicæ magistro Constantinopoli usus sum.

§. IV.

Summo autem imperio initia & cauffas fatorum poteftas jam ftruebat: & ingenium, quanticunque faftigii capax, crefcens fortuna ftimulabat. Muhammed, dum paupertate, modeftiæ magiftra & cuftode, premebatur, altius, quam quo homini privato licet, adfcendere cupivit tantum; opibus vero & rerum gerendarum nervis auctus, nihil non fperare cœpit. Ampla jam & copiofa mercatura, quamquam quæftuofa, tamen fordida. nec celfo & erecto ingenio digna vivendi ratio videbatur. Gratia viciffim orbis, arbitrium generis humani, adulatio fui ævi, & memoria pofteritatis, hæc animum occuparunt & tenuerunt. Sed confilia fecreto & mora valefcunt. Itaque Muhammed, rem fummi honoris & periculi adgreffurus, in folitudinem, magnæ cogitationi patentem fedem, fe abdidit i): & hoc loco in opaco & antro, procul ab avi-

i) Abulf. Annal. p. 26. وحبب الله الخلوة وكان يجاور في جبل حرا من كل سنة شهرا "Inspiraverat ipsi Deus amorem solitudinis, ita ut quovis anno mensem unum in monte Harra solus exegerit."

avium cantu, hominum congressu, dierum strepitu, aliisque defixi animi turbamentis, per intervalla temporum sejunctus, se ipse in consilium adhibuit, fundamenta condendi imperii jecit, elementa publicandi codicis composuit, & lineamenta gerendi sui vultus descripsit. Anxius tamen animo cuncta utrimque perlustrabat, gratiam & potentiam, si vinceret, offensam & periculum, si victus foret. His vero inter spem & metum jactatis, spes praevaluit: & status orbis, quo corruptior, eo plus fiduciae & roboris addidit. Res in oriente turbatae, in occidente nutantes. Imperium Romanum senecta & infirmitate laborans: vires Persarum ambitione potentium & mobilitate vulgi se ipsae confecerant: & Arabum principes, quo plures, eo pejus in medium consulturi. Ad hanc formam caetera & religiosa erant. Judaeorum pervicax fides, & adversus omnes alios hostile odium: Christiani interpretando sui sacri arcano discordes, sibique invicem occultis odiis aut jactis opprobriis infesti: & Arabes, quamquam antiqui moris & exempli retinentissima gens, tamen quo rudiores, eo ad credendum faciliores. Haec vitia in suam virtutem vertere constituit Muhammed. Cum autem

vi

vi non poſſet, arte ſibi agendum putavit: & quo animos de vera Numinis religione diſſentientes eo facilius ſibi conciliaret, iis, non fidei arcana, quæ ſingulis ſua, ſed rationis præcepta, quæ omnibus eadem erant, providenter initio propoſuit. Sic prima vox fuit, "Deum eſſe unum" k), ſummum & æternum, virtutis auſpicem, & vitiorum vindicem: quæ doctrina, cum non credita, ſed cognita res eſſet, audientes benevolos, attentos & dociles reddidit. Præparatis vero ſic animis, audacius egit, & "Dei legatum" l), cœleſtis veritatis nuntium, & humanæ felicitatis magiſtrum ſe venditavit. Magnum etiam in hoc prudentiæ exemplum. Cum enim ſciret, nova & ignota in rebus humanis pro magnificis, in divinis autem pro impiis haberi; vetera tantum & confeſſa, vitio autem humanæ infirmitatis vel pravitatis corrupta, ſe afferre dictitavit. Sic docuit, peſſima exempla introduci, ut optima opponantur, & religionem, quam unam

k) لا اله الا الله "non est Deus nisi Deus."

l) ومحمد رسول الله "et Muhammed Dei legatus."

unam & veram primis hominibus Deus dederat, paullatim magis magisque addendo, detrahendo mutatam fuisse, ut emendatores nascerentur. Et eum istum honorem partiendo, primum locum Mosi, medium Jesu, & ultimum sibi vindicaret; & praeterea sua sacra ingeniis & cupiditatibus Orientalium accommodaret, aeque singularum Sectarum judicia & opiniones, atque omnium studia & voluntates sibi conciliavit. Arabibus vero, memorando Abrahamum & Ismaëlem, quos suae gentis & religionis conditores colebant, blandiri, nundinis Meccanis interesse, aliis atque aliis tribubus se offerre, animos negotiantium tentare, & imperitos in suas partes trahere, praecipua haec cura erat m).

§. V.

Sed Muhammed non minus vitae quam doctrinae instituto multos decepit. Artificio quoque simu-

m) Abulf. Annal. p. 50 لان رسول الله يعرض نفسه علي القبايل في مواسم الحج ويدعوهم الي الله تعالي "Instituebat Dei legatus aliis atque aliis tribubus se offerre, easque ad Deum vocare, in nundinis, quae religiosae peregrinationis tempore Meccae celebrari solebant."

ſimulationis eruditus id egit, ut, cum maxime fallere vellet, vir optimus eſſe videretur. Non ſatis ei fuit, copia & majeſtate linguæ vernaculæ, imaginum ſplendore, ſententiarum gravitate, divinique afflatus jactatione publice privatimque animos audientium commovere, & incautos quo vellet ducere & impellere. Contemnere opes & honores, pericula offenſæ & mortis, quas tres homines inſtar Deorum colere aut timere ſolent, quo major ſublimitatis eſt gradus, eo ad faciendam ſui admirationem aptior videbatur. Sic loca ſecreta quaſi ad Dei congreſſum petiit: rupesque aut arborum nexus tum tectum erat, cubile humus, & cibus herba aut fructus. Et quoties ex ſuis latebris in hominum conſpectum ſe proripuit, ſacro ſilentio intentum, aut ſermone & congreſſu faciſlimum, licentia joci parciſſimum, in rebus contrahendis aut beneficiis collocandis, non fortunæ, ſed homini amicum n), &

---

n) Abulf. Annal. p. 190 &c. يكثر الذكر
ويقل اللغو دايم البشر مطيل الصمت
لين الجانب سهل الخلق وكان
عنده القريب والبعيد والقوي والضعيف
في الخلق سوا وكان يحب

& præterea victus cultusque ſimplicitate ſingularem o) ſe monſtravit. Et denique cum eo neceſſitatis ventum eſſet, ut aut incepto deſiſteret, aut patria pelleretur, id egit, ut incertæ & periculo-

---

المساكين ولا يحتقر فقيرا لفقره ولا يهاب ملكا لملكه "Intentus memoriæ Dei recolendæ, parum vani sermonis prodidit; semper comis, pertinax taciturnitatis, lenis in consvetudine, & commodis moribus. Cum res æquitatis & juris ageretur, eodem in loco affines & alienos, potentes & infirmos habebat. Amabat pauperes, neque spernebat egenum ob egestatem, neque timebat principem ob circumfusam potestatem.

o) Idem l. c. ويحلب العنز ويجلس علي الارض وكان يخصف النعل ويرقع الثوب ويلبس المخصوف والمرقوع ولم يشبع من خبز الشعير وكان يعصب علي بطنه الحجر من الجوع "Sedebat humi mulgens capellas, laceram vestem ruptosque calceos sarciebat, aut interpolata gestabat; nec pane bordaceo ad satietatem utebatur, sed ventri vacuo lapidem, latrantis stomachi obturaculum, alligabat."

tulosæ fugæ se dare, quam rem divinam deserere maluisse videretur. Hæc autem, quamquam temporis & utilitatis caussa ficta erant, tamen apud imperitam multitudinem, quæ ex specie de magnitudine, ex veste de homine judicat, plurimum potuerunt. Muhammed enim, cum res, quæ in homines propter difficultatem cadere non posse videbantur, vultu & voce, habitu & gestu compositus ageret, cum vitam umbratilem & tædium amœnitati urbis, cum extremas vitæ necessitates commoditatibus ejus & voluptatibus, cum exsilium & ignominiam patriis focis & penatibus, fortunis & facultatibus præoptaret, quo longior a cæteris mortalibus, eo propior Deo, nec cæca fatorum lege natus, sed manifesto & præsente numine electus, qui divina & humana per orbem terrarum jura redderet, credebatur. Adeo quod alii armis & castris, magnis copiis & opibus efficere non potuerunt, id ille fabulæ, artis & imitationis subsidiis, atque simulata vitæ consuetudine consecutus est.

§. VI.

Si autem Muhammed, imperandi ambiguus, humi repsit, ut a lapsu tutus esset, & fraude vulpecu-

peculæ usus est; paullatim, & quando, cum prima prospere cessissent, etiam cætera ita fore arbitrabatur, non obscuris artibus, sed palam hortatu, non consiliis, sed vi egit. Suo argumento cum amplius inservire necesse non esset, ei dominari libuit: novoque sacro fidem generis humani extorquere potius, quam promereri non puduit. Jam non tam curæ erat, ut sua religio ultro amaretur, quam ut necessario agnosceretur. Longa visa sunt eloquentiæ itinera: lenta rationis consilia: difficilis persuadendi labor: & molestum, aliam personam quam suam gerere. Brevior contra per præcipitia via: arduus quidem transitus, sed inter ancipitia homini celerrime inclarescendi proposita occasio: & præterea in suo scelere deprehendi, quam audere periculosius ducebatur. Igitur cum sibi magis quam caussæ confideret Muhammed, non dubitantibus adeundo quemcumque appellandoque se inseruit, sed repugnantibus ferrum & ignem minitabatur. Nec enim minus militare quam civile ei fuit ingenium: & qua decernendi ratione, eadem decertandi fortitudine cognitus est, ita ut non pauciora manu, quam consilio egerit. Quanta autem in eo fuerit scientia rei militaris, quanta virtus, quanta auctoritas, & quan-

quanta felicitas, testes sunt diversa bellorum genera, quæ gessit, numerosæ provinciæ, quas confecit, magnæ victoriæ, quas reportavit, & insignes triumphi, quos egit. Omnesque has virtutes imperatorias collegit, quamquam pueritiam & adolescentiam non bellandi sed negotiandi arte & studio traduxerat. Muhammedis itaque laus hoc in genere tanto major, quod non alienis præceptis, sed suis imperiis parta fuit. Primæ quidem expeditiones latrocinii magis & fortuiti impetus, quam consilii & compositi agminis fuisse videntur; quæ autem secutæ sunt, magnum ducem, omnia scire, omnia exsequi intentum, ostentant p). Tamen non diffitendum est, cum ille exemplum & rector habetur, qui divino spiritu tactus creditur, superstitiosis nec fortitudinem in discrimine deesse. Homines enim non minus opinione famæ, quam certa ratione commoventur.

§. VI.

At difficile est, felicitati temperare. Sic Muhammed alios facilius decepit aut vicit, quam se ipse

p) Abulf. Annal. & Elmaeini Histor. Saracen.

ipſe cohibuit aut correxit; voti enim compos, ſæviit aut laſciviit. Quam atrociter & fœde, etſi ingratum eſt, paucis exponam. Agros refertos in uſum, diteſque dominos, ſi reſiſterent, ad excidium deſtinare, bona eorum rapere & auferre, liberos alibi ſervituros abducere, & conjuges ac ſorores polluere, hæc principatus præmia & facinora. In omne fas & nefas avidus, non ſacro, non profano abſtinebat. Quæ aliis inceſta, ipſi conceſſa, cædes & commiſſationes, cruor & ſcorta, quantumque aut in acerbiſſima captivitate ſcelerum, aut in luxurioſo otio libidinum. Et modus ſicut voluptatis non deſiderio naturali, ita ſævitiæ nec humana ſatietate finiebatur. Hoc exemplum invidioſæ libidinis erit, quod, cum cæteris omnibus nonniſi quatuor filiarum nuptias ambiendi poteſtatem conceſſiſſet, ſibi quaſcumque vellet, nulla conſanguinitatis, vel affinitatis, vel alieni thori ratione habita, ducendi facultatem ſumſerit q): & hoc meditatæ cru-

q) Coran. Sur. XXXIII. v. 47. احللنا لك ازواجك اللاتي اتيت اجورهن وما ملكت يمينك — — — خالصة لك من دون المومنين "Licitas fecimus

crudelitatis, quod sexcentos inter & septingentos Coraidas, cum in ejus arbitrium se dedissent, spatio quamvis iræ dato, interfectos in fossas Medinæ factas conjecerit r). Si quando humanum se præbuerit, haud nihil ambigam, id arti & utilitati plus, an naturæ & virtuti tribuendum sit. Qui enim consilia & facta Muhammedis vere æstimaverit, omnibus aut plerisque originem ex immodica ambitione aut effrenata libidine fuisse facile intelliget. Hæc autem præcipua ejus vitia, quorum uni cum satisfactum esset, alterum in vices suc-ces-

---

tibi uxores tuas, quibus dedisti dotes earum, & quot (ancillas) occupavit dextra tua — — — Hoc est privilegium tibi concessum præter cæteros fideles.

r) Elmacini Hist. Saracen. p. 6. فضربت اعناقهم وكانوا ما بين الستماية والسبع ماية وجعلوا في خنادق حفرت لهم بسوق المدينة واقسمت نسوانهم واولادهم واموالهم بين المسلمين "Decollati sunt inter sexcentos & septingentos, & positi sunt in fossis in foro Medinæ factis: & partiti inter se sunt Muslemii uxores eorum, liberos & facultates.

cessit. Tamen quoad privatus, & quamvis ea esset ætate, qua cupiditates animo maxime dominantur, egregius vita & fama ferebatur. Virtutes tum finxit, ut earum præmia obtineret. Rei autem divinæ humanæque arbitrium adeptus, suum ingenium sequebatur, & licentiam ex fortuna usurpans, in omnia vitia & dedecora sine metu & pudore erupit. Profecto non alius plus favoris & nominis bonis artibus paravit, quam hic per malas habuit.

II.

DE

DRUZIIS, LIBANI INCOLIS

DISSERTATIO.

§. I.

Gesta factaque Druziorum, qui moribus & sacris parum cogniti Libanum incolunt, clari scriptores

res memorarunt. Tamen non pigebit, quæ compertiora habeo, nec alii item præcepere, & me ipſum compoſuiſſe. Equidem ſcio, in tanta auctorum turba meam famam in obſcuro futuram eſſe; tamen, ſi quid certius in his rebus, quod propius cognoſcendi occaſio & cupido tulit, ſcripſerim, rudi & inconditæ voci veniam ſperare auſim. Res eſt magnæ varietatis, quippe quæ plurimum habeat & antiquitatis & novitatis, & præterea manifeſtum erit hominis exemplum in utramque partem. Videbimus enim gentem, genere barbaram, religione turpem, & vitiis ac virtutibus miſtam & compoſitam. Videbimus parentem illius & conditorem malis artibus ambitioſum, ſimulatione cœleſtis afflatus eruditum, & nefarii ſacramenti inſtituto famoſum. Videbimus tyrannum aut hominem publice nocentem per templa & ſacerdotes inſtar numinis coli, ejusque ſimulacrum jam in ſecreto poni, jam palam in cæcam pietatem collocari. Videbimus, ea eſſe ſacra, quæ aliis profana, ea conceſſa, quæ cæteris inceſta, non piis tantum, ſed impiis etiam deteſtanda; & tamen, inter ſcelera, bona ad virtutem exempla. Qua vero in rerum copia & cognitione illud ſalubre erit, expreſſam barbaræ gen-

gentis imaginem nos intueri, ut inde, quod imitatione dignum ſit, capiamus, quod autem turpe dictu factuque inhoneſtum, vitemus.

§. II.

De originibus Druziorum, re obſcura, multi multa, pro ſuo quisque ingenio, ſpecioſius vel ambitioſius ſcripſerunt: quæ tamen levibus magis conjecturis diverſa, quam veris teſtimoniis probata, nec affirmare, nec niſi breviter refellere animus eſt. In his vero error eſt, non culpa, niſi dixeris, quæ occaſio & fortuna dabit, tutius omitti, quam ingenio tentari. Atqui inſitum adeo eſt omnibus nova noſcendi ſtudium, ut quæ officio ſequi deberent, cogitatione antevertere velint, inconſulto feſtinantes, ubi cunctatione magis, quam facto opus eſt. Detur autem hoc curioſitati humanæ, ut in rebus dubiis & in incertum implicatis, audere & agere liceat. Tantoque magis hoc æquum, quanto manifeſtius compertum eſt, falſæ opinionis exemplo in rectæ curam & laudem ſubinde agi mortales. Prudenter itaque egerint novi ſcriptores, ſi de majorum ſcriptis bene cogitent; hi enim & aliquando ſeneſcent, judicium poſteritatis ſubituri.

Quan-

Quantumvis enim didicerimus, multa latebunt, vel quærentem fallent: quæ autem tempore & die pateſcent, magno divinæ providentiæ documento, ut ſingulis ætatibus ſua eſſent & decora & indecora. Sic ſi minus comprobanda, tamen excuſanda erunt ſtudia eorum & opera, qui ſedem, nomen & perſonam parenti Druziorum quærentes, in diverſa & abrupta tendunt, amore veri, amore ſui. Sunt, qui, nimia antiquitatis æſtimatione, origines hujus gentis ad eos Druzios, quos memorat Herodotus a), referant, immemores, quæ ore & voce ſimilia ſunt, non ſemper genere & loco cognata eſſe. Quidam affirmant, fortiſſimum virum, nomine Dreux notum, & Gallorum, qui poſt Hieroſolymæ cladem in Palæſtinæ montibus hæſerunt, celebratum ducem, auctorem gentis & vocabuli fuiſſe: cui vero ſententiæ omnem fidem & auctoritatem demit Benjamin Tudelenſis, qui multis ante illum caſum annis Druzios non modo in eorum rupibus adiit, ſed etiam deſcripſit b).

§. III.

---

a) Herodot. lib. 1.

b) Benjamin Tudelensis ed. Lugd. Bat. 1633. p. 34. Verba Germani Conti, de quo infra dicemus, afferre lubet: الدروز هم من

§. III.

His autem omissis, quæ ignorantia vel ambitio finxit, a certis verisque petam initium. Lubet a viro, cui nomen Muhammed ben Ismail, cognomen

---

طايفة قديمة يقولوا الفرنسوية ان
اصلهم من فرنسة بما ان موجود اسم
دروز في فرنسة ولكن هذا ما هو حقيق
لان حسب طواريخ العرب هم اولاد
الشرق وقدما جدا ومن قديم انوجدوا
في جبال سورية حاربين عند النصاري
ومحتميين عندهم اما بعد ما
تباينت طايفة الموارنة حكموا
بلاد الدروز وكسروان ولبنان

"Druzii sunt antiquissimæ originis: quam tamen Galli e sua regione repetunt, nomine Deruz apud eos obvio. Hæc autem sententia vera non est. Annales enim Arabum si spectes, Druzii orientalis sunt stirpis, & summæ vetustatis. Multum est temporis, ex quo in montibus Syriæ degentes, & patrocinio Christianorum tuti, illis opem in bello tulerunt. Ex quo autem momento secta Maronitarum oriebatur, tractibus Deruz, Kefrevàn & Libani imperitarunt."

men Druzi, auspicari: in quem ut in hujus populi conditorem consentiunt Orientales Scriptores, & Muhammedanæ & Chistianæ fidei, quod magnum erit veritatis argumentum c). Hic homo,

 pra-

c) Ut autem scias, quantum fidei his auctoribus debeatur, personas eorum & opera nominatim & breviter memorabo. Principem sibi locum vindicat Jusef ben Tagri, vectigali Damasceno & Aleppino circa a Heg. 840. præfectus (Herbelot Bibl. Orient. p. 497), qui historiam Ægypti pari cura & ingenio composuit. Præcipua hujus operis nondum editi, quod propter magnitudinem in tria volumina dividi solet, Cl. Præses domi forisque excerpsit, nec publico invidebit. Hunc excipit Gregorius Elmacin, religione Christianus, tamen propter suas virtutes secreti in Ægypto concilii tabellio, qui historiam Muhammedani imperii, a Cl. Erpenio publicatam, diligenter contexuit. Sequitur Germanus Conti, Maronita Libanensis, & Antiocheni Patriarchæ vicarius, quo dicente, Cl. Præses, cum multa alia memoratu digna, tum & hæc, quæ ad regimen, victum cultumque Druziorum pertinent, Constantinopoli memoriæ prodidit. Accedunt duo alia opera, quæ rebus hujus gentis, sacris, pro-

pravus aut industrius, eadem vi, ut tempora poscebant, in Ægyptum, imperante Hakem, circa annum Hegiræ 408 venit, fatis ad meliorem fortunam quam famam ducentibus d). Quantoque obse-

---

fahis, lucem portendunt. Alterum est Borgianum Museum Cuficum, raritate curiosissimi libri & Druziensis simulacri imagine pretiosum, quod Cl. Adler, Professor Hafniensis, excerptis Itali manuscripti, rem Druziorum divinam & humanam continentis, præclare auxit & explicavit. Alterum est hujus populi Catechismus, libellus Arabice scriptus; quem in Bibliotheca Acad. Gœtting. transscribendi sollicitudo fuit Cl. Præsidi, publicandi autem & aliunde explicandi occasio Cl. Professori Jenensi Eichhorn contigit (Repert. II. Th.). Hæc est parata audenti materia, varia, proba: delectus & forma scriptoris erit cura & difficultas.

d) Elmacin p. 264: في سنة ثمان واربع مايع ورد الي مصر داع عجمي محمد ابن اسمعيل وتلقب بالدرزي "Anno 408 venit in Ægyptum precator barbarus, nomine Muhammed ibn Ismail; cognomine Druzi.

obsequiis promtior, tanto facilius honores assequebatur, tantoque plus in ipsis honoribus audebat. Ipsum Sultanum suis artibus devinxit adeo, ut crudelem adversus alios, sibi proximum & conjunctissimum efficeret. Palam compositus pudor, sed intus summa imperitandi libido, verustissimum malum. Nec obscuro & humili officio defuit favor & honos, servitutis pretium. Sumitur in conscientiam secretorum, belli & pacis regimen, legum curam, & æquitatis temperationem; ita ut vocabulum imperii & majestas apud principem, vis vero & arbitrium penes ipsum esset e). Tantamque gratiam & potentiam, ut obvio ministerio paravit, ita fœda adulatione auxit. Scilicet ut ambitiosi im-

---

e) Jusef ben Tagri: حاكم قربه وفوض الامور اليه وبلغ منه اعلي المراتب كتب الوزرا والقواد والعلما كانوا اتفقوا علي بابه ولا ينقضي لهم شغل الا علي يده ."Hakem eum sibi proximum habuit, rebusque imperii illi traditis, in altissimo honoris gradu collocavit, ita ut libelli gubernatorum, ducum jurisque consultorum ad illius judicium deferrentur, nec quicquam sine ejus consilio decerneretur.

imperatoris studia plus quam humano more illigaret, humani generis contemtu docuit, Sultanum Hakem esse Deum mundique conditorem: quam doctrinam hic etiam princeps dissimulatione aut tacita ope fovebat f). Nec defuere, qui fiducia affir-

---

f) Elmacin l. c. فدعي الناس ان يعتقدوا في الحاكم انه الاه الذي صنع العوالم واعلن هذه الدعوة واشهرها ولم ينكر الحاكم عليه بل احسن اليه "Auctor erat populo, ut crederet, Hakemum esse Deum, qui mundum creasset: quam hæresin manifestavit & vulgavit. Nec eum aversabatur Hakem, sed bene tractavit." Talem fuisse hujus viri doctrinam, hodierna Druziorum fides & sacer eorum codex satis superque evincunt. Tamen Jusef ben Tagri refert: رجل بمصر يعرف بالدرزي قدم مصر وكان من الباطنية القايلين بالتناسخ فاجتمع الحاكم وساعده علي دعا الربوبية وصنف له كتابا فيه ان روح ادم انتقلت الي علي بن ابي طالب وان روح علي انتقلت الي الحاكم "Homo Ægyptius, Druzi appel-

affirmantis, & credendi facilitate, infame hoc numen amplecterentur g). Cæteri, quibus plus judicii

latus, & opinioni metempsychosin profitentium addictus, Mizram venit, & Hakemum, potestate conveniendi facta, votis & precationibus adversus Turcas juvit. Quin & librum composuit, argumento, spiritum Adami in Ali ben Abi Taleb, hujus autem animum in Hakem transmigrasse." Hæc diversa inter se facile conciliaveris, si credideris, novæ religionis repertorem initiis caute, mox audacius egisse, ita ut suo imperatori primum nonnisi sanctitatem, paullatim vero divinitatem affinxerit. Nec abnuerim, quod ut spiritu divino tactum proposuit Druzi, id successu temporis in ipsius divinitatis fidem auctum & acceptum fuisse.

g) Elmacin p. 260 وكان خلق من الجهال والرعاع يعتقدون في الحاكم الالهية فكانوا اذا راوه صاحوا يا الاهنا يا محيي يا مميت ويقال انه قال لداعيه كم في جريدتك قال ستة عشر الفا يعتقدون انك الاه "Insipientes quidam & plebeji divinitatem Hakemo tribuerunt, eumque videntes clama-

dicii & minus fidei .erat, miraculo novæ rei attoniti ſteterunt, ſine tumultu, ſine quiete, quamdiu non ultra ſecreta colloquia peccatum erat. Nihil præter fremitum & minas tentatum. Cum autem hic inſtinctor, nec adſpectu templorum, nec populi timore commotus, ſuggeſtu aut in modum concionis ſua verba in patriæ pietatis fraudem jacere cœpiſſet, ſollicitudo in vim & ſeditionem ſpectabat. Invidia in dominum, ira in clientem. Tumultuoſe autem deliberantibus juſtum eſt viſum, inde repeti, unde damnati cauſſa erroris erat. Templum tamen a memoria, & forum a veſtigiis tanti ſceleris expiari non poſſe credebatur, niſi illius auctore in divinæ & humanæ iræ piaculum dedito. Tumultus ortus, per tres dies multorumque Druziorum cædes continuus & atrox. Imperator vero ſegnis & pavidus, cum nec compeſcere ruentes, nec retinere dubios poſſet, amato ſuo miniſtro id conſilii dedit, ut ulteriora & tuta periculoſis & præſentibus anteferret, remotiora Sy-

runt: Deus noster, qui vitam das & adimis: Traditur quoque, eum suo precatori dixisse: quot habes in catalogo tuo? & hunc respondisse: sedecim millia credunt, te esse Deum."

Syriæ peteret, & in ejus latebris supplicationem suo nomini procuraret. Ultro etiam oblatum fuit, & ex occulto datum viaticum. Quo manifestius autem periculum, eo promtius obsequium. Sed vindicem sequentium iram præcipiti fuga elusit Druzi, & in Syriæ provinciam Baniàs delatus, illius terræ incolas in suas partes trahere studuit, lenocinio verborum item pretium addens. Ut autem eo facilius audientium animos sibi conciliaret, præcipua propensionis humanæ vitia pro virtutibus interpretans, usum vini, stupri licentiam, hominesque diversæ religionis manifestos spoliandi libertatem concessit. Atque his voluptatis & libidinis irritamentis effecit, ut, quod facinus unus ausus erat, plures vellent, & omnes paterentur h).

§. IV.

---

h) Jusef ben Tagri: وكان قصد الحاكم الانقياد الى الدرزي فيطيعوه فاظهر الدرزي الكتاب الذي فعله وقراه بجامع القاهرة فثار الناس عليه وقصدوا قتله فهرب منهم وانكر الحاكم امره خوفا من الرعية وبعث اليه في السر مالا وقال اخرج الي الشام وانشر الدعوة في الجبال فخرج الي

§. IV.

Cum ſic ſatis ſuo nomini infamiæ, ſatis credulæ genti erroris quæſiiſſet, merito periit, ſed incerta morte. Fama eſt, eum ex natura exſtinctum

---

الشـــام ونزل بـوادي تمر غربي دمشق
من اغمـال بـانياس فيقرا الـكتاب
علـي اهـله واستمالهم الـي الحاكم
واعطاهم المال وقرر الدرزي في نفوسهم
التناسخ واباح لهم شرب الخمر والزنا
واخذ مـال من خالقهم في عقايدهم

"Druzi summam imperii ab Hakem adeptus, & obvio omnium obſequio gaudens, librum, quem compoſuerat, in medium attulit, & in templo Cahiræ recitavit. Cum autem populus, hoc facto in iram actus, voluntatem cædis ſuſcepiſſet, fugam capeſſivit, & ipſius principis, qui metu vulgi conſcientiam facinoris pernegabat, occulta ope, datoque conſilio, ut Syriam peteret, & in ejus montibus ſupplicationem ſibi longe lateque procuraret, in hanc regionem contendit, & in valle Namr provinciæ Baniâs, quæ Damaſco in occidentem ſpectat, conſedit. Huc delatus, publice recitato ſuo libro, incolas in partes Hakemi duxit,

tum esse i). Alia est opinio, hunc hominem, curru imperatoris sublimem, vulgato sui sacramenti arcano, tumultuque ideo orto, a quodam Turca, audaci & promto, obtruncatum fuisse, ejusque domum direptam: qui vero percussor deinceps, struente crimen & dolum principe, in vincula ductus & supplicio affectus dicitur k). Utcumque

datoque pretio, iis metempsychosin persuasit, vinum bibendi, stuprum faciendi, hominesque suæ religioni adversantes spoliandi libertate concessa."

i) Jusef ben Tagri: وأقام عندهم
يبيح لهم المحظورات الي ان انتهي
وفاته يطول في هذا امر طرق عديدة
"Pergit periculosa iis (incolis Syriæ) permittendo, donec in his rebus diu & varie versatus, vitam finivit."

k) Elmacin p. 264. "Turca quidam, facto impetu, illum curru Hakemi vectum interfecit. Direpta fuit domus, & tumultus populi ortus, quo per tres dies intra clausas Cahiræ portas continuo magna Druziorum multitudo cæsa est. Percussorem deinceps prehendit Hakem, quem, composito crimine, in vincula duxit & occidit."

que hæc æstimata erunt, haud in magno ponam discrimine. Certum est, etsi persona erat erepta, tamen superstitem rem fuisse, magnam nascenti nec dum satis adultæ hæresi materiam. Brevi tempore alius barbarus, nomine Hamza ben Ahmed, cognomento Elhadi, turbidum ingenium, in medium prodiit, par fraude, nec inferior temeritate: qui prope Cahiram consedit, & crebras conciones in cœptæ religionis honorem & robur habuit, velut palam ea evinceret, quibus arcani cœtus dehonestabantur 1). Et quidem, ut vetustescenti malo latius consuleretur, per Ægypti & Syriæ pagos, urbes & gentes constituit doctores, in

1) Elmacin p. 265: وظهر بعد ذلك الدرزي داع اخر عجمي يسمي حمزة بن احمد ويلقب بالهادي ونزل بظاهر القاهرة في الموضع المعروف بمسجد تبر ودعي الناس الي مقالة الدرزي "Post Druzi prodiit unus quidam barbarus, nomine Hamza ben Ahmed, cognomine Elhadi: qui prope Cahiram loco Masged bir dicto commoratus, homines in opinionem Druzi vocavit."

in morem transgressos. Hi vero magistri non legem modo Muhammedani jejunii & peregrinationis Meccanæ necessitatem, blandiente voluptate & inertia, sustulerunt, sed conjunctissimæ etiam mulieris nuptias genti in libidinem projectæ permiserunt. Quæ autem omnia, contra fas & jus composita & vulgata, diverso affectu ab iis accipiebantur, quibus studium virtutis inerat, & quibus licentiæ desiderium m). Augescebat tamen indies numerus credentium, qui spe & præmio ducti, in partes transibant, prono in eos favore Sultani, privatim hortantis, publice juvantis. Hic enim princeps, ut infirmis & malis animum & cæteris ac integris exemplum adderet, non modo antistitem Elhadi ejusque socios benigne agnovit & requisivit, sed etiam a festivis avitæ pietatis officiis in novæ re-

li-

---

m) Idem l. c. "Constituit multos doctores, eosque collocavit Misræ, & in ejus ditione, item in Syriis: ubi omnimodam prædicarunt licentiam, ducere sorores, filias & matres permiserunt, & studia pietatis, jejunium, preces & peregrinationem Meccanam sustulerunt. Auscultabat eis magna vis hominum."

ligionis robur & decus abſtinuit n). Sic orta eſt exitiabilis Druziorum ſuperſtitio: quæ in Ægypto nata, conventu incolarum aucta, & contactu exterorum per Vadi Namr, Tyrum, Sidonem, montem Beryti, regionesque Syriæ contiguas propagata, ad noſtra usque tempora in Libano viget, inſita mortalibus natura, propere ſequi, quæ diſcernere tædet o).

§. V.

---

n) Idem l. c. "Elhadi curæ fuit Hakemo, percunctanti, quot asseclas sibi paraverat. Hic princeps abstinuit ab iis quæ sui erant muneris, precibus, concione in templis, diebus veneris & mense Ramadan, & utroque festo habendis. Omisit etiam per multos annos peregrinationem Meccanam, & illius loco Thaaleb Arabum petiit. Nec consuetudini, qua tapetum ad Caabam Jamanicam mittendum erat, satisfecit."

o) Idem l. c. وظهر مذهب الدرزية واشتهر بين الانام واكثرهم بوادي النمر وصور وصيدا وجبل بيروت وما جاورها من بلاد الشام "Ita cæpit secta Druziorum; & celebris facta est inter mortales; maxime vero in Vadi Namr, Tyri, Sidone, & in monte Beryti vicinisque Syriæ locis."

§. V.

Vultum jam imperatoris Hakem, cui Druzii religionem numinis tribuunt, cognoſcere lubet: quem vero etiam pretio æſtimaveris, ſi ſubmiſſum, contractum, benignum, ſævum dixeris. Hic enim vir, nec Deo, cui ſe æquavit, nec hominibus, quibus ſe exemit, tolerabilis, inter bona malaque mixtus fuit, magisque cum horrore, quam cum amore nobis dicendus. Numquam ingenium ad res diverſiſſimas, humanitatem & ſuperbiam, frugalitatem & luxuriam, fortitudinem & timorem, habilius fuit. Quá vero virtutum & vitiorum indole rem præcipiebat, mox eam vetuit, pari induſtria, obſequium pro crimine interpretans. Litterasque amans, ſapientes coluit occiditve. Sic & Chriſtianos, Judæos Muhammedanam ſuſcipere religionem coëgit, eorumque templa ſpoliavit vel diruit: mutata autem deinde per animi mobilitatem ſententia, ejuratæ eos pietatis pœnitere, proſtrataque ſacra reficere permiſit p). Tamen ut intelligeret, quid populus diceret, age-

p) Elmacin p. 260. Et Jusef ben Tagri:
ولا يبقي في ولايته ديرا ولا كنيسة الا
وهدمها بعد مدة امر ببنايا ماكان

ageret, vel ipſe vicos urbis oberravit, vel vetulas, avidum novi genus, ad hanc curam ſubornavit, mala conſcientia ſuſpicax & pavidus q). Diſcriminata vero orientis ſolis cœlique veſpraſcentis tempora per triſtitiam ingenii in faſtidio habens, die noctuque jam ad lumina ſedit, jam in tenebris verſabatur. Nec in cultu pari ſtetit faſtigio. Jam magnificus ſumtuoſus & par principibus, jam parcus, antiquus & communis

---

أمر بي ـ بعة "Nec fuit in illius civitate cænobium aut templum Christianum, quod non diruit. Quodam autem temporis spatio interjecto, quicquid demoliendum præceperat, refici jussit."

q) Elmacin p. 259. Jusef ben Tagri: كان الحاكم يواصل الركوب ليلا ونهارا ويتصدى له الناس على طبقاتهم فيقف عليهم ويسمع منهم ومن اراد قضا حاجته في وقته "Hakem diu noctuque per omnes partes obequitare non intermisit: quo tempore supplices voces hominum, qui in suis tabulatis se ei obtulerunt, sistens auscultando excepit, & de iis, pro arbitrio, sententiam extemplo tulit."

nis infimis, veſtes exquiſitas geſſit, vel humili & laneo pallio diſtinguebatur r). Tamen, quamvis flagitiorum manifeſtus, nimiam aliquando pietatem affectabat. Quomodo &, ut occaſiones & illecebras peccandi ſuſtuliſſe videretur, non ſolum canes, beſtias fide Muhammedana immundas, hominibusque contactu periculoſas, paſſim interfici, ſed etiam vineas, peſtiferi liquoris ſpes & ſubſidia, funditus deleri juſſit, ingenti copia vel vini in flumen effuſa, vel dactylorum in ignem conjecta s). Quin etiam mulieribus, palam in foris aut coram in tectis conſpici, voce præconis inter-

r) Jusef ben Tagri: اقام يلبس الصوف سبع سنين واقام سنتين يجلس في الشمع ليلا ونهارا ثم بدا له ان يجلس في الظلمة فجلس فيها مدة "Veste lanea per ſeptem annos utebatur: ſpatio bienni dies noctesque ad lumina ſedebat: initium deinde factum in tenebris degendi, quæ vitæ ratio aliquamdiu placuit."

s) Jusef ben Tagri: امر بقتل الكلاب في مملكته وبيع الفقاع ثم نهي عنه ونهي من السمك ورفع الكوس عن البلاد ومنع من صلاة التراويح عشر سنين ثم

terdixit; verecundia vero, an invidia ductus, parum compertum. Cui autem legi necessitatem parendi addidit, usu calceamentorum iis non permisso r). Vultuque in reverentiam suæ, ludibrium vero alienæ religionis composito, legem tulit, ut Christiani crucem pondere quinque librarum & longitudine unius ulnæ, collo suspensum dedecus, Judæi autem, præter lignum pari onere, cidarim quoque nigri coloris,

---

اباحها وقطع الكروم ومنع من بيع
العنب واراق خمسة الف جرة من
عسل في البحر خوفا من ان يعمل
نبيذ ونهي عن بيع الرطب ثم
جمع منه شيا عظيما فاحرق الكل

"Canes sui regni interfici jussit: potum ex uvis passis paratum vendendi veniam dedit, sustulit: usum piscis & arcus in suo imperio prohibuit: preces vespertinas per decem annos removit, deinde permisit: vineis destructis, & mercimonio uvarum prohibito, quinque mille hydrias mellis in mare effudit, metu, ne vinum inde conficeretur: commercia quoque dactylorum vetuit, quorum ingentem copiam congessit & incendit."

t) **Elmacin** p. 259, cui congruit **Jusef ben Tagri.**

coloris, trifte capitis infigne, geftarent, & a Mufulmannorum perfonis & rebus, hominum confuetudine & afinorum ufu, ubique locorum abftinerent u). In multa etiam alia vel fimulatæ pietatis, vel, dum fuo utebatur ingenio, manifeftæ fævitiæ genera erupit: quæ v ro non perfequar, ut cætera, quæ ad propofitum pertineant, explicem.

---

u) Jusef ben Tagri: وامر النصاري
بان يحمل في اعناقهم الصلبان وان
يكون طول الصليب ذراعا وزنته خمس
ارطال واما اليهود ان يحملوا في
اعناقهم قرامي الخشب في زنة الصلبان
ايضا وان يلبسوا العمايم السود وان لا
يستخدموا غلاما مسلما ولا يركبوا حمار
مسلم ولا يدخلوا مع المسلمين حماما
"Id officii injunxit, ut Christiani crucem longitudine unius ulnæ & pondere quinque librarum collo portarent, Judæi autem non solum lignum pari pondere et collo suspensum, sed etiam nigras cidares gestarent, nec Musulmannorum aut juvene in ministerium aut asino in equitationem, aut societate ad lavacrum uterentur."

§. VI.

Postquam Hakem, sic per licita & illicita fœdatus, nihil flagitii reliquerat, quo corruptior in sanguinem, bona & conscientiam sæviret, populus odia in eum suscepit: quæ diu recondidit, ad ultimum aucta promsit. Primum litteras, quibus mala tyranno precabatur, tecte & oblique ad eum perferendas curavit. Deinde, ira ex occultis opprobriis in apertam contumeliam erumpente, chartacea mulieris statua, calceis & cingulo instructa, in via ponebatur: quæ libellum, diris exsecrationibus plenum, manu ostentabat. Hakem vero forte transiens, viso hoc simulacro, mulieris esse personam arbitrabatur; propius tamen accedens, inanem comperit imaginem, lectoque codicillo, ludibrium cognovit v). Hinc ingens ira, & vindictæ cupido, quæ quo magis tegebatur, eo infensius exarsit. Jussum est incenium, missis ad hoc servis, militibus & ducibus, inhumani facti instrumentis. Tectisque Cahiræ subjectus est ignis, qui extemplo proxima quæque, & deinceps continua am-

v) Elmacin p. 259, cui convenit Jusef ben Tagri.

amplexus, tota se passim dissipavit urbe, & materia validus, atque vento citus, remedia opemque humanam anteivit x). Ad hæc autem mala, quanto inopina, tanto majora, orta est trepidatio civium,

---

x) Jusef ben Tagri: عاد في وقته الى القاهرة ونزل في قصره واستدعي القواد والعرفا وامرهم بالمسير الى مصر وضربها بالنار ونهبها وقتل من ظفروا من اهلها ووجه اليها العبيد والروم والمغاربة جميع العساكر وعلم اهل مصر بذلك فاجتمعوا وقاتلوا عن نفوسهم واوقعوا النار في اطراف البلد فاستمر الحرب ثلاثة ايام Hakem ludibrio chartaceæ imaginis in furorem actus, "extemplo Cahiram contendit, & cum palatium adiisset, convocatis præfectis & ducibus præcepit, ut Misram peterent, eaque incensa & direpta, quicquid incolarum victum fuerit, interficerent. Ad hoc mittebantur etiam servi, Græci, peregrini, omnisque exercitus. Quo intellecto, Misrienses coierunt, manumque cum iis, qui ignem per omnes civitatis partes disseminabant, in sui tutamen conseruerunt. Hoc certamen per tres dies mansit." Cfr. Elmacin p. 259.

tum, qui pro se quisque inermes, ut quibus nihil hostile suspectum erat, cum sibi, cum aliis consulerent, in infestum agmen inciderunt, & quid sequendum, quid fugiendum, ambigui, complebant vias, vel per agros sternebantur. Sed qui defendere audebant, ii minis aut armis restinguere prohibentium, vel palam faces jacientium, territi sunt aut cæsi. Hakem vicissim, ut fœdo spectaculo sublimior interesset, montem conscendit, & fortunis civium inter cædem & clamorem flagrantibus, dolorem vultu simulavit, gaudium animo condidit, Trojanum quasi excidium, ad Neronis exemplum, canens y). Populus itaque exturbatus & profugus, pari consilii & virium inopiâ, ipsum mali suasorem & auctorem infimis tandem precibus pla-

y) Jusef ben Tagri: الحاكم يطلع الي الجبل ويشاهد النار ويسمع الصياح ويسال عن ذلك فيقال له العبيد يحرقون مصر وينهبوها فيظهر التوجع.

"Hakem montem conscendit, & viso igne ac clamore audito, quid esset, sciscitabatur. Dato responso, Misram per servos incendi & diripi, dolorem simulavit.

placare certatim studuit. In questus, lacrimas & vota effusus, finem incendio rogavit, quæ domi cara, quæ foris decora, conjuges & liberos, urbem & civitatem memorando z). Secuta autem sunt responsa, verbis speciosa, re inania. Hakem, qui iram dissimulando alebat, conscientiam nefarii facti tegens, illius auctoribus pœnam quidem in publico constituit; iis autem ad nova scelera animum & robur occulta ope & voce addidit a). Cum vero populus, infructuosis precibus & desperatis rebus, Cahiræ & servitutis sedi ferrum flammamque minitaretur, Hakem tempori & periculo cedens, conscenso raptim asino, in mediam certantium turbam se proripuit, datoque signo vindicis suæ iræ ministros ab igne & cæde avertit b). Finis-

z) Elmacin & Jusef ben Tagri nihil hic differunt.

a) Jusef ben Tagri: ارسل الي العبيد يقول كونوا علي امركم وحمل اليهم سلاحا "Servis non modo hortando subjecit, ut suo negotio intenti essent, sed etiam arma misit." Cfr. Elmacin l. c.

b) Jusef ben Tagri: ركب حماره وجال بين الصفين واومي للعبيد بالانصراف

nisque incendii initium fuit miseris raptas & violatas uxores filiasque pretio redimendi: quarum vero nonnullæ, hostilis metu libidinis, mortem sibi consciverant c).

§. VII.

Cum vero Hakem, Deum hominesque per vices spernens & colens, falsis virtutibus & redituris vitiis, magnum sui odium & metum fecisset, germana soror, nomine Sett Elmeluk nota & consilio promta, partem esse virtutis duxit, generis humani salutem unius pœna emere. Plusque rationi, quam naturæ, plus communi securitati, quam summæ necessitudini tribuens, tyrannum & fratrem, populo invisum, sibi suspectum, occidendi consilium iniit. Tanto autem discrimini caute & per obliqua occurrendum esse rata, personam, tempus & locum insidiis circumspectavit: quibus struendis maxime idoneum putavit Arabem Sejf-im-

---

فانصرفوا "Conscendit asinum, & utrique aciei obequitans, servis signa recedendi nutu dedit: quo facto, hi pedem retulerunt."

c) Elmacin l. c., cui auctoritatem iisdem fere verbis addit Jusef ben Tagri.

Eldaula ben Devàs, hominem callidum & prudentem, qui crebras Sultani ad cænam invitationes secessu campestri, & periculosum illius occursum rapido equo semper vitaverat d). Hunc igitur virum, silentio & obscuro noctis, occulto habitu pe-

---

d) Jusef ben Tagrit. سيف الدولة بن دواس من شيوخ الكتابة وكان شديد الحذر من الحاكم ومتنعا من دخول قصره ولقي به الا علي ظهر فرسه واستدعاه مرة الي قصره فامتنع قال ان كنت تريد في سوا فلمن تقتلني في داري بين اهلي وولدي يكفنوني ان تقتلني في قصرك وتطرحني ياكل الكلاب لحمي

"Sejf Eldaula ben Devàs, scriba auctoritate gravissimus, insidias Hakemi ita cavebat, ut nec ejus aulam adierit, nec illi nisi vectus equo occurrerit. Semel, cum ad palatium invitatus, ire nollet, Sultano dixit: si quid mali in animo habes, facile tibi erit, me in mea interficere domo, ubi cognati cum meo filio justa funeri solvent; si autem me in tua regia occideris, corporis mei foras projecti carnem canibus edendam dabis.

petiit, suaque secreta in hunc ferme sensum vulgavit: "Meo principi, meo fratri, puder, dolet dicere, exitium molior: sed urget necessitas. Nihil in eo veri, nihil sancti: se in pari cum Deo fastigio collocat, legesque sacras & profanas violat e). Agri populatione vastantur: tecta incendio delentur: tumultuantur cives, patres: ego in summo fastigio & periculo. Audivit paventium clamorem: adscendentem flammam e longinquo adspexit: ipse quietus & ut rebus prosperis gaudens mansit. Satis diu & ferociter sævitum: tempori medicina est adhibenda. Licet aliena malefacta proprio facinore delere: quod non alter te melius

e) Jusef ben Tagri: توجهت السيدة ليلا في دارة متنكرة ولم تصحب سوا احد وقالت له نحن على خطر عظيم وقد انضاف ذلك بادعاية الالهية وهتكه ناموس الشريعة وناموس ابايه

"Cum noctu profecta, occulto habitu, & uno tantum socio, ad domum illius (Sejf Eldaulæ) pervenisset, dixit: nos in ingenti versamur periculo, in quod nos adduxit, Deum se vocando, & arcana juris tum divini tum patrii violando" &c.

us suscipiet, aut facilius efficiet. Adsit ad audendum animus: cætera in promtu erunt. Mittas duos servos, juramento & pretio obstrictos: qui non minus pro sua fide quam nostra salute solliciti, tyrannum ex improviso opprimant. Filius in opes paternas succedet, & illius vices tu sustinebis, quod nobis utile, tibi honorificum erit." Sejf Eldaula sic in conscientiam & vim facinoris adscitus, terram osculo contigit, & fidem ac pericula promisit. Nec obsequio defuit occasio. Ingruit nox festiva, qua Sultanus ingenti hominum frequentia stipatus, diem natalem huc & illuc equitando ageret. Magnaque non modo spes, sed etiam fiducia in his lætis & incautis ponebatur. Missi vero sunt duo servi, fortes & fideles, qui cumulum, tegendis insidiis natum, & principi pro more invisendum, præoccuparent. Sultano tamen ad hunc cursum se paranti hæsitationem fecit triste cœli prodigium, futuri præsagium. Accessitque vox matris, quæ sollicitudinem filii interpretando accendens, moram illius proposito attulit. Tandem animo anxius, & quomodo sibi & tempori pareret, nesciius Hakem, cum imminens exitium somno unius horæ distulisset, in memora-

 tum

tum locum celeri asino vectus properavit, inspectante sorore. Huc vero delatum & turbæ immistum insidiatores repente exorti jumento detraxerunt, & capite præciso, privatum visceribus & velamine opertum ad Sejf Eldaula tulerunt. Quo facto, soror truncum corpus, quod avidis oculis lustraverat, occulta sepultura contexit, composito auctoque rumore, principem longinqua petiisse, nec ante quam septem post diebus rediturum f). Hunc exi-

f) Idem: قال لوالدته في هذه الليلة ظهر في السما من طلوع نجم وقد هلكت مع اختي قالت دع ركوبك الليلة وقال افعل وضجر الحاكم من تاخره عن الركوب وقالت امه نم ساعة فنام ثم انتبه وقال ان لم اركب الليلة خرجت روحي ثم قام فركب حماره واخته تراعي ما يكون من امره ثم سار في الجبل فسار الى الشعب الذي جرت عادته بدخوله وقد كمن العبدان وقد قرب الصباح فوثبا عليه وطرحاه الى الارض فاصاح ما تريدا فقطعا بدنه من راس كتفيه وشقا جوفه واخرجا ما فيه وافاه في كيسا وحملا الحاكم

exitum habuit Hakem, cui post vitam infamem templa & cærimonias Druzii dicarunt. Sed fides divinæ originis, divinitatisque post obitum credi-tæ,

---

الى ابن دواس بعد ان غرقا الحمار
فحمله ابن دواس مع العبدين
الى اخته فدفنته وكتمت امره *

Hakem natalem celebraturus, "dixit suæ matri: hac nocte mihi in cœlo apparuit stella, futuri per sororem interitus præsaga. Matris consilio, ut illa nocte equitationem differret, paruit quidem, magno autem moræ tædio. Et illa suadente, ut somnum unius saltem horæ caperet, huic quieti se dedit: qua autem excitatus, testatus est, nisi suetum cursum obiret, animum se depositurum. Quocirca asinum conscendit, & sorore in eventum rei diligenter erecta, ad montem (Mukattem) contendit, ubi turbæ hominum pro more se miscuit. Duo autem illi servi, qui in insidiis considebant, nocte in primam lucem præcipite, illum adgressi, in terram deturbarunt, & clamanti, quid velitis, cervices præciderunt. Ventre deinceps fisso, & extractis visceribus, eum sacco involverunt, & asino demerso, ad Iben Devas tulerunt: qui cadaver una cum servis ad sororem duxit. Hæc autem illi occultum funus fecit."

tæ, locum fabulæ & miraculo dedit, eum non insidiis interfectum esse, (scilicet Deus mori non potuit) sed vi cœlesti vel magica arte conspectui hominum ablatum fuisse, & in canali subterraneo absconditum g).

§. VIII.

Mireris vel misereris, humanum ingenium adeo leve & inconstans esse, ut nihil tam turpe dictu factuve inhonestum fingi possit, quod non temere vel credule amplecti velit. Exemplo nobis erunt iidem Druzii, quos hominem loco numinis habere dicerem, nisi inhumana illius personæ libido hoc verbum sustulisset. Nam Hakemum, ut ante dictum est h), Ægypti imperatorem, Dei contemtu hominumque tædio cognitum, religiose colunt. Non satis illis fuit, huic Tyranno, cum in conscientiam, bona & sanguinem civium sæviret, ut Domino, ut Principi adulari, & cognomen Optimi & Maximi addere: non satis, eum post fata astris inferre, & per templa & flamines colere. Ille, quem sinister avium volatus imperaturum nuntiavit, & quem omne

g) Museum Cuficum p. 143.
h) Vide §. 5. seqq.

ne fas & nefas imperantem dehonestavit, ille inquam non Deo per fœdum adulationis crimen æquatur, sed ipse Deus per incredibilem superstitionis persvasionem habetur, solus & verus, sine comite, sine socio. Quodcumque mente & opere divinum est, totum hoc, quod universa & singula continet, ei ut auctori & conservatori tribuitur. A principio, ut credentium est error, omnia suo consilio fecit & constituit, & in infinitum tempus suo nutu regit & movet: ubique præsens & præpotens, cœlum & tempestates mutat, fulmina & nimbos gubernat, hominumque vitæ consulit & providet i). Sed paulo altius repetendum videtur, quo modo & ordine Hakem terrarum orbem condidisse creditur. Qualis nunc est post multa annorum millia telluris facies, talis etiam nuper illius conditæ fuisse statuitur, omnibus rebus, animantibus & inanimantibus, non paucis, sed plurimis cujusque speciei & generis, ornata. Sic Hakem non unum virum unamque mulierem, totius humani generis parentes, sed innumerabiles personas utriusque sexus, & quidem omnis ætatis & conditionis, masculos, feminas, infantes, juvenes, senes,

---

i) Cathech. I Qu. 2 & 36.

nes, uno eodemque temporis momento creavit, suisque locis collocavit k). Tamen quidam ordo in animorum creatione statuitur. Primum omnium creatus dicitur ille, quem accepit Hamsa, Princeps Angelorum & Doctor mortalium. Secuti sunt una vice omnes reliqui, quot humano generi destinati erant, per sæcula & ætates nec augendi nec minuendi, sed singuli ex uno corpore in alterum transituri l). Quod vero ad Angelos attinet, iis imperatum erat, ut ad nutum Hamsæ omnes se componerent. At Eblis, qui jubendi po-

k) Museum Cuficum p. 139: لاهوت
الباري المعبود احتجب في ناسوت
مولانا الحاكم وانه لما اراد ان يخلق
هذا العالم الموجود فخلقه مثلما نري
في هذا اليوم من ذكر وانثي وشيوخ
وشبان وصغار وكبار واطفال الوف وربوات

"Divina natura sub humana latebat specie Hakemi, Domini nostri pie colendi: qui, cum hunc mundum creare vellet, eum talem, qualem nunc videmus, condidit, masculos, fœminas, senes, juvenes, parvos, magnos, infantes, millia eorum & myriades.

l) Cathech. I qu. 34.

potestate apud Hakem eminebat, hanc parendi necessitatem æquo animo non tulit. Magnaque & periculosa, quam tuta & præsentia maluit, & seditiosa consilia, Hamsæ inimica, Deo invisa, suscepit. Quæ autem ambitio eum cum omnibus suis *sociis* in abruptum traxit, & extra limen beatissimæ sedis præcipitem egit m).

§. IX.

Hakem vero, ut sui nominis honori & humani generis saluti consuleret, obsequio Angelorum & voce in promulgandis per orbem divinitatis suæ arcanis usus memoratur: quorum, ut nomine Gabrielis in cœlo, ita dignitate Messiæ in terra princeps fuisse Hamsa perhibetur n). Hic autem spiritus cœlestis, ab omni admistione corporum liber & purus, ut a mortalibus sine periculo videri & cum fructu audiri posset, os habitumque humanum assumsit, personam & munus veri Messiæ in orbe terrestri gesturus o). Nec hujus demandati sibi officii titulum in desidiam

vers

m) Catheeh. I. qu. 81.
n) Cathech. I. qu. 82. II. qu. 41
o) Cathech. II. qu. 5.

vertit, ſed per ſeptem vices cœlo delapſus, in terris egit, in id intentus, ut homines noſceret, noſceretur illis, & integros præceptis, improbos exemplis ad cultum Hakemi accenderet & hortaretur. Scilicet, quoties hæreſiarchæ, novarum rerum cupidi, & peſtiferarum opinionum ſvaſores & auctores, qui numero ſeptem & uno eodemque ſpiritu acti dicuntur p), in medium & veræ pietatis fraudem prodierunt, toties Hamſa obviam iis ivit, malis artibus moram turbidisque vocibus ſilentium facturus q). Quantumcumque vero ſapiens, quantumcumque bene cupiens erat, tamen cum Iſa, ſperantibus infidus & credentibus fallax Meſſias, ſua oracula & vaticinia, vulgi turbamenta, longe lateque diſſeminare cœpiſſet, hic judicio & invidia anxius, lugubri & nigra veſte in magni doloris ſignum indutus, & tarde gradiente aſino velut in funebrem pompam vectus, gentes & urbes obivit r). Sed etſi Chriſtianæ origine rei minime lætus erat, tamen eam non impedivit, callido conſilio, ut

p) Adam, Noach, Abraham, Moses, Isa, Muhammed & Said. Mus. Cuf. p. 141.
q) Cathech. I. qu. 80.
r) Cathech. II. qu. 6. 7.

ut robore illius & flore obstinatam & prævalentem Judaici populi superstitionem compelceret & frangeret s). Pari modo, cum Christianam religionem nimis plus, quam satis tutum esset Druziorum opinioni, crescere videret, vim illius & impetum permissu Muhammedanæ temperavit & coërcuit. Sed non satis habuit Hakem, per *Angelos*, suæ divinitatis interpretes, & humanæ salutis *consiliatores*, nationes adsciscere, animosque audientium sibi conciliare. Ut horum consilia vocesque plus auctoritatis haberent, ipse cœlum, suæ majestatis sedem, reliquit, & in adspectum mortalium se proripuit, specie autem humana, parentem suum G e j s c h S e l i m a n i venditans t). Occulto hoc habitu, sed sub diversis nominibus, per plures vices, quarum prima fuit an. Heg. 408, suæ divinitatis fidem consanguineis, fiduciam sociis, terrorem inimicis fecit u). Cæterum quicquid in terris consilio & opere majus quam humanum visum fuerit, ei tribuitur. Sic & Pyramides aliaque Æ-

s) C a t h e c h. II. qu. 8. 36. 37.

t) C a t h e c h. I. qu. 6. 60.

u) C a t h e c h. I. qu. 22. 23. —

Ægypti monumenta, quæ diu hominibus miraculo fuerunt, hic condidiſſe creditur v).

§. X.

Tale vero numen non ſufficit Druziis, ſolo animo unum credere, optimum amare, & maximum colere. Ut religioſe petiti & propitii reſponſi domicilia quoque habeantur, nec deſunt templa, quibus Chalvat (خلوة) nomen, ab arcano vel ſecreto Arabice petitum vocabulum x). Et quidem ut ſuperſtitioni plurimum ſit loci, hæc delubra non ſunt pauca, in modum cœnobii condita, ambiente alto muro & tanquam ad bellum parato. Pleraque in montibus vel collibus poſita ſunt, in ſpeciem, vel perſvaſione, quo propius cœlo factum fuerit ſacrum, eo exorabilius fore numen. Nihil vero in iis apparatus, ad ſuperſtitionis ſuſpicionem compoſiti. Altaria, ſimulacra, ſigna, lumina, triclinia fruſtra ibi quæres: terret ipſa ſolitudo & inanis receſſus. Profana in univerſum eſt ſpecies, nec

v) Cathech. I. qu. 63.

x) "Repertorium für Biblische und Morgenländische Litteratur. XII. Theil. Von der Religion der Drusen" p. 121.

nec ab ea, quæ in singulis est ædibus, differt, tapete pavimentum ornante, lectoque cubiculari parietes circumeunte y). Sed in fundo latet res, honos Dei & populi pietas. Penetrali enim & armario sacratum est Hakemi simulacrum, artificis ingenii aureatum opus: cui autem non forma hominis, quam pulcherrimam putarunt sapientes, sed vituli tributa est z), exemplo credam majorum, &

---

y) Germanus Conti: في جبل الدروز مقدار ثلاثين خلوات والخلوة كمثل الديورة محوطة دايرها بالحيطان العالية وفيها ما يضعوا صوار ولا شمعة ولا كرسي بل حصر علي الارض وفرشتهم

"In Monte Druziorum circiter triginta reperiuntur sacella, quæ singula speciem cænobii referunt, muro alto undique cincta. In iis vero neque imagines, neque lumina, neque sedilia videntur: pavimentum nonnisi tapete lectoque cubiculari ornatum est."

z) Idem: هذا العجل موضع داخل خزانة مسكرة ما يفتحوها الا وقت عبادتهم فقط وهو معمول من ذهب وفي كل خلوة فيش واحد صنم وكبيرة مقدار كلب كبير

& imitamento Ægyptiorum, qui sanctum suum bovem & Apin coluerunt. Majestatem loco sanctitas quoque facit aditus, qui nonnisi constanti ætati patet, nec sine diserimine sexus. Limine enim arcentur viri, nisi quadraginta, & mulieres, tanquam arcani minus celans genus, nisi quinquaginta annos expleverint a). Quos vero ætas sic separavit & institutio præterea agnovit ingenuos, eos omnes quolibet die Veneris in his sacellis cultui Divino interesse oportet b). Cærimoniæ autem inter bona & mala mixtæ. Præeunt vota & preces,

"Hic vitulus, qui in armario clauso, nec nisi diebus festis aperiendo, conditus servatur, ex auro factus est. Et quidem suum cuique sacello est ejusmodi simulacrum, majoris canis, magnitudine."

a) Idem: الرجل يصير عمره اربعين سنة والامراة يصير عمرها خمسين سنة قبل مسموح لهم يدخلوا الخلوة "Vir habeat quadraginta, femina vero quinquaginta annos, antequam aditus templi ei pateat."

b) "Repert. für Biblische und Morgenländische Litteratur. XII Theil. Von der Religion der Drusen". p. 152.

tes, quibus Hakemi vel ira placatur, vel beneficentia provocatur. Sequitur concio, coram congregato cœtu in pietatem & virtutem habenda, & ex sacris populi litteris petenda, quarum duo volumina; alterum manu Hamsæ & ex ore Hakemi conscriptum, & nemini nisi iis, qui antistites religionis sunt, videndum vel legendum c); alterum, quod argumenta & arcana Unitariorum inscribitur d), incerto auctore compositum: utrumque Druziensis sacri satis amplum argumentum, exteris vero hucusque ignotum e). Palam quoque collocatur Hakemi imago, quam adire, intueri & venerari mos est & religio. Quod autem non fit semper, nec coram omnibus, ne ex frequenti & promiscuo simulacri conspectu minor ipsius Dei reverentia existat. In his vero sacris sedibus, non dicam castis & innocentibus locis, versantur Druzii, procul a negotiis & curis, ab aliorum sermone & usu, quasi hac solitudine fœdæ suæ pietatis arcanum abscondere veliat. Sed nihilominus notum

---

c) "Museum Cuficum p. 138."

d) كتاب المشاهد والاسرار المتوحدية

e) Cathech. I. qu. 37. 39.

tum eſt, ibi humana divinis miſceri, & inter pocula & epulas, orbes & voces voluptatis, ſacra peragi f). Neſcio autem, quo humanæ ſortis fato fiat, ut omnis fere religio, quantumcunque abſurda & præpinguis, homines tamen fanaticos ferat: qui ex judicii imbecillitate, vel animi quadam intemperie abrepti, præcipuum ſanctitatis ardorem ſibi vindicant. Sic ſunt etiam Druzii, qui luxuriante per nimiæ pietatis ambitionem imaginatione, ſeorſim in ſacellis agant, & in his ſecretis inter famem & vigilias, ſuſpiria & preces palleſcant. Tamen umbratili huic vitæ non repugnat, diebus feſtis in confluentis populi conſpectum & communis pietatis ſocietatem prodire.

§. XI.

---

f) Germ. Conti: في خلواتهم ياكلوا ويشربوا ويركضوا ولكن ما يظهر علي احد وما يتكلموا احدا ولا يقبلوا احد يدخل عليهم وما احد يقدر يعرف حقيقة ديانتهم „In suis sacellis edere, bibere & saltare, nefas non habent: tamen nemini potestatem sui conſpectus, sermonis vel usus faciunt, ita ut, quæ vera sit eorum religionis ratio, difficillime quis cognoverit."

§. XI.

Quantacunque vero ſit Druziis perſvaſio ſuperſtitionis, tamen eorum ſunt plurimi, qui, ſpretis & patriis & exteris ſacris ac cærimoniis, omnes gentium religiones per jocum aſſimilent catenis, in obſcuro pendentibus; quas, ut dicunt, ſectæ quælibet & nationes manu tenent, ſingulis ſuam eſſe veram & auream ambitioſe clamantibus, omnibusque fidem ſibi & audientiam ſuperſtitioſe poſtulantibus g). Sed ne ſocietas generis humani, Dei metus, fides jurisjurandi, & cura juſtitiæ tollantur, domi forisque ſua & peregrina numina in ſpeciem colunt. Unum eſſe Deum intelligunt, & ſummum illum & optimum, neque mutabilem neque interiturum, credunt; qua autem pietate & cærimonia, qui-

---

g) Idem: يشبهوا اديان الدنيا الي جنازير في مكان عاتم واصحاب الملل هم ماسكين هولاي الجنازير وكل واحد يقول جنزيري هو الذهب وما يعرف ما في يده

"Comparant religiones mundi catenis, in obſcuro loco pendentibus: quas ſectæ omnes tenent, & ſingulæ ſuam esse auream clamitant, quamvis, quid in manu ſit, ignorent."

quibus verbis & sacrificiis colendus sit, neque animo humano cognitum, neque consilio Divino patefactum esse, contendunt. h). Quocirca ut os hominum & facies locorum, ita hujus religio gentis mutatur. Artificio autem simulandi dissimulandique eruditi, in quacunque civitate versantur, id agunt, ut ad illius non minus sacra, quam profana instituta suum gestum habitumque componant. Sic religiones sibi contrarias composito vultu profitentur, earumque auctores ut Deos vel Divinos venerantur: quod faciunt, non ex conscientia vel animi mobilitate, sed propter metum alieni imperii, ita ut pro tempore & loco, jam Muhammedana, jam Christiana templa lacrimis & poenitentiæ signis, vel laudibus & gratiarum concentu impleant, & funera jam lugubri voce, jam intento

---

h) Idem: ما يعتقدوا في دين من الاديان ويسلكوا مع كل ملل ورايهم ان الله ما ظهر الي احد الديانة الصحيحة التي هي واحدة فقط

Nulli religioni fidem adhibent, sed omnes sectas pariter sequuntur, ea persvasione, veram numinis religionem, quæ non nisi una est, nemini divinitus patefactam esse.

tento silentio prosequantur i). Adeo humanis ingeniis parata est simulatio. Hi autem Druzii, qui Gehál (جهال i. e. Ignorantes) appellantur, ut credendi, ita vivendi ratione a cæteris, qui Akál (عقال i. e. Intelligentes) vocantur, maxime differunt. Quæ his ex lege Hakemi turpia, *illis* ex jure naturæ honesta sunt. Nulla iis cibi & potionis religiosa discrimina: nec exteræ *nuptiæ* iis interdictæ. Quorum vero nec parvam nec obscuram esse turbam, putes; majori enim & meliori parti nomen Gehál datum est, nec hujus tituli ipsum Principem pudet, qui damnato suæ gentis errore liber, fortunis civium potius, quam eorum judiciis imperitare cupit k).

§. XII.

Sed ad illos Druzios, qui nomine Akál superbiunt, & religione Hakemi insaniunt, revertamur. Hi, ut diversitate noscantur, speciosam vitæ morumque sanctitatem ostentant. Victu cultu-

i) Catheeh. I. qu. 29. C. II. qu. 23.

k) Repert. für Morgenl. und Bibliseh. Litteratur XII Theil, Von der Religion der Drusen. p. 109 & 110.

que simplices, sine apparatu frigus & calorem arcent, & sine blandimentis famem sitimque expellunt, ne veste & comitatu magnifici, vel vino ciboque repleti, officia pietatis tumide vel pigre obeant l). Et ut propria, sincera, tantumque sui similis gens sit, alienis nec matrimoniis nec hospitiis miscentur. Tamen cum ad libidinem sit propensio & animus, adulteria committere, modo id fiat occulte, nefas non habetur m). Magnusque est sacerdotii honos, religionis firmamentum. Et ne desit illius caput, summus eligitur Pontifex, nomine Imam venerandus: cui suam in re divina fidem utraque secta, Akál veram, Gehál simulatam, sacro dato osculo, quo ejus manus contingunt, pollicentur n). Nec minus cautelæ in amplificanda, quam industriæ in tuenda hujus sectæ ratione, adhibetur: cujus nomine & honore homines non teneræ & rudis, sed adultæ & constantis ætatis digni censentur. Præceptum est officii, conditione summi supplicii, divini & humani, iis datum, secreta

l) Lib. cit. p. 110.
m) Cathech. II. qu. 26.
n) Liber cit. von der Religion der Drusen p. 116.

creta ſuæ religionis non minus diligentiſſime cuſtodire, quam ſanctiſſime ea colere o). Nec de ingeniis, ad hujus factionis ſecreta ducendis, ſine experimento judicatur. Examen enim vitæ & cognitionis inſtituitur: quo probato, alba veſtis, ordinis inſigne, induitur, & fides hoc initiationis ſacramento obſtringitur: Confido Hakemo, Unico & Soli Deo, æterno, incomparabili & immenſo p),. Quo effato veluti quodam teſtamento in numerum Unitariorum (المتوحدين vocabulum ex religione unius numinis petitum) quisque hujus nominis candidatus adoptatur. Qui tali modo in Druziorum vere credentium ſocietatem recepti ſunt, aliquam quaſi teſſeram habent, qua per datas redditasque voces ſe invicem cognoſcant. Si quem ignotum fors obtulerit, quæſito, num in tua patria ſementem faciunt agricolæ Myrobalanæ Citrinæ, & reſponſo, ſane fit in cordibus fidelium, iterumque verbis de Hakemo ejusque miniſtris ultro

---

o) Lib. cit. p. 154.

p) Lib. cit. p. 154. توكلت على مولانا الحاكم الاحد الفرد الصمد المنزه من الازواج والعدد

vertit, sed per septem vices cœlo delapsus, in terris egit, in id intentus, ut homines nosceret, nosceretur illis, & integros præceptis, improbos exemplis ad cultum Hakemi accenderet & hortaretur. Scilicet, quoties hæresiarchæ, novarum rerum cupidi, & pestiferarum opinionum suasores & auctores, qui numero septem & uno eodemque spiritu acti dicuntur p), in medium & veræ pietatis fraudem prodierunt, toties Hamsa obviam iis ivit, malis artibus moram turbidisque vocibus silentium facturus q). Quantumcumque vero sapiens, quantumcumque bene cupiens erat, tamen cum Isa, sperantibus infidus & credentibus fallax Messias, sua oracula & vaticinia, vulgi turbamenta, longe lateque disseminare cœpisset, hic judicio & invidia anxius, lugubri & nigra veste in magni doloris signum indutus, & tarde gradiente asino velut in funebrem pompam vectus, gentes & urbes obivit r). Sed etsi Christianæ origine rei minime lætus erat, tamen eam non impedivit, callido consilio, ut

p) Adam, Noach, Abraham, Moses, Isa, Muhammed & Said. Mus. Cuf. p. 141.
q) Cathech. I. qu. 80.
r) Cathech. II. qu. 6. 7.

ut robore illius & flore obstinatam & prævalentem Judaici populi superstitionem compesceret & frangeret s). Pari modo, cum Christianam religionem nimis plus, quam satis tutum esset Druziorum opinioni, crescere videret, vim illius & impetum permissu Muhammedanæ temperavit & coërcuit. Sed non satis habuit Hakem, per *Angelos, suæ divinitatis interpretes, & humanæ salutis consiliatores*, nationes adsciscere, animosque audientium sibi conciliare. Ut horum consilia vocesque plus auctoritatis haberent, ipse cœlum, suæ majestatis sedem, reliquit, & in adspectum mortalium se proripuit, specie autem humana, parentem suum Gejsch Selimani venditans t). Occulto hoc habitu, sed sub diversis nominibus, per plures vices, quarum prima fuit an. Heg. 408, suæ divinitatis fidem consanguineis, fiduciam sociis, terrorem inimicis fecit u). Cæterum quicquid in terris consilio & opere majus quam humanum visum fuerit, ei tribuitur. Sic & Pyramides aliaque

s) Cathech. II. qu. 8. 36. 37.
t) Cathech. I. qu. 6. 60.
u) Cathech. I. qu. 22. 23. —

Ægypti monumenta, quæ diu hominibus miraculo fuerunt, hic condidisse creditur v).

§. X.

Tale vero numen non sufficit Druziis, solo animo unum credere, optimum amare, & maximum colere. Ut religiose petiti & propitii responsi domicilia quoque habeantur, nec desunt templa, quibus Chalvat (خلوة) nomen, ab arcano vel secreto Arabice petitum vocabulum x). Et quidem ut superstitioni plurimum sit loci, hæc delubra non sunt pauca, in modum cœnobii condita, ambiente alto muro & tanquam ad bellum parato. Pleraque in montibus vel collibus posita sunt, in speciem, vel persvasione, quo propius cœlo factum fuerit sacrum, eo exorabilius fore numen. Nihil vero in iis apparatus, ad superstitionis suspicionem compositi. Altaria, simulacra, signa, lumina, triclinia frustra ibi quæres: terret ipsa solitudo & inanis recessus. Profana in universum est species, nec

v) Cathech. I. qu. 63.

x) "Repertorium für Biblische und Morgenländische Litteratur. XII. Theil. Von der Religion der Drusen" p. [illegible]

nec ab ea, quæ in ſingulis eſt ædibus, differt, tapete pavimentum ornante, lectoque cubiculari parietes circumeunte y). Sed in fundo latet res, honos Dei & populi pietas. Penetrali enim & armario ſacratum eſt Hakemi ſimulacrum, artificis ingenii aureatum opus: cui autem non forma hominis, quam pulcherrimam putarunt ſapientes, ſed vituli tributa eſt z), exemplo credam majorum, &

---

y) Germanus, Conti: في جبل الدروز مقدار ثلاثين خلوات والخلوة كمثل الديورة محوطة دايرها بالحيطان العالية وفيها ما يضعوا صوار ولا شمعة ولا كرسي بل حسر علي الارض وفرشتهم "In Monte Druziorum circiter triginta reperiuntur sacella, quæ singula speciem cænobii referunt, muro alto undique cincta. In iis vero neque imagines, neque lumina, neque sedilia videntur: pavimentum nonnisi tapete lectoque cubiculari ornatum est."

z) Idem: هذا العجل موضع داخل خزانة مسكرة ما يفتحوها الا وقت عبادتهم فقط وهو معمول من ذهب وفي كل خلوة فيش واحد صنم وكبره مقدار كلب كبير

& imitamento Ægyptiorum, qui sanctum suum bovem & Apin coluerunt. Majestatem loco sanctitas quoque facit aditus, qui nonnisi constanti ætati pater, nec sine discrimine sexus. Limine enim arcentur viri, nisi quadraginta, & mulieres, tanquam arcani minus celans genus, nisi quinquaginta annos expleverint a). Quos vero ætas sic separavit & institutio præterea agnovit ingenuos, eos omnes quolibet die Veneris in his sacellis cultui Divino interesse oportet b). Cærimoniæ autem inter bona & mala mixtæ. Præeunt vota & preces,

"Hic vitulus, qui in armario clauso, nec nisi diebus festis aperiendo, conditus servatur, ex auro factus est. Et quidem suum cuique sacello est ejusmodi simulacrum, majoris canis magnitudine."

a) Idem: الرجل يصير عمره اربعين سنة والامراة يصير عمرها خمسين سنة قبل مسموح لهم يدخلوا الخلوة

"Vir habeat quadraginta, femina vero quinquaginta annos, antequam aditus templi ei pateat."

b) "Repert. für Biblische und Morgenländische Litteratur. XII Theil. Von der Religion der Drusen". p. 152.

ces, quibus Hakemi vel ira placatur, vel beneficentia provocatur. Sequitur concio, coram congregato cœtu in pietatem & virtutem habenda, & ex sacris populi litteris petenda, quarum duo volumina; alterum manu Hamsæ & ex ore Hakemi conscriptum, & nemini nisi iis, qui antistites religionis sunt, videndum vel legendum c); alterum, quod *argumenta & arcana Unitariorum* inscribitur d), incerto auctore compositum; utrumque Druziensis sacri satis amplum argumentum, exteris vero hucusque ignotum e). Palam quoque collocatur Hakemi imago, quam adire, intueri & venerari mos est & religio. Quod autem non fit semper, nec coram omnibus, ne ex frequenti & promiscuo simulacri conspectu minor ipsius Dei reverentia existat. In his vero sacris sedibus, non dicam castis & innocentibus locis, versantur Druzii, procul a negotiis & curis, ab aliorum sermone & usu, quasi hac solitudine fœdæ suæ pietatis arcanum abscondere veliat. Sed nihilominus notum

c) "Museum Cuficum p. 138."

d) كتاب المشاهد والأسرار التوحيدية

e) Cathech. I. qu. 37. 39.

tum eſt, ibi humana divinis miſceri, & inter pocula & epulas, orbes & voces voluptatis, ſacra peragi f). Neſcio autem, quo humanæ ſortis fato fiat, ut omnis fere religio, quantumcunque abſurda & præpinguis, homines tamen fanaticos ferat: qui ex judicii imbecillitate, vel animi quadam intemperie abrepti, præcipuum ſanctitatis ardorem ſibi vindicant. Sic ſunt etiam Druzii, qui luxuriante per nimiæ pietatis ambitionem imaginatione, ſeorſim in ſacellis agant, & in his ſecretis inter famem & vigilias, ſuſpiria & preces palleſcant. Tamen umbratili huic vitæ non repugnat, diebus feſtis in confluentis populi conſpectum & communis pietatis ſocietatem prodire.

§. XI.

---

f) Germ. Conti: في خلواتهم ياكلوا ويشربوا ويركضوا ولكن ما يظهر علي احد وما يتكلموا احدا ولا يقبلوا احد يدخل عليهم وما احد يقدر يعرف حقيقة ديانتهم

"In suis sacellis edere, bibere & saltare, nefas non habent: tamen nemini potestatem sui conſpectus, sermonis vel usus faciunt, ita ut, quæ vera sit eorum religionis ratio, difficillime quis cognoverit."

§. XI.

Quantacunque vero ſit Druziis perſvaſio ſuperſtitionis, tamen eorum ſunt plurimi, qui, ſpretis & patriis & exteris ſacris ac cærimoniis, omnes gentium religiones per jocum aſſimilent catenis, in obſcuro pendentibus; quas, ut dicunt, ſectæ quælibet & nationes manu tenent, ſingulis ſuam eſſe veram & auream ambitioſe clamantibus, omnibusque fidem ſibi & audientiam ſuperſtitioſe poſtulantibus g). Sed ne ſocietas generis humani, Dei metus, fides jurisjurandi, & cura juſtitiæ tollantur, domi foriſque ſua & peregrina numina in ſpeciem colunt. Unum eſſe Deum intelligunt, & ſummum illum & optimum, neque mutabilem neque interiturum, credunt; qua autem pietate & cærimonia, qui-

---

g) Idem: يشبهوا اديان الدنيا الي جنازير في مكان عاتم واصحاب الملل هم ماسكين هولاي الجنازير وكل واحد يقول جنزيري هو الذهب وما يعرف ما في يده

"Comparant religiones mundi catenis, in obſcuro loco pendentibus: quas ſectæ omnes tenent, & ſingulæ ſuam esse auream clamitant, quamvis, quid in manu sit, ignorent."

quibus verbis & sacrificiis colendus sit, neque animo humano cognitum, neque consilio Divino patefactum esse, contendunt. h). Quocirca ut os hominum & facies locorum, ita hujus religionis gentis mutatur. Artificio autem simulandi dissimulandique eruditi, in quacunque civitate versantur, id agunt, ut ad illius non minus sacra, quam profana instituta suum gestum habitumque componant. Sic religiones sibi contrarias composito vultu profitentur, earumque auctores ut Deos vel Divinos venerantur: quod faciunt, non ex conscientia vel animi mobilitate, sed propter metum alieni imperii, ita ut pro tempore & loco, jam Muhammedana, jam Christiana templa lacrimis & poenitentiæ signis, vel laudibus & gratiarum concentu impleant, & funera jam lugubri voce, jam intento

---

h) Idem: ما يعتقدوا في دين من الاديان ويسلكوا مع كل ملل ورايهم ان الله ما ظهر الي احد الديانة الصحيحة التي هي واحدة فقط

Nulli religioni fidem adhibent, sed omnes sectas pariter sequuntur, ea persvasione, veram numinis religionem, quæ non nisi una est, nemini divinitus patefactam esse.

tento silentio prosequantur i). Adeo humanis ingeniis parata est simulatio. Hi autem Druzii, qui Gehál (جهال i. e. Ignorantes) appellantur, ut credendi, ita vivendi ratione a cæteris, qui Akál (عقال i. e. Intelligentes) vocantur, maxime differunt. Quæ his ex lege Hakemi turpia, *illis* ex jure naturæ honesta sunt. Nulla iis cibi & potionis religiosa discrimina: nec exteræ *nuptiæ* iis interdictæ. Quorum vero nec parvam nec obscuram esse turbam, putes; majori enim & meliori parti nomen Gehál datum est, nec hujus tituli ipsum Principem pudet, qui damnato suæ gentis errore liber, fortunis civium potius, quam eorum judiciis imperitare cupit k).

§. XII.

Sed ad illos Druzios, qui nomine Akál superbiunt, & religione Hakemi insaniunt, revertamur. Hi, ut diversitate noscantur, speciosam vitæ morumque sanctitatem ostentant. Victu cultu-

i) Catheeh. I. qu. 29. C. II. qu. 23.

k) Repert. für Morgenl. und Biblisch. Litteratur XII Theil, Von der Religion der Drusen. p. 109 & 110.

creta suæ religionis non minus diligentissime custodire, quam sanctissime ea colere o). Nec de ingeniis, ad hujus factionis secreta ducendis, sine experimento judicatur. Examen enim vitæ & cognitionis instituitur: quo probato, alba vestis, ordinis insigne, induitur, & fides hoc initiationis sacramento obstringitur: Confido Hakemo, Unico & Soli Deo, æterno, incomparabili & immenso p).. Quo effato veluti quodam testamento in numerum Unitariorum (المتوحدين vocabulum ex religione unius numinis petitum) quisque hujus nominis candidatus adoptatur. Qui tali modo in Druziorum vere credentium societatem recepti sunt, aliquam quasi tesseram habent, qua per datas redditasque voces se invicem cognoscant. Si quem ignotum fors obtulerit, quæsito, num in tua patria sementem faciunt agricolæ Myrobalanæ Citrinæ, & *responso*, sane fit in cordibus fidelium, iterumque verbis de Hakemo ejusque ministris ultro

---

o) Lib. cit. p. 154.

p) Lib. cit. p. 154. توكلت علي مولانا الحاكم الاحد الفرد الصمد المنزه من الازواج والعدد

ultro citroque recte habitis, satis intelligitur, obvium hominem suæ esse & originis & opinionis.

§. XIII.

Ad ultimum paucis exponendum videtur, quid Druziis de futuris virtutum præmiis & vitiorum pœnis persvasum sit. Quæ autem de his statuunt, ita ambigua & in incertum implicata sunt, ut, quid sentiant, cognitu sit difficillimum. Diem supremi judicii exspectant, anno incertum, sed mense vel Dschumadi vel Raschid futurum, variisque signis prænuntiandum, qualia perhibent Regum infinitam & liberam in gentes potestatem, & Christianorum in Muslemios principatum q). Tum Hakem, specie humana conspicuus, suum cuique pro merito tribuet, ita ut quos Unitarios & divinitatis suæ cultores invenerit, eos ingentibus opibus & honoribus, quos autem majestatis suæ contemtores vel desertores offenderit, eos

q) Germ. Conti. يقولوا ان عند منتهى الدنيا يكون حرب وموت وغلا وجوع وعطش وضيق Dicunt, mundo ad finem vergente, fore bella, cædes, difficultatem annonæ, famem, sitim, rerumque angustiam.

eos gravissimis suppliciis affecturus sit. Varia autem pœnarum pro delictis & sectis genera. Qui, ejuratis Hakemi sacris, ad falsæ religionis cultum se contulerint, imperium Unitariorum, ut boves jugum, inter verbera & contumelias, tributa & questus, aliasque servientium pœnas, ferent. Gravitatemque hujus laboris cumulabit miseria victus. Quicquid enim cibi vel potus hauserint, amarum & insalubre erit, suique fastidium ori, & dolorem stomacho faciet. Nec minor erit cultus infamia. Ipse Hakem, in ludibrium & cruciatum, pileum suillæ pellis, longitudine unius ulnæ erectum, capiti imponet, & vitreas nigrique caloris inaures, per hiemem frigore, per æstatem calore intolerabiles, auriculis inseret. His autem iræ piaculis aliquanto leviora erunt, quæ Judæi & Muslemii, levissima vicissim, quæ Christiani dabunt r). Quamquam vero ex his nulla vel exigua, tamen ex aliis Druziorum dictis aliqua videtur esse iis de altera & æterna vita, felici, infelici, persvasio. Argumentum peto non solum ex nomine honoris, quo Hakem Dominus quoque resurrectionis appellatur, sed etiam ex formula salutandi, qua a beatis sedem ejus

r) Repert. l. c. p. 156 & 157.

ejus ingressis excipietur s). Nec fidem, quam huic opinioni addit G. Conti t), suspectam faciat facer quidam Druziorum libellus: in quo mortuorum qui-

s) Cathech. I. qu. 53.

t) Germ. Conti: يعتقدوا الدروز ان الانسان ان كانت طريقته صالحة يرجع يموت ويحيا بصورة الانسان وان كانت سيرته ردية يرجع يموت ويحيا بصورة الوحوش الي وقت القيامة وفي هذا الزمان يرجعوا جميعهم مثل ما خلقهم الله اولا حتا يجازيهم علي افعالهم ويقولوا انهم في حيات الابدية ياكلوا ويشربوا ويتزوجوا حسب هذا الدنيا الصالحين في السما والطالحين في الجهنم
Credunt Druzii, hominem, si bene egerit, forma hominis, sin male, eum specie cujusdam animalis, semper moriturum & victurum esse usque ad tempus resurrectionis, quo omnes tales, quales primum eos Deus creavit, redituros esse, sibi persvadent. Quin etiam fingunt, in altera velut in hac vita potestatem cibi potusque capiendi, & matrimonii ineundi futuram esse, beatis in cælo, damnatis in infernis tenebris.

quidem animis, fidelium rurſus in hominum, infidelium vero in canum corpora transmigrandi poteſtas datur, eorum vero corporibus nulla reviviſcendi ſpes additur. Nam nec Druziis circa rem divinam defuerunt partium ſtudia; cujus exemplum nobis erunt Nazaræi, plures alios ut taceam. Hi homines ſuæ originis & religionis parentem ferunt Nazari, qui Hakemi quidem ſe miniſtrum perhibuit, non autem illius divinitati ſacramentum dixit u). Sed ſatis de ſuperſtitione hujus gentis, quæ ambigam an ſui ſimilem vel ignorantia vel errore habeat.

III. DE REGNO CHATAJA.

SECTIO PRIMA

DE METROPOLI KAMBALU.

§. I.

Chataja, antiquiſſimum & potentiſſimum regnum, multos & claros habuit ſcriptores, diſtractis, autem ſen-

u) Cathech. I. qu. 23.

sententiis: quod propter regionis longinquitatem & itinerum pericula minime mirandum est, In his autem tenebris, in his curis rara est nostri temporis felicitas, ubi & vetustæ & præsentis ætatis ingenia & opera in rei ambiguæ cognitionem contendere licet. Non desunt auctores, quos diligenter sequamur, nec testes, quibus libenter credamus. Et quidem hi non unius sunt temporis, loci & generis, ad augendam narrationis fidem. Auxilio nobis venit uterque orbis, oriens sua luce & voce, occidens sua fide & veritate. In subsidiis Muhammedanis eminent duo libri, alter Kanun Nâme, alter Ruz Name appellatus, quorum illum & majorem Nomocanon, hunc & miniorem Calendarium regionis Chatajæ interpreteris. Si vero piget, auctorem posterioris ignorare, haud pœnitebit, scriptorem prioris cognoscere, ut quantum illi tribuendum sit auctoritatis, intelligatur. Schaharach princeps, Tamerlanis Filius, & Chorasaniæ Imperator, cum anno Hegiræ 822 ex magnatibus regni legatum Schadi ad regem Chatajæ mittere statuisset, socium itineris ei dedit ex sapientioribus unum, nomine Gajàs Eddìn notum: cui præcepit, ut quicquid notabile a suo inde

exitu

exitu ex Herât usque ad ſuum reditum videret, id litteris mandaret. Juſſui ſtetit obſequium, & reditus poſt triennium factus eſt, diligenter viſis & perſcriptis imperii Chatajani inſtitutis: quorum origo in capite memorati libri Kanun Name decimo tertio ſic expoſita eſt: Mulier, nomine Luzi, ex regia ſtirpe Turcarum generata, cum imperatrix creata eſſet, leges, quibus regnum adminiſtraretur, condendi neceſſitas incidit. Illoque tempore Kezin, Chinenſis, homo ſapiens, imbecillitate reginæ comperta, eam acceſſit, & dignitatem Viziri obtinuit. Hic autem vir perſonam civitatis conſilio & judicio gerens, canones in librum adſcripſit, & teſtamento effecit, ut, qui orbem Chatajanum regere vellet, ad legata in illo codice præcepta ſe componere deberet. Tantaque erat harum ſanctitas legum, ut qui Imperator rerum novarum libidine eas mutare voluerit, magno peccato obnoxius, ſuo throno deturbaretur. Et quidem ſi contra fas & jura ter egerit, non ſolum ipſe imperio ſummovebatur, ſed etiam ejus liberi, ne legum contemtrix familia ſuccederet, paterni criminis culpa tenebantur. Hæc autem rara peregrinatoris monumenta, quæ Ibrahim Efendi ex Perſico

in Turcicum, nosmet ipsi ex Turcico in Latinum vertimus, magno usui erunt & ornamento. Sed in partes etiam veniunt nostri orbis annales: in quibus principem sibi locum vindicant, quos Italus, ingenio ingeniique itineribus felix, diligenter condidit. Hic homo, nomine gentilitio & patrio Marcus Paulus Venetus, & duplici in orientem itinere (unum anno 1272 Chr, alterum triennio post suscepit) cognitus, mediterranea Tartariæ peragravit, extrema Asiæ visit, & per septemdecim annos in aula Chatajani Imperatoris Magni Cham Kublaj vixit: quo temporis spatio animum hujus principis sic sua virtute & sapientia sibi devinxit, ut otiis illius & negotiis domi forisque interfuerit. Quæ autem vidit, audivit, redux in patriam factus, bona fide & ex memoria descripsit; tamen fidem ubique non postulat, sed ut veritatem ex propinquo vel longinquo cognoscendi occasio fuerit, jam comperta affirmat, jam relata refert. Utcumque vero de hujus & supra memorati scriptoris judicio & auctoritate existimabitur, utile & jucundum erit, studia utriusque & opera intueri & conferre: de quibus deinde quisque ita

ju-

judicabit, ut nec ſingula in veram partem credule, nec omnia in falſam temere accipiat.

§. II.

Chatajam regionem multi Auctores, Hiſtorici & Geographici, paſſim memorant; illius autem nomen, licentia vetuſtatis humanæque inconſtantiæ vitio, varie ſcribunt, Perſæ, Arabes & Turcæ Chata, Chataja, Chataj, Kata; Armeni Chata, Chuta; Græci Chatæa, Kathea; Noſtrates Cataj, Kithai, Chitaja, Chitea. Hæc regio alias Tamgagi dicitur a), quod nomen ex Tengju, Sinenſi imperatorum titulo, Arabice detortum eſſe videtur b). Strabo vero Catheam ſuam etiam Sophitis regionem vocat: quod nomen rex hujus terræ tempore Alexandri habuit c). Appellatur etiam a nonnullis Karakithaj, i. e. Nigra Chataja, Turcico vocabulo Kara nigrum ſignificante: quod multis locorum nominibus præfigi ſolet. Hic autem titulus non ad totam regionem, ſed ali-

a) Ita Iben Said apud Abulfedam habet.

b) Sic conjicit J. Golius ad Alferg. p. 106, & addit. de Catajo p. 10.

c) Curt. Lib. IX. c. 1.

aliquam ejus provinciam pertinere videtur. Solemne est Orientalibus, terras, maria factionesque colorum vocabulis distinguere. Sic Turcis Pontus Enxinus Kara den—iz, Nigrum Mare, Mare Mediterraneum Ak den—iz, Album mare, dictum. Sic in Persia una factio regum Kara Kojunly, Nigri Arietis, altera Ak Kojunly Albi Arietis appellata: alia plurima ejusmodi exempla ut taceam. Unde autem Chataja, late sic dicta, nomen habeat, & quid vocabulum significet, difficile est differere. Sunt, qui ex suo ingenio fingant, desertum Tartarice Chata dici. Magis placet eorum sententia qui hoc nomen a fluvio vel lacu Kithaj, utroque in his terris obvio, deducunt. Nec consentiunt eruditorum mentes & voces, quis sit ille terræ sinus & recessus, cui omnis oriens nomen Chatajæ dixit. Ne autem sententias, quæ plus speciei quam veritatis habent, in fastidium lectoris enumerem, statim opinioni eorum, qui Chatajam esse partem Chinæ borealem contendunt, accedere licebit. Nec desunt argumenta, quæ hanc fidem nobis faciant. Hoc probant ipsi fines Chatajæ, quæ egregiis munimentis, naturæ vel artis, a septentrione spatiis deserti vel

mi-

miraculo muri, ab oriente & meridie fluctibus & saxis oceani, ab occidente praeruptis montibus & angustis faucibus, velut orbis in orbe, circumscripta fuisse memoratur: quae omnia de China valent. Nec differt numerus provinciarum, habitus incolarum, & status artium. Nam Chataja novem regna ad austrum, sex autem ad boream, fluviis & aquae ductibus in commercantium usum frequentia, habuisse dicitur: quae cum quindecim Chinensis imperii provinciis, singulis in speciem mediocris regni vastis, multorumque fluminum in opportunitatem commercii plenis, optime conveniunt. Caeterum eaedem utrobique memorantur ingenii dotes, animique virtutes vel vitia: par mentis sollertia, & calliditas, nec minor ad quaestum & artes propensio, quam ad fastidium usque prolixa & superstitiosa urbanitas d). Nec aliter sentiunt varii, antiqui & fide digni scriptores, qui vel ipsam Chatajam vel vicinas terras viderunt: J. Carpinus, Papae Innocentii IV ad Chamum Tartarorum nuntius, G. de Rubruquis, Ludovici IX, regis Gallorum, ad eundem imperatorem legatus,

M.

d) C. A. Mulleri disquisitio de Chataja.

M. Paulus Venetus, hujus principis in Chinensi urbe Yangni præfectus, Hayto Armenus, dominus Curchi, regisque Armeniæ consanguineus, Abulfeda, Arabsiades, aliique: qui omnes uno ore consentiunt, Chatajam ipsum Sinarum regnum esse e). Hæc tamen ita accipienda esse puto, ut, quemadmodum pars Chinæ borealis cum vicinis regionibus passim Chataj vocabatur, sic deinceps, occupato per Tartaros Chinensi Imperio, totum regnum Chataicum appellatum sit.

§. III.

Jam autem sequitur, ut breviter differamus, qua vi & ratione summa Chinensium potestas in Tartaros delata sit. Chinense imperium, consiliis magis & legibus, quam armis & castris partum & auctum, postquam per longam sæculorum seriem bonis exemplis floruerat, luxúria tandem & avaritia, præcipuis mali & publici & privati caussis, paullatim semetipsum conficere cœpit, donec eo perventum est, ut peregrino & externo subsidio, credentibus fallaci & sperantibus infido, opus esset.

e) Loc. cit.

set. Sed ambitio principum civiumque seditio necessitatem petendi a vicinis auxilii fecerunt: quod autem remedii genus ipso malo pejus evasit. Tartari a septentrione in partes vocati: quibus in pretium suæ operæ plures regni provinciæ cesserunt. Data autem acceptaque parte, cupiditas totius orta, & opes hominesque rapiendi perdendique libido secuta est. Magnus ex hoc metus, magna ira indigenis: qui ipsi segnes & desides, alios Tartaros ex oriente adversus prævalentis populi vires sibi adsciverunt. Nec defuit victoria, sed brevi usu. Hospites enim, hac calamitate non fracti, sed erecti, paucis post annis animum & impetum resumserunt, & magno prœlio commisso, ipsam regni sedem Nankin ceperunt, regioque palatio incenso, obsequia & tributa injunxerunt. Afflictis non alia jam spes salutis ostendebatur, quam quæ in virtute & opibus Tartarorum Mogulensium ponebatur. Exitus autem non opinioni, nec fortuna votis respondit. Hi enim homines, qui ad arcendam vim advenarum vocati fuerant, pulso & horum & Chinensium nomine, soli imperio potiti sunt, duce Chan Kublaj,

Chi-

Chi—tsu alias dicto, Mogoli quinto imperatore, & Chinensis dynastiæ Yven conditore e).

§. IV.

Hic autem princeps Kublaj, non minus pace quam bello egregius, ubi tali modo Chinense imperium ad illius arbitrium transierat, veterem regni sedem Ciandu, alias Jons appellatam, sibi quoque metropolin elegit: in qua maximum & pulcherrimum palatium, marmore & auro distinctum, exstruxit f). Quam & regiam ambivit nemus, fontibus & fluviis irriguum, campis amœnum, & animantibus varii generis plenum, in quo medio ex arundine contextum, & intus ac extus auro & figuris ornatum erat tabernaculum, egregium adversus imbres & tempestates tutamen, & imperatori propter salubre aëris temperamentum æstivo tempore

e) Du Halde & Histoire Moderne des Chinois &c.

f) P. Venet. Lib. I. c. 65. Armen. Histor. Orient. c. 19. Auctor libri حبيب السير jucundum spectaculum dicti nomen Ciandu per جلندو Djan—du exprimit.

tempore domicilium g). Ut autem plus intervalli & minus periculi ab hostium proximis finibus & infestis excursionibus esset, decus & robur imperii ad interiora regni transtulit, & urbem Kambalu h), futuram regiminis sedem, & hodiernam Peking, apud flumen Pulis i) condidit: quæ

g) P. Ven. loco cit.

h) Khambalu i. e. Urbs Regis, auctore Gajas Eldin: quam interpretationem confirmat L. Lange, hoc nomen á vocabulo Turcico Chan i. e. imperator, & Mogulensi Balab i. e. urbs deducens. Hunc titulum, quem peregrina Arabum ora in Chanbalik mutarunt, habuere aliæ etiam in China & Tartaria urbes, quamdiu sedes imperii fuerunt." Pallas Neue Nordische Beyträge 2 B. p. 230. Hæc urbs olim vocabatur Isedon Serica vel Sera: quam Sinarum esse Metropolin, refert Ptolomæus Lib. I. c. XI. Horatius Lib. I. Od. XII.

"— — — subjectos orientis oris
"Seras & Indos"

Et Plinius Lib. VI. c. XVII. "Seres, Janicio silvarum nobiles, perfusam aqua depectentes frondium canitiem."

i) Sic vocat Gajas Eldin illum fluvium, quem P. Venetus (Lib. II. c. 27.) appellat Puli-

& brevi fastigium formæ & fortunæ cepit. Hæc urbs in quadri formam structa erat, tantoque ambitu, ut singula latera sex milliaria Italorum, ut P. Venetus, vel quatuor parasangas Arabum, ut Gajas Eddin refert, habuerint. Murusque altitudine viginti passuum, latitudine decem, alboque nitens, præsidium erat in bello, & in pace ornamentum k). Per duodecim vero portas (tres scilicet in quolibet latere), magnifica & arcuata opera, & per totidem suburbia, splendore ædificiorum & numero commercantium famosa, aditus patebat l). At-

Sachniz, & a civitate Kambalu itinere decem milliarium abesse scribit: & quem ideo a flumine Lukow, totidem milliaria a Peking remoto, non differre existimat Gauhil (Histoire genenerale des voyages T. 27. p. 61). Alius vero amnis, sed manu factus, auctore Gajas Eldin, hanc urbem a septentrionali latere interfluit, & alveum habet qui septem munimenta regii palatii circumit, ædibus oppidi occurrit, ejusque circumjectos hortos irrigat.

k) Si passus major intelligatur, qui quinque est pedum, fidem P. Veneti non corroborant, qui affirmant, mœnia Pekingi 150 pedes in altitudinem patere.

l) Kanun Name. Du Halde (Description of

Sicut etiam hæc urbs in regiones optime divisa erat: dimensi vicorum ordines, lata viarum spatia, ab una porta ad alteram prospectus, & patefactæ areæ, non inscitia ædificandi, sed fortuiti incendii metu m). Accesseruntque ubertas circumjecti soli, dulcedo & copia profluentis aquæ, cœlique optima temperies: quæ omnia quantum gaudii & amœnitatis, tantum commodi & salutis ad laborem & quietem incolis attulerunt n). Et ne injuriis & latrociniis, cædi & sanguini in obscuro noctis esset locus, in media urbe ingens pendebat campana, qua vespere ter impulsa, nullus, nisi summæ casu necessitatis, exeundi foras veniam habuit. Quibus vero id licuit, lumen secum ferre imperatum erat. Nec hoc satis. Circa mœnia aulæ mille reperiebantur domicilia, singula decem vigilibus receptacula. Hi homines non nocte solum lumine laternarum & campanarum passim pendentium im-

---

the Empire of China &c.) The gates, which are high and well arch'd, support exceeding large pavillions, nine stories high.

m) Kanun Name. Du Halde l. c. ita: The streets are exceeding strait, almost all laid out with a line—and about 120 feet wide.

n) Kanun Name.

impulſu, ſed die etiam, vigili animo & oculo, vicos urbis & ædes armati obierunt, & terrorem reis, opem innocentibus tulerunt o). Ut autem opibus & navibus ad hanc mediterraneam urbem iter ex Oceano pateret, ingentem aquæ ductum faciendum curavit imperator Kublaj, quem ſpatio quadraginta ſtationum cum magno flumine, plures provincias adeunte, & apud Indiæ & Chinæ emporium Zaitum in Oceanum erumpente, conjunxit p). Et ut terrâ iter facientibus ſtabile nec veſtigia

o) Kanun Name. Du Halde l. c. The great streets, which run in a line from one gate to another, have corps de guard. Day and night there are soldiers to chastice all who make any disturbance. The cross-barr'd gates are shut every night by the guard and are seldom open'd, except to persons with a lanthorn in their hand, who are known, and have a good reason for going out, such as to fech a phycician. As soon as the first stroke of the watch is given on a great bell, one or two soldiers walk from one corps de guard to the other, playing all the way with a kind of clapper —

p) Hæc, quæ in Kanun Name habentur, confirmat Du Halde (Libr. cit. Vol. I. p. 325, 326.) qui hunc aquæductum hodie Yun-lyang

gia fallens solum, continuum adversus ardorem solis umbraculum, & lætum variumque spectaculum esset, illam viam, quæ memorati aquæ ductus ripam sequebatur, lapidibus totam sterni, satis arboribus utrinque ornari, & fanis pagisque passim distingui jussit q).

§. V.

Sed labore & opere, opulentia & specie præ cæteris conspicuum erat regium palatium, in media urbe conditum, quadri forma, ambitu quatuor milliarium Ital., colore albo & rubeo, muroque decem passus in altum surgente. Quin in quolibet hujus munimenti non solum angulo, sed etiam latere, & quidem medio, structa erat in magnæ regiæ speciem domus: quæ itaque ædificia in universum

---

i. e. Regium Canalem appellari, a Kublaj sumtuose factum esse, & per majorem regni partem in summam commercii commoditatem transire refert. Et emporium Zajtun, quod P. Venetus (Libr. III. 3. 8) quinque diætis urbe Fuchu distare scribit, esse Chang-Cheu-fu seu Suen-cheu-fu, quod pari intervallo a Fuchu recedit, putat Martini.

q) Kanun Name.

ſum octo fuiſſe dicas, & quæ ſingula ſuo armorum generi fuiſſe deſtinata ſcias. Facies vero palatii verſus meridiem quinque habebat portas, quarum media, & omnium maxima, regi tantum exeunti, reliquæ autem duæ, & collaterales, comitatui illius patebant. Tribus reliquis faciebus ſua tantum cuique porta fuit, in medio poſita, & introire cupientibus aperta. In ſpatio autem interiori & medio reperiebatur gynæceum: quod claudebatur munimento, in ſimilitudinem exterioris & memorati condito. Carebat hoc tabulatis, pavimentum tamen exteriori fundo præminebat decem palmis. Summaque ars & mira ornamenta in tecto cernebantur. Sic & parietes conclavium fulgentes, & res vetuſtatis bellicæ, mirabili ingenio effictæ, oculis ingredientium miraculo fuerunt. Totumque hoc caſtrum ſuo mœnium gyro plurima viridaria, frugiferis arboribus conſita, & feris varii generis referta, item vivaria, meliorum piſcium receptacula, & fluvio ferreis cratibus ad illius oſtia munito pervia, continebat. In hanc ſententiam M. P. Venetus r). Plura, vel diverſa vel ſimilia, habet

Gajas

r) Libr. II. c. 9.

Gajas Eddin: quæ lectori in utriusque contentionem adferre lubet. Palatium regium, duabus partibus, altera interiori, altera exteriori, compositum, septem palatia, hortis, prætoriis, delubris locisque venaticis omnia instructa, & singula suo usui destinata, habuit. In primo vinearum & hortorum cura erat: in secundo rerum gerendarum, libellorum supplicum, epistolarumque exhibendarum locus: in tertio harum rerum ad imperatorem deferendarum negotium: in quarto omnium rerum, ad servos prætorianos pertinentium, sollicitudo: in quinto regales reditus, accepti & expensi rationes, & leonum claustra: in sexto plurima conclavia: in septimo ipsum gynæceum, nulli sexus virilis præter imperatorem patens. In his etiam, pro numero provinciarum, duodecim fuere prætoria: quæ ab uno latere spadones, ab altero filiæ incoluerunt, pulcherrimis tiaris, quas plumis ornabant, auroque intertextis vestibus, quas gemmatis zonis adstringebant, superbientes s). Murique ambientis quatuor lateribus

s) Du Halde: This palace is a prodigious collection of great buildings, vast courts, and gardens; it is inclosed with a brick wall about twelve Chinese Li in circuit. This wall

teribus ſua ſingulis erat porta, ex domeſtico chalybe fuſa, ſeptemque inſtructa cameris: in quarum una, quantum vectigalis ex duodecim provinciis rediit, deponebatur. Per unam vero harum portarum, ubi tympanum erat juſtitiæ, rerum oblatarum reſponſa emanabant: per alteram una vel duabus per annum vicibus in publicum ſumma pompâ prodiit imperator, prætoria viſitaturus: in tertiam thronum transtulit interdum, & principibus, magnatibus & legatis poteſtatem coram veniendi dedit: quartamque auguſtam ab utroque latere fecerunt effigiati & vincti leones. Portæ autem interioris regiæ admirabiles erant, laternis & vexillis diverſi coloris ſuperne ſuſpenſis. Atque ad lucem harum laternarum

has battlemens along the curtains, and at the angles is adorn'd with little pavillions — The space between this inclosure and the first wall, is taken up chiefly with houses, as well of the officers of the household, as the Eunuchs, and the several Tribunals, wherof some have the care of providing necessaries for the service of the Prince, and others are to preserve good order, decide differences, determine causes, and punish the crimes committed by the domesticks of the Imperial Family.

narum omnes socii tribunalis convenerunt, imperatori aliquando ante diluculum egredienti præsto futuri. Si quis vocatus præsentem se in tribunali non stiterit, a munere remotus, in vincula ducebatur. Quo autem momento imperator thronum, cui draconis effigies t), conscendit, indigenæ, advenæ, proceres, nobiles, nationum legati, & munerum candidati ad designata iis loca se turmatim contulerunt, ibique standi modestiam custodierunt. Ad dextram imperatoris tum Viziri, principes, docti, hominesque militares: ad sinistram primarii scribæ & publici tabelliones: pone thronum eunuchi & filii. Tantaque sceptri reverentia, ut nemo oculos ad imperatorem & circumstantem coronam circumferre auderet. In amplo autem atrio, quod cænacula, triclinia, & magnificis columnis innixa tecta circumdederunt, die publici judicii collocabatur thronus, eburneus & pictus, altitudine trium ulnarum, & superstructo umbraculo, sexaginta

 ulnas

t) Du Halde: The throne, which is in the middle of the Imperial Hall, consists of a lofty alcove, very neat, but neither rich nor magnificent.

ulnas longo, quadraginta lato, magnifice varieque ornato, & de columnis octo ulnas altis suspenso u). Hisque columnis e regione oppositæ erant tres portæ: quarum media regi ejusque necessariis & magnatibus, dextra autem & sinistra reliquæ turbæ patebant. Et in his portis, quibus a que ac memorato throni umbraculo imminebat interior aula, magna pendebat campana, qua ubi signum ante lucem die publici tribunalis datum fuerat, aliquot millia hominum se in seriem pari celeritate & modestia disposuerunt. Interfuere duo fere millia cantorum & musicorum, qui ab utroque latere consistebant, totidemque millia armatorum, qui speciem maje-

u) Du Halde: The court, which is before the imperial Hall, is the largest belonging to the palace; it is at least 300 feet long, and 250 wide. Over the gallery that surrounds it, are the Imperial magazines of rarities, for the treasure or revenues of the empire, are kept in the supreme Tribunal — This gallery has five doors- three in the south front.- Those in the middle are never open'd but for the Emperor; the Mandarins, who come to perform the ceremony before the Imperial Hall, entering by the side doors.

majestatis augebant. Sole autem orto, cortinam, portæ gynæcei obtentam, duo spadones levabant, & initio tympanum justitiæ dictamque campanam feriendi facto, præfecti myriadum, millium, & centum militum, compositi & instructi dextram & sinistram occupabant: qui sua quisque manu tenebant tabulam, diligenter intuendam. Alio enim oculos vertere, contra honestatem erat. A tergis vicissim præfectorum loricati & hastati silentia servabant. Ad ultimum imperator sollemni pompa exiit, soliumque per scalam argenteam, & quinque graduum, conscendit. Duæque filiæ, passis per tempora crinibus, facie colloque nudis, & inauribus margaritiferis, ab utroque latere adfuerunt: quæ chartam & calamum in promptu habebant, ut, si quid imperator jusserit, scripto mandarent, scriptumque in conclavi traderent x).

---

x) Kanun Name.

SECTIO

SECTIO SECUNDA

DE MAGNIFICENTIA IMPERIALI.

§. I.

Licet mihi in secunda hujus operis parte, quae de magnificentia Imperatoris Chatajani agit, praefari, me in ea, velut in prima factum est, auctorem Gajas Eddin, publice non cognitum, secuturum esse: quod tamen ita faciam, ut quae apud alios scriptores maxime memoratu digna, & ad nostram rem pertinentia, invenerim, textui nominatim strictimque subjungenda esse putem. Jure imperii Chatajani bene & providenter cautum erat, ut imperator unus ex sapientissimis principum esse deberet, & simulac regni vacationem vel morte vel legis dissolutione fecisset, non major natu, sed melior filius promtissimo titulo locum occuparet a). Et ne leve esset, sacrilegium commis-

a) Description of the Empire of China; of du Halde Vol. I. p. 242. "The Emperor chuses for his Heir such of his Sons as he judges fittest to succeed him; and if he thinks there

mississe, depositi principis stirpem gravis quoque fortuna cum scelerati sanguinis memoria sequebatur. Ejusmodi enim imperator, ab odio & vindicta principum non tutus, cum suis ministris & affinibus in aliquod castellum ex lege detrudendus erat; ubi rebus, quæ vitæ sustinendæ necessariæ essent, ordinatis, a communi hominum consvetudine prohiberetur. Novem vero Viziri regiminis socii fuere, quibus negotiorum ad arbitrium imperatoris deferendorum cura. Publice tamen cum iis imperator non confabulabatur, nisi de re majoris momenti. Suus quoque illi sermo; quem nemo, nisi accedente interprete, intellexit. Cæterum subditis se

---

is none of his family capable of governing well, he pitches on one of his subjects whom he deems most worthy. It is necessary that the person elected should have real merit, and proper qualifications, for otherwise the Emperor would lose his reputation. On the other hand if he prefers to the eldest one who has more merit, then his name becomes immortal but if, after being declar'd his Successor with the usual solemnities, he is wanting in his duty, or commits any great misdemeanor, it is in the Emperor's power to disinherit him, and name another in his place."

se ac principibus raro conspiciendum præbuit. Sententias vero tribunalium & supplices libellos servi obtulerunt, & favoris augurium scriptura rubra portendebat. At tempora imperatoris in tres partes descripta; quarum una in luxu & voluptate, altera in somno & quiete, tertia in rerum publicarum administratione consumebatur: nec elapsi temporis fata differendi potestas erat. Si tribus mensibus ter legem violasset, magistratu abigebatur. Tanti tamen eum fecerunt subditi, ut quibus aquis manus lavasset, suo ipsorum lavato ore, delicta sibi condonari crederent. Jure autem hæreditario sortiebatur imperium; & cum obiisset, principes septem spectabilium tribuum ad publicum lugendi officium in castris Viziri convenerunt, albis lugubribus indutis b); qui, post soluta justa nuncupatis votis, regium palatium intrabant. Hic loci tum in medio ex lana capræ stragulum nigrum expandebatur, novusque adducebatur Imperator, qui, thro-

b) Histoire Moderne des Chinois &c. Svec. vers. P. V. C. III. p. 116. "Alba enim est lugubris vestis, quæ post tres annos, Patre defuncto, unum vero, matre mortua, deponitur."

throno occupato c), secundum canonem Imperatoris Genghiz Chan constituebatur, ad inaugurationis sacrum additis his verbis: "Suspice Solem, æternumque Deum agnosce. Tu ejus umbra: tu in tuo regno ad ejus quoque normam te compone. Tu in altera, vita, tanto hac tua majestate beatior, quanto hic tu Deo similior. Si contra egeris, communi male imperantium sorte d), præter hanc nigram stragulam, præsentis ætatis præmium, nihil invenies." Quo facto, vestis coccina, & cidaris, capitis insigne, induebatur. Imperatoris deinceps vertici ab urbis supremo Judice imponebatur tiara, eodemque ornamenti genere regia quoque conjux redimebatur. Posthæc omnes principes coram venientes, ter imperatori genua flectebant e), fideque sponsa, pedes osculabantur,

c) Du Halde Vol. I. p. 239. "The Emperor ascends the Throne with great magnificence."

d) Id. p. 243. "It is the general notion of the Chinese, that an Emperor is oblig'd to attend the minutest matters which concern his people, and when his conduct is not agreeable to this Idea, he falls into the utmost contempt."

e) Du Halde Vol. I. p. 241. Principes ceterique subditorum, non solum Imperatore præ-

tur, allatis muneribus, numero fingulis novenario, utpote qui genti fanctus omen habebat felicitatis. Die enim nono coram Deo Genghiz Chan genua flexit. Tabulis autem nimio tinctis per omnia templa aureis litteris nomen fcribebatur imperatoris, qui Filius etiam Dei appellatus eft, & adeo reverenter cultus, ut in ejus verbis fanctitatem legis quisque fibi conftituerit.

§. II.

Enimvero ille imperatoris filius, cui regnum paternum hæreditate ftetit, in tertia palatii porta fuum habuit domicilium f), item tribunal, in quo ipfe præfidebat, præfectis & magnatibus fociis ferendæ fententiæ & confiliatoribus. Si autem propter improbitatem vel infcientiam imperio indignus vel impar vifus fuerit, ex illius fratribus, qui fapientiffimus

sente, sed etiam absente, coram Throno se prosternunt; illo autem ægrotante, Mandarini omnium ordinum collecti, genibus diu noctuque manent.

f) Du Halde Vol. I. p. 69. "The Palaces of the Emperor's and the other of the blood, are very neat within, vastly large, and built at a great expence, &c.".

tissimus & optimus erat, in locum patris eligebatur. His præterea principibus in plerisque urbibus sua fuerunt palatia, genere structuræ & pretio supellectilis magnifica; sordida autem vivendi subsidia, vectigalia inquam cauponarum & tributa. Tanta autem quorundam inopia fuit, ut famem diurno labore propulsaverint. Adhæc in regia aula ingens reperiebatur multitudo & virginum, quæ imperatoris otiis per vices, & eunuchorum, qui illius negotiis per gradus interfuerunt g). Illæ, si virtute & fide cognitæ erant, unum latus, hi, si vultu habituque spectabiles, alterum in tribunalibus tenuerunt. Ut autem de eunuchis sermonem altius repetam, quidam eorum quatuor vel quinque vicibus per annum formosas puellas per regna & provincias conquisierunt: quas matri imperatoris aut consanguineis ejus mulieribus tradiderunt, vel benigne in gynæceum recipiendas, si placuerint, vel liberaliter domum remittendas, si displicuerint.

g) M. P. Venetus Lib. II. Cap. VIII. "Magnus Cham in proprio palatio circiter trecentas electas pedisequas, famulas, multos ministros eunuchos & familiam plurimam, præterea que concubinas multas habet."

Pari honore & benevolentia uxores regis h), quarum ætas vel forma tædium sui fecerat, alio amandari solebant, provisis pro dignitate vivendi omnibus rebus. Quo autem honorificentius spadones tractabantur, eo libentius fatalis hujus vitæ necessitatem filiis suis in tenera ætate imposuerunt parentes: qui eos deinceps sic violatos, venia petita & accepta, servitio imperatoris obtulerunt. Sed ubi ejusmodi pueri ex ephebis excesserant, ut quisque ingenio & fide maxime excelluit, ita honores facillime assecutus est: quorum sex gradus. Qui primi erant ordinis, vineis & hortis regis præfuerunt: qui secundi, libellos supplices ad imperatorem tulerunt: qui tertii, hos codicillos, laxatis vinculis, regi prælegerunt, eosque vel rubra & salutari, vel nulla & tristi littera notatos, in sericam crumenam conditos, sigilloque consignatos, ad suum quemque tribunal, remiserunt: qui quarti, alba spadonum filiarumque, in palatio degentium, censorii severitate judicii inspexerunt: qui quinti, rationes gemmarum, auri, argenti, aliarumque in regio thesauro rerum, subducere & con-

h) Recentiores Historici tres esse regias uxores scribunt, quarum una salutatur regina.

conferre debuerunt: qui sexti, judiciis duodecim gubernatorum ex æquo exercendis præpositi erant. Proximum vero ab imperatore locum mater illius & filii tenuerunt.

§. III.

Legatos exterarum nationum magnificentissime & liberalissime tractavit Imperator Chatajanus i). Tamen cum ex longinquo major sit reverentia, data coram veniendi potestate, ad thronum propius quindecim ulnarum intervallo accedere non licebat. Præfectorum vero unus, flexis genibus, litteras legati fidemque tali modo imperatori exposuit, & responsa reddidit. Venerabundusque ter tum terram, flexis genibus, osculo contigit, litterasque, sac-

i) Hist. Generale des Voyages Tome XX. p. 281. "Deux des principaux Mandarins vinrent declarer à l'Ambassadeur, que Sa Majesté souhaitoit de le voir de plus prés. Ils le conduisirent par la main, jusqu' à trois toises du Trone, où il s'assit entre deux Princes &c. p. 283. En sortant du Palais, l'Ambassadeur fut conduit à son logement dans un des chariots de l'Empereur, trainé par un elephant &c."

facculo ferici flavi cuftoditas, utraque manu prehendit, & in altum fuftulit. Lex enim patria ferebat, ut quidquid ad Imperatoris intelligentiam & judicium deferendum effet, loculo flavi coloris reponeretur, & a præfectis depromtum, eunucho palatii traderetur, in manus imperatori reddendum: qui, cognita cauffa, facculum cum litteris ad eunuchum remifit, & throno relicto, in fedili confedit. Plurimum pofthæc palliorum tunicarumquæ fequebatur: munera honoris, procerum & nobilium indumenta. Legato tandem cum illius fociis coram vocato k), notisque vocibus datis redditis-

k) Hist. Mod. des Chinois P. V. Cap. III. p. 127. "Priusquam venia Imperatorum conveniendi Legatis exterarum nationum detur, per quadraginta dierum spatium, in ceremoniis ritibusque subditorum, coram Principi observandis, se excercerent": Ceremonias hac quidem occasione observandas Grimaldi & l'Auteur suis declarant exemplis; vid. Hist. Gen. des voyages Tome XX. p. 209. "Quand ils etoient arrivés à la porte de la salle, ils gagnerent en courant l'extremité opposée à l'Empereur; & se tenant tous deux debout, demeurerent un moment dans cette situation, les bras etendus au long des cotés. Ensvite se mettant à

ditisque, epulatum, dixit imperator, ite; & in atrio prætorii, mensis & tricliniis in cujusque gratiam instructo, opipare convivandi fiebat initium. Magnificentiam vero hujus cerimoniæ & imaginem suo exemplo illustrat Gajás Eddin. Quo tempore illi & comiti ac legato Scadi data est conveniendi imperatoris potestas, ingens hominum se invicem urgentium factus est concursus. Primum & secundum palatii atrium transibant: in quo novissimo locus erat throni. Porta deinde argentea ingressi, in aream spatiosam, & lapide raso stratam, perveniebant. Hic in medio tabernaculum sublime, sexaginta fere ulnarum longitudine; sub quo thronus magni pretii, ad altitudinem hominis elevatus, & a tribus ejus lateribus scalæ argenteæ; duoque spadones prope stabant. Ad vero basin alius quidam thronus, sed minor, & specie triclinii: cujus anguli

genoux & levant les mains, qu'ils joignirent sur leur tete, en observant de tenir le coude à la meme hauteur que les bras, ils se courberent trois fois vers la terre. Ils se leverent, se remirent dans la meme posture & recommèncerent deux fois la meme ceremonie, jusqu' à ce qu'ils reçurent l'ordre d'avancer & de s'agenouiller devant le Trone."

guli & gradus mira arte elaborati. Et ad dextram & sinistram armati satellites circumstabant. In uno autem angulo, & quidem sub magno tentorio, cohors musicorum in seriem disposita erat: quorum præfectus in triclinio sedebat. Item ante ipsum thronum septem ejusmodi umbracula diversi coloris, & circa ea duo fere millia armigerorum 1). Sed ad fores gynæcei pendebant funes, quibus pretium ex serico crescebat, quorumque ope duo spadones, utrinque constituti, aulæum ostio prætentum, simulac imperator venit, promte sustulerunt, musicorum agmine fides movente. Eratque eo tempore Dajmenk Chan imperator. Barbam manipulus longior, & tres vel quatuor annuli aurei, ad illius extremitatem pendentes, commendabant. Super

1) Hist. Gener. des Voyages Tome XXVII. p. 215. "On assura les Ambassadeurs qu'il y avoit plus de trois cens mille personnes assemblées devant le Palais, & plus de deux mille musiciens, qui chantoient des hymnes pour la prosperité de l'Empereur. Deux mille gardes armés de hallebardes, de batons, de lards, de fleches, de lances, d'epées & de masses, s'employoient avec beaucoup de peine à ecarter la foule."

per caput vero circumcirciter velamen, ex raso serico, & decem ulnarum altitudine: in quo quatuor drabones impetuose se adgredientes effigiati. Coranque venientes terram quinque vicibus osculabantur. Ad exterius vero palatium regressis proponebantur nitidæ mensæ, & conquisitæ epulæ. Atque prope erat in atrio culina regia, ex raso serico facta, & septem tentoriis varii coloris composita. Coramque iis, qui magni fiebant, trini disci ponebantur, & quamdiu mensæ magistri edulia & potulenta proferebant, cantores & musici voces hilaritatis chordarumque sonos miscebant m). Sed finis convivii initium

m) Du Halde Vol. II. p. 124, 125. "If you will believe the Chinese, they are the first inventors of music, and they boast of having formerly brought it to the highest perfection. But if what they say be true, it must have strangely degenerated, for it is at present so imperfect that it scarcelly deserves the name. At present music is seldom used but at plays, feast, marriages, and on such like occasions. But when they sing, they never raise and fall their voice a semi-tone, but only a third and fifth, or an octave, and this harmony is very charming. In like manner the beauty of theirs concerts does no consist in variety of

tium saltandi ludendique fuit formosis filiis & adolescentibus: & in plurimis atrii locis cibaria, minutim concisa, modeste concurrenti turbæ distribuebantur. Epulis vero & convivalibus fabulis ad serum diei perductis, aulæum palatii demittebatur: quod abeundi signum erat.

§. IV.

Die vigesimo septimo mensis Muharram, & quidem vesperascente cœlo, novi anni principio, noctem in diem vertere, & ædes, fora, columnas & templa laternis illuminare, mos & lætitia erat n): quarum multo splendore, velut fausto futuri omine, imperator nigro indutus (alba enim lugubris vestis o), & comitatu ac incessu magnificus, ex palatio ad castra, maximam & elegantissimam fabricam,

voices, or the difference of parts, but all sing the same air.

n) Hist. Mod. des Chinois P. V. Cap. III. p. 120.

o) Ab his dissentit P. Venetus, qui magnificentiam hujus festi describens (Lib. II. C. XV.) ait: "In die Calendarum Februarii, qui initium est anni Tartarici, magnus Cham & omnes Tartari, ubicumque sunt, maximum &

eam, tarde & novemdecim annis perfectam, se contulit. Hoc loco, quo undique multa millia hominum confluebant, præfecti & magnates hospitio & sumtuoso convivio excipiebantur. Et ut animo etiam bene valerent, in atrio jucundum edebatur spectaculum p); plurimis lampadibus illuminata turri, in coniferæ speciem facta, & a summo ad imum ramis cupressi cooperta. Illo autem anno, quo Gajàs Eddin aulam Chatajensem visit, cærimoniæ hujus rogi non constitit sua festivitas, prævio astrologorum monitu, & luctuosi ignis præsagio. Ominis autem fides alio vertebatur. Re-

solenne celebrant festum, omnesque unanimiter tam viri quam mulieres student albis indui vestibus, vocantes diem illum Festivitatem alborum. Nam credunt vestem albam bonum habere fatum." Quamquam festivitati diei vel noctis pompa lugubris minus congruere videtur, tamen, cui habenda sit fides, P. Veneto, an Nostro Gajás Eldin, penes lectorem sit judicium.

p) Hist. Gen. des Voy. Tome XX. p. 270. "l'Edifice de la Comedie est une grande salle, avec un theatre orné de figures fort bien peintes &c."

gium enim palatium, fulmine deinceps tactum, incendio consumtum est. Per septem quoque dies in tentoriis q) vitam transegit imperator: quo tempore otio & voluptati, ludis & deliciis indulsit, data mancipiis libertate & reis impunitate.

§. V.

Cum studium venandi placeret, magnificentia r), apparatus & ordo agminis erat talis

q) M. P. Venetus Lib. II. C. XX. "Tentoria magni Cham tali ordine sunt disposita. Primum est ingens tentorium, sub quo commode manere possunt mille homines. Juxta hoc ad occidentem aliud est erectum, in quo Regis est Aula & Consistorium: quod intrat, quando cum aliquibus vult loqui. Huic ab altera parte adjunctum est cubile, in quo Rex dormire solet. Sunt praeterea & alia erecta tentoria juxta illa tria, in quibus uxores, filii & ancillae Regis morantur. — Tanta est tentoriorum multitudo, ut a longe adventantibus appareat illic insignem conditam urbem."

r) De magnificentia Imperatoris Chatajani in venatione, copiose disserit P. Venetus in libr. II. C. XVIII & XIX: quae, quamquam nostro scriptori Gajás Eldin lucem & robur ad-

lis s). Imperator coccineo amiculo, item adversus pluviam parato pallio, quod utrumque auro intertextum erat, velatus, & reposita in thecam sericeam barba cognitus, equo eximiae magnitudinis & nigri coloris vehebatur. Dextra laevaque praefecti & magnates comitabantur: & duae lecticae, superne tectae, filiarum vehicula, alterum majus, quod viri, alterum minus, quod ancillae gestabant humeris, sequebantur. Intervallo autem unius stadii populus incedebat. Atque ubi castris erat locus, campus, quingentos pedes in latitudinem, totidemque in longitudinem patens, muro sepiebatur: in quo medio duo tentoria, sumtuose & eleganter contexta, utrumque qua-

ferunt, tamen voluminis proposita magnitudo impedimento est, quo minus in contentionem venire possint.

s) Hist. Gen. des Voyages Tom. XXVII p. 240 & 391. "En effet, ces sortes de chasses resemblent plus à des expeditions militaires qu' à des parties de plaisir. Les Tartares, qui composent le cortege de l'Empereur, sont armés d'arcs & de cimeterres, & divisés en compagnies, qui marchent en ordre de bataille sous leurs etendards, au son des tambours & des trompettes."

quadri forma, & pari circuitu, imperatori ejusque domui ponebantur, defixis humi columnis. Circumcirca nobilis comitatus & sua habebat, ex flavo aurumque spargente serico facta. Ejusmodi venationi etiam Gajâs Eddin, ut ipse refert, interfuit, non autem sine summo vitæ periculo. Cum enim imperator inter venandum equo, quem ille ejusque comes Schadi muneri dederant, ex improviso cecidisset, his advenis vehementer iratus est, veniam autem delicti dedit, intercedente homine gravissimo t), datoque responso, illum equum ad Timurum pertinuisse, & ab ejus filio, principe Schaharach, imperatori Chatajano, honoris caussa, missum fuisse. Cum præterea, negotii caussa, ad aliquem locum proficisceretur imperator, cultus barbaræ opulentiæ non alium magis honestavit. Equo aut lectica eminens tum vehebatur, stipante magna mulierum & musicorum caterva. Comitabanturque quatuor circiter millia hominum, excelsa statura, equitem fere exæquante: quos auratæ loricæ & galeæ, internitentibus gemmis, texerunt vel ornarunt. Agmen vero ducebant mille armati, qui stric-

tas

t) Ejusmodi casus Histoir. Gen. des Voy. T. XXVII. p. 231 mentionem facit.

tas acinaces, totidemque alii claudebant, qui clavas magni ponderis humeris ferebant. Mille item homines, armis acupictis fulgentes, ab utroque latere procedebant: qui, vexillis & laternis varii coloris de cuspide gladiorum suspensis, pompam itineris auxerunt. Sic & quocunque hospitii loco, quicquid ad vitæ necessitates vel delicias pertinebat, cura gubernatoris & sumtu imperatoris etiam paratum erat: & quamcunque urbem accessit, occursu hominum, adulatione salutantium, & liberalitate nobilium excipiebatur. Cum autem spatio unius parasangæ metropoli appropinquaret, equo vel mulo sine omni pompa vehebatur, omnisque generis supellectili plaustris imposito, urbem ingrediebatur u).

---

u) P. Venetus libr. II. C. XX. "Venatu expleto, Rex domum redit, & per tres dies celebratis conviviis, omnes quos ad hoc vocavit spectaculum, ad propria reverti concedit."

SECTIO

SECTIO TERTIA

DE RE SACRA ET LITTERARIA.

§. I.

Memoriæ proditur, gentem Chatajanam omni divino humanoque cultu antiquitus rudem fuisse, tempore autem & die in persuasionem Numinis & doctrinæ conformationem evaluisse. Primus, qui docuit, Deum esse mundi conditorem, rebusque humanis consulere, Schaknuni nomine celebratur, quo autem loco & genere ortus, incertum. Vocique tam salutari, quæ primum displicuit, paullatim assensio, & tandem fides divini afflatus facta est. Ex quo in honorem Sancti & Vatis, post fata, conditum quoque fuit templum, spatio & opere celeberrimum: quod adire & venerari, superstitiosis sacramentum est. Nec procul est locus, singulari pietati dedicatus. Mediæ vicini montis parti infixus hæret clavus, illigata fune, cujus tractu, & humi sedendo, per quadraginta dies & noctes inedia toleratur, nec nisi medice haustuque decocti, herbis & radicibus parati, vivitur. Cavenda quoque

que momenta ſunt ſomni; qui ſi obruerit, ſubitam mortem affert. Paucis tamen id eſt animi aut virium, ut cœlum tam miſere & periculoſe mereri velint aut poſſint a).

§. II.

Latius vero an pateat religio, quam Schaknuni inſtituit, in ambiguo eſt. Id dubitationem non habet, Chatajenſium pleroſque loco Numinis ſimulacra, in ſpeciem animalium aut rerum effigiata, complecti & colere. Hæc plurima, nec eadem omnibus: & ſua ſequi ac tueri, ſingulis impune licet. Tanta eſt in ſumma barbarie humanitas. Sic alii ſolem, aquam alii, alii bovem antiquius & rudius venerantur b). Quorum vero cogitatio foras

---

a) Kanun Name. Et Venetus p. 58: Sunt & *aliis locis* monachi & varii idololatræ, — vitam auſteram ducentes; nam nihil comedunt, præter farinæ purgamenta aquis diluta — dormiunt ſuper rigentia ſtramina.

b) Kanun Name. Et Armenus in Hiſtoria Orientali p. 2: Aliqui ſunt, qui colunt idola de metallo, alii vero boves adorant, quia terram laborant — alii colunt magnas arbores, alii naturalia, alii aſtronomiam, alii ſolem co-

foras eminet, nec in effectu consistit, sed ad auctorem adscendere nititur, iis placet, duo statuere principia, summa & æterna, unum spirituum, alterum corporum caussam & originem. Et sua cuique ut vis, ita religio tribuitur. Priori enim, cujus est bona animi, rationem, judicium & sapientiam largiri, thure supplicatur: posteriori, cujus nutu & auspicio munera fortunæ, opes & divitiæ contingunt, ex his ejus beneficiis litatur. In commune autem trecenta in honore sunt numina, quæ tamen non semper fuisse, sed omnia ex uno supremo, cœli & terræ parente, generata esse, credit vulgus, aut vetustas finxit. Et superis illis naturis dedicata sunt templa, varie ornata. Nec desunt cærimoniæ, quæ pro magnitudine cœlestium aut instituto majorum differunt c). Quin etiam Imperatori religionem Numinis tribuere, moris est. Cum cætera Numina sola mente intelligere oportet,

---

sunt, alii vero lunam. Item Venetus p. 132: Colunt viri Zimpagrii varia idola, quorum quædam habent caput bovis &c. & p. 143: Habitatores regni Var — adorant bovem, ut rem sanctam, nec ullum occidunt..

c) Kanun Name.

oportet, tum Cæſareo non præſentius aliud, neque ſtudiis magis propitium invocatur d). Et magnus ex hoc imperii arcano eſt uſus. Opinio enim divinitatis neceſſitatem obſequii aut metus imponit: unde inconcuſſa reſpublica, robur & ſecuritas.

§. III.

Sed ſi qua alia gens, certe Chatajana alieni ſacri patientiſſima eſt. Quantumcumque barbara & immanis exiſtimatur, libertatem ſentiendi de Deo, quæ quisque velit, dicendique, quæ ſentiat, facile tribuit; perſuaſo, neminem in tanti re momenti aut volentem errare, aut nolentem credere. Atque id non ſolum jus civium, ſed etiam fas gentium appellatur. Si enim indigenis proprium

 eſt,

---

d) Kanun Name. Et Venetus p. 73: Fronte ad terram demissa (Magnum Cham) quasi Deum adorant — vadunt ad altare, quod in aula positum consistit super unam tabulam depictam rubro colore, in qua scriptum est nomen Magni Cham, arreptoque thuribulo, & redolentibus speciebus illi impositis, ad honorem Magni Cham cum multa reverentia tabulam ipsam & altare suffumigant.

est, iisdem majoribus, sepulcris & moribus uti, hoc commune cum ceteris habetur, quod eadem ratione sentiunt, differunt & concludunt. Hinc par in omnes humanitas. Nec ex peregrino sacro, etiamsi vulgatum fuerit, aliquid vitii gentilitio & suo timetur, comperto, prohibitos sermones eo plures fieri. Adeo rem sacram ut filiis domi & in honesto cœtu discere, ita sacerdotibus in publico administrare liberum stat & incolume. Licentia autem probri cavetur aut punitur. Cum vero multa egregii hujus temperamenti exempla sunt, tum unum, quo non aliud illustrius, adferre satis erit. Turba Chatajensium, advectis in Chatajam Muslemiis invida & inimica, nomina eorum ad Cæsarem detulerat, arguens superstitionem, & consilio tam fœdæ gentis expellendæ dato: hic autem respondit, similis sævitiæ exemplum nec in regni annalibus reperiri, nec se dare velle; & addidit, non cogitata hominum, sed facta suæ ditionis esse. Res tantum civilis, avita jura, vis legum, potestas magistratuum, & obsequia civium, huc omnis cura & cogitatio sua redit: & ratio honeste vivendi magis, quam recte sentiendi habetur. Deo curæ sunt, sic judicatur, Dei injuriæ, & illius

illiûs est, animadvertere in impios, & lapsis ignoscere e).

§. IV.

Animi vero constantia, qua Chatajani religionum diversos, perinde alienos ac suos ferunt, quo rarior virtus, eo altius repetenda videtur. Chataja, terrarum pars extrema, etsi spatio & metu a cætero orbe separatur, tamen cœlo soloque amœna & fœcunda, inopes & disjunctissimos homines in sua arva & oppida multo ex tempore traduxit. Et advenis ut sibi tecta & opes, ita suo Numini templa & aras parare licuit. In his memorem Muhammedanos, Judæos & Christianos; quorum diversa de cœlestibus persuasio & contrarii ritus nec in vitiis nec in virtute ponuntur. Illarum vero gentium placita, quamquam æque excusata, tamen non æque probantur. In Islamismum magis propendet animus. Primum genera voluptatis, quæ hæc

e) Kanun Name. Et Venetus p. 63: Cublai (Cham) — mandans Judæis & Saracenis, cæterisque Christiani nominis blasphematoribus interdicebat, ne ullus eorum Christianorum Deum amplius blasphemare præsumeret.

hæc religio in cœlo pollicetur, genti in libidinem projectæ irritamenta credendi oſtentant. Deinde quanta Muſlemiis ſui erroris pertinacia, tanta cujuscumque alius divini cultus incuria eſt: ita ut ex hac ſuperſtitione nihil novi & læſuri timeatur. Et tandem Muhammedanismus liberæ & infinitæ poteſtati, qua non melius coërcendæ Orientalis licentiæ remedium datur, magnopere favet. Ergo Muhammed magni fit, & argumentum reverentiæ eſt nomen, quo honeſtatur. Vocabulo enim gentis Schin Chin (شين جين) appellatur, quod Latine Præſtantisſimus hominum vertitur. Et fama eſt, imperatorem Din Taj in morem Muhammedanum tranſiiſſe, ejusque exemplum multos Chatajenſium, in vultum & imitationem principis compoſitos, eſſe ſecutos f). Minor vicisſim eſt Chriſtianismi amor aut favor. Quo enim ſublimiora credendi agendique præcepta hic tradit & inculcat, eo minus placuit genti, quæ nihil non ad natu-

f) Conferas cum his, quæ Armenus in sua Historia Orientali p. 37 - 47 de Magno Can, regis Cobila (i. e. Kublai) Can antecessore, qui in religionem Christianam transgressus perhibetur, memoriæ prodidit.

naturam & fortunam, rationem & opes refert. Suspecta sunt sacra illius arcana, & invisa disciplinæ suæ moralis severitas. Accedit, quod Christiana religio, quæ modum & temperamentum in regimine generis humani commendat, ingenio Orientali, ultimæ aut servitutis aut libertatis cupido, non satis congrua videtur. Et denique fastidium ejus & fugam cumulat ambitio & avaritia Jesuitarum; quorum habitus in pietatem palam compositus est, intus vero summa inclarescendi ditescendique cupido latet. Ad Judaismum quod attinet, quæ illius est ubique terrarum fatalis necessitas, angustia & contemtu is laborat g).

§. V.

Hæc satis de peregrino sacro. Sequitur, ut quis Chatajanis sit litterarum & artium status, & quæ eas colendi vis & ratio, paucis differam. Ingenium Chatajanum, pro varietate cœli solique, temperati, fervidi, robur majorum & Tartarorum, cele-

g) Kanun Name. Et Histoire Moderne des Chinois &c. Cfr. Du Halde p. 639. Vol. I. & p. 131. Vol. II.

celeritatemque conservorum & Chinensium refert. Affirmatur, quanticumque fastigii id capax esse, ita ut quod altum in Mathesi, acutum in adagiis, splendidum in carmine, & venustum in elegantioribus artibus assrqui possit. De his autem breviter & ordine. Astronomiæ operam dare, hæc in sua gente laus, hoc nomen est: quia sublimi studio patens & illustre cœlum prodest. Quantoque quis hujus scientiæ facultate promtior est, tanto plus gratia apud Principem, plus auctoritate apud patres, plus admiratione apud populum valet. Et qui ceteros antecedunt, ex iis optimos & quidem numero quatuor deligit Cæsar, quos in palatio magnifice sustinet, nec sine reverentia amat. Cura eorum & officium est, conversiones cœli observare, solis, lunæ & siderum cursus dimetiri, spatia temporum, annum, menses & dies definire, & calendarium emendate scribere. Fastique, sic compositi, Cæsari primordiis anni offeruntur, & in plurima deinceps exempla descripti, ex urbe in provincias exeunt. Et copia ut celeriter fieret, necessitas & typographiæ inopia hoc ingenium fecit. Cumulantur decem folia, charta adeo subtili, ut uno tempore eodemque stilo facile quis ea omnia assequi pos-

sit

fit h). Hoc autem in Aſtronomiæ ſtudio eſt vitium, quod Aſtrologiæ, credentibus fallaci ſcientiæ, fides & opera adhibetur. Quo quisque fato natus, & quid cuique eventurum ſit, obſervatione ſiderum, trajectione eorum & motu intelligi & prædici poſſe non dubitatur: blandiente ſuperbia, genti inſita, ſcilicet naturam humanam ad vim divinam, præſenſionem & ſcientiam futurorum, magnificam & ſalutarem rem, poſſe accedere i). Incantationibus

h) Kanun Name. Et Venetus p. 123: Est — in provincia Mangi diligens observatio motuum cœlestium, ut etiam cujuslibet nascentis pueri horoscopum accuratissime observent, advertentes diem & horam nativitatis, & quis planetarum tunc dominium principale habuerit. Item Du Halde p. 131. Vol. II: The application and fondness, which the Chinese have always had for Astronomical Observations, has caused them to erect a Tribunal of Astronomy. — This Tribunal is obliged to present the Emperor with a Figure — wherein are set down the alterations of the air &c. The principal work of this Tribunal is the Kalendar, which is distributed every year throughout the empire.

i) Kanun Name. Et Venetus p. 143: Sunt

bus autem & veneficiis uti, proprium est imperitæ multitudini, cui callida ingenia facile persuaserint, his malis artibus commoda parari, aut pericula depelli. Ea præterea est animi levitas aut judicii infirmitas, ut, si fulserit, si tonuerit, si tactum aliquid de cœlo fuerit, si ostenti simile natum factumve quippiam, certa ominis fides in eo ponatur k).

§. VI.

Chatajensium vero in rerum humanarum scientia melior est fama. Primordiis omnium fere gentium rudis, nec ad certam rationem digesta cognitio sententiis & carmide continebatur. Quæ ad religionem & virtutem pertinebant, ea compendiose per præcepta tradebantur, tanto validiora, eum non circuitu argumentorum, disputando monendoque, sed recta ad honeste sentiendum & agendum

multi Magi, auguriis & divinationibus vacantes. Et p. 45: Tunc Chinchis Tartarorum Rex præcepit incantatoribus & Astrologis suis, ut illi indicarent, qualem eventum prœlium futurum esset habiturum.

k) Kanun Name. Et Venetus plurimis in locis.

agendum via, jubendo cogendoque ducerent. Ne autem nimia severitas audientium animos offenderet, quicquid vulgo cognosci expediret, in utilitatem & gratiam, brevibus, acutis & numerosis sententiis concludebatur. Brevitas enim præcipientibus necessaria est, ut obedientes celeriter arripiant, & fideliter teneant: acumen attentionem & stimulum addit: & concinna justaque pedum & numerorum moderatio animum delectat & tenet. Quamobrem ut Hebræis & Græcis, ita Chatajanis placuit hoc sententiosum figuratumque docendi genus. Cogitandi sollertia & adagiis, fingendique arte & versibus cognita est gens. Et antequam signa vocum inventa, aut saltim in commune recepta essent, quæ numero quadraginta, Characteres Chinensium & Japanensium in quibusdam referunt l), eorum vicem sententiæ & carmina, quæ a majoribus ad posteros memoriter transierunt, explebant. Quoniam vero inter pangendi pingendique

l) Kanun Name. Et Armenus in Historia Orientali p. 2. refert: Isti vero Chatajani valde pulchras habent litteras, quæ Latinis litteris in pulchritudine quodammodo similes sunt.

dique artem magna eſt neceſſitudo, in hac non minus quam in illa quid efficere poſſent Chatajani, experti ſunt. Natura non ſolum acutos ad videndum ſenſus, ſed etiam aptas ad agendum manus iis tribuit. Nec alia terra vel meliores res ad uſum, vel pulchriores ad ſpeciem offert. Quarumque ſimilitudinem ex vero effingere, præcipua Chatajenſium cura & laus eſt. Celebrantur picta, ficta aut cælata illius populi opera, quibus nihil cogitari ſollertius, aut effici pulcrius poteſt. Excellens vero & multiplex ingenium ſuperbiam peperit. Se ſolos eſſe ſapientes putant Chatajani, cæterosque mortalium cæcos appellant m).

m) Kanun Name. Et Armenus libr. cit. p. 1: Homines (Chatajani) sunt sagacissimi & omni calliditate repleti, & ideo in omni arte & scientia vilipendunt omnes alias nationes, & dicunt, quod ipsi sunt soli, qui duobus luminibus respiciunt, Latini vero uno lumine tantum vident: sed omnes alias nationes asserunt esse cæcas. — Et vero tot res mirabiles & diversæ, ac ineffabilis subtilitatis & laboris manuum ex illis partibus deferuntur, quod non videtur esse aliquis, qui in talibus se illis valeat comparare.

SECTIO QUARTA

DE RE JUDICIARIA.

§. I.

Imperatoris Chatajani est, non principis modo sollicitudinem, sed etiam parentis affectum subditis exhibere. Vivere modeste, & juste imperare, tam regium quam civile judicatur. Vim enim & superbiam minime tolerant, qui obedire, non servire, didicerunt. Tamen imperii patientissima est gens, si Cæsar, ut religionem & pietatem, ita justitiam & leges coluerit. Et ignavia, quo latius nocet, ubi in imperatore fuerit, eo magis vitanda. Ergo quantum temporis alii otio, luxui, & quæ cetera sunt Orientalis aulæ vitia, tribuunt, tantum hic ad res considerandas adhibeat. Noscere suos, nosci illis, suum cuique tribuere, castigare improbos, tueri bonos, & publice prodesse, hoc officium, hæc cura est. Exinde fas disciplinæ, & obsequii amor. Nec cunctanter in Senatum eat. Abesse, impune non licet: quod si semel factum fuerit, lapso ignoscitur, sin ter, culpa inest, & adimi jus

im-

perii, lex jubet a). Exercendi autem judicii hæc ſunt ſollemnia. Sedet pro tribunali Cæſar, & a latere duo ſtant homines, qui ſententiam ſcriptam, audiente populo, prælegunt, eamque, baculo flavi coloris alligatam, in faſtigio palatii fune ſerici ſuſpendunt b).

§. II.

Sed facilius ut componantur lites, quibus apud gentem, copioſam & inquietam, plurima eſt origo, paſſim tribunalia inſtituere fas fuit. Pro numero & amplitudine provinciarum hæc duodecim: & ſingulis tres homines, unus ſapientia in ſen-

a) Kanun Name. Et du Halde p. 243. Vol. I: An Emperor is obliged to attend to the minutest matters, which concern his people, that he is not elevated to so high a station to divert himself, but that he should place his diversion in discharging the duties of the Emperor, and prove by his application, vigilance and tenderness for his subjects, that he is the Father and Mother of his people. When his conduit is not agreable to this idea, he falls into the utmost contempt.

b) Kanun Name.

sententiis ferendis, alter diligentia in publica pecunia vindicanda, tertius fide in ærarii custodia, spectati præsident, qui suo quisque officio intenti agunt, invidia aut metu c). Omnia tamen, ne spes impunitatis illecebram peccandi faciat, censoriæ supremi & imperialis judicii severitati obnoxia sunt d). Ut autem, quo loco & a quibus aliquid contra jus dictum fuerit, commode internoscatur, tribunalia in universum, non forma modo signorum, quibus tabulæ consignantur, sed genere etiam litterarum, quibus scribuntur, differunt. Nobilisque est signorum materia, species terribilis. Jaspide enim subalbicantis coloris & magnitudine palmæ elaborata, vigilis & sævi draconis effigiem ea monstrant e). Varia etiam libellorum pro dignitate tribunalium materia. Sed codicilli, quibus edicta provincialia rubro scripta vulgantur, ex serico parati sunt: illi vero,

c) Kanun Name.

d) Kanun Name. Et Venetus p. 81; quidquid (præfecti provinciarum) ordinant, regi indicant, qui sua auctoritate id confirmat, quod illi statuendum duxerint.

e) Kanun Name. Et du Halde p. 243. Vol. I: The Emperor's seal is — of a very fine jasper.

vero, quibus juſſa imperatoris publicantur, tabulæ ſunt aureæ vel argenteæ f), inſculpto leonis, accipitris vel ſolis ſimulacro g), & addito religionis nomine, ſcilicet Nogai (Idoli) h), ſi Idololatris dati fuerint, Tangri (Dei), ſi Muhammedanis aut Judæis, & Meſſiæ, ſi Chriſtianis. Præcipua hæc judicia, quæ per pagos & urbes jura reddunt, Sub-

f) Kanun Name. Et Venetus p. 4: Ipse (Cublai Cham) tabulam auream, signo regali sculptam & insignitam juxta imperii sui consuetudinem illis tradi jubet, quam commeatus loco secum per totum ejus regnum deferentes ubique a provinciarum & civitatum rectoribus per loca discriminosa salvi deducerentur.

g) Kanun Name. Et Venetus p. 64: in latere (tabulæ) sculpta est imago leonis cum sole vel luna, vel imago grifalchi, aut reliquorum animalium.

h) Kanun Name. Et Venetus p. 49: Colunt Tartari pro Deo Numen, quod Natagai vocant. — Hoc numen in maximo habent honore, nec est aliquis, qui in domo sua illi non imaginem dedicaverit. Vocabulum Nagai apud interpretem Turcam vitio forte Typographi pro Natagai expressum esse, putaverim.

Subjecta vero illis sunt & alia, socia & administra, atque in sola regni se de Kambalu, & quidem exterioribus palatii partibus sex istiusmodi instituta habentur. Qui iis praesunt, omnes Viziri vocantur. Genera vero officiorum diversa. Unius est, negotia provincialia administrare, alterius, publicae pecuniae, in varios usus erogandae, curam gerere; tertii, rei frumentariae, ligni & pabuli copiae animum intendere; quarti, exercitus comparare, lustrare & ducere; quinti, publica aedificia & munita loca, decora in pace, praesidia in bello, tueri; & sexti, carcerum vincula, in crescentis audaciae terrorem, sollicite corroborare i).

§. III.

At quam sancte justitia servatur, tam graviter in maleficia animadvertitur. Sed vindicandi ratio ac diversitas ex delictis est. Gravioribus impendent tormenta, crux, ignis manusque adustio, & alia, quae tyrannis invenit, aut gentis effrenata audacia postulat k). Levioribusque pro modo poena est:

i) Kanun Name.

k) Kanun Name. Et du Halde p. 313, 314. Vol. I.

eſt: eorumque compertos manent verbera, fœtida ciſta, torques plumbi magno pondere, tabula in modum feretri facta, jugulo ſuſpenſa, & in populi ſpectaculum ferenda, graves & plumbei compedes, catenarum nexus, & quæ reliqua ſunt turpitudinis aut doloris inſtrumenta l). Peccata vero ſi parva fuerint, iis multa, oryzæ, tritici vel milii modius, irrogatur: quæ, ſi ſolvi non poſſit, in ſervitutem mutatur. Cuſtodiamque elephantorum, excubias urbis, & ſimilia ſervientium mala definito temporis ſpatio perferre oportet. Sui demum poteſtas per preces & verbera impetratur. Qui autem tali modo ex ſordida vivendi conditione exierit, ille, in recuperatæ libertatis indicium aut veteris infamiæ memoriam, per vicos urbis, ſpectante populo, & comitante vigilum cohorte, ducitur. Ad carceres quod attinet, hic eorum habitus. Foro imminent, cohærente curia, ut palam ex alieno malo utile ſit exemplum; & ſeparati cubilibus degunt vincti, præcipue qui ſexus diverſi ſunt. In Kambalu

---

l) Kanun Name. Et du Halde p. 311. Vol. I: This (wooden Collar) is composed of two pieces of wood hollov'd in the middle, to fit the neck of the offender.

Kambalu duo numerantur, unus Mekbu dictus, qui ad majoris sceleris, alter Schinbu, qui ad minoris terrorem exstructus est: utrique hoc etiam discrimine cogniti, quod pauci ex illius, plerique ex hujus opaco & robore in lucem & libertatem vindicantur. Quibus vero & aliis passim obviis locis præfecti sunt tres homines, potestate jubendi & pompa servitii eminentes, qui de reorum nomine, judicio & crimine experti, eos omnes ad sua quemque vincula custodire ducendos, unaque per diem vice necessitatibus vitæ instruendos curant m).

§. IV.

Hæc de suppliciis in genere: jam speciatim de iis dicendum. Jus adimendæ vitæ, quam Deus dedit, cum illius solum esse putetur, qui Dei vices in regimine generis humani gerit; de rebus

m) Kanun Aame. Et du Halde p. 310. Vol. I: These prisons — are situated at a small distance from the Tribunals. — There are even cooks to dress their victuals, and every thing is done in order, thro' the care of the Officers. The Womens prison is separate from that of the Men.

capitalibus decernendi poteftas imperatori competit. De iis cognofcere, judiciis inferioribus folum datum eft n). Homicidium vero, quo non gravius aliud fcelus, morte multatur, & hujus crimine convictus, ad tribunal ducitur imperatoris, qui, re cognita, capitis damnat. Rubro deinde vexillo fignum datur cædis, & carnifices, multi & agminatim, ex palatio in locum fupplicii fe proripiunt, qui præcifum caput patibulo in foro adfigunt o). Adfcribitur quoque non malefactoris modo nomen, fed principis etiam judicium; provido confilio, ne propinqui vel familiares litem iniquæ fententiæ magiftratui intendere poffint. Vifo enim fupremi judicis edicto, metus & filentium fequitur. Spatium vero triginta annorum fatis ad exemplum putatur: quo confecto, caput aqua mergitur, & fcelus quafi

n) Kanun Name. Et du Halde p. 313. Vol. I: No Mandarin or Superior Tribunal can pronounce definitive sentence of death. The judgements passed on all persons for crimes worthy of death, are to be examined, agreed to, and subscrib'd by the Emperor.

o) Kanun Name. Et du Halde p. 312. Vol. I: beheading — is inflicted for crimes of a more enormous nature such assassination.

ſi abſconditur p). At vero pœnarum, quas ſceleribus, in commoda fortunæ commiſſis, lex conſtituit, pro gravitate hic eſt modus. Qui in furto deprehenditur, ſi id parvi momenti fuerit, ille verberibus, ſeptem vel pluribus, ad centum usque pro facinoris gravitate repetitis, cæditur: ſi magni, venter infixo gladio hauritur q). Tamen qui prima vice hoc crimine arceſſitus fuerit, ſi, facta æſtimatione, pretium novies ſumtum perſolverit, pœna liberatur r), ſin minus ad ſupplicium rapitur. Iterum com-

p) Kanun Name.

q) Kanun Name. Et Venetus p. 51; Si quis furatus fuerit rem parvi valoris & vita privati non commeruit, cæditur fuste septem vicibus, aut decem & septem, aut viginti & septem, aut quadraginta & septem, pro mensura peccati ictus inferendo: idque usque ad centum addendo semper septem. Quod si occidi meruit, verso mucrone in ventrem ejus occiditur. Item du Halde p. 311. Vol. I: The bastonade is commonly apply'd for slight faults, and the number of blows proportion'd to the quality thereof.

r) Kanun Name. Et Venetus p. 51: Quod si vitam suam liberare voluerit, restituet furtum in noncuplo.

commisisse, tanti est, ut non nisi vita & sanguine expiari possit. Sed pietas in parentes quo sanctior virtus, eo gravior, si læsa fuerit, pœna. Qui coram iis, a quibus vitam, bona & fortunas accepit, dixerit aliquid, quod turpe dictu sit, aut fecerit, quod factu inhonestum, ille communi hominum societate, cui securitatem debet, indignus censetur, &, judicio extra ordinem constituto, carcere diu tenetur. Neque ex tenebris & sordibus sine nota turpitudinis exire licet; honeste enim nato stigma servorum inuritur s). Peregrinis contra cum non juris, tum nec injuriæ eadem est regula; ita ut, si civibus plus privilegii datum sit, ab his minus supplicii sumatur. Mira est naturæ diversitas, eorum personas & instituta contemnere, flagitia autem & scelera carcere tantum & multa adficere. Illud cognitio sui & amor patriæ, hoc humanitas & hospitium vocatur t).

§. V.

Unius vero pœnam ab altero repetere, tyrannica lex aut consuetudo esse videtur. Si homo, nobilitate

s) Kanun Name.

t) Kanun Name.

litate aut fortuna insignis, crimine capitis accusatus fuerit, illius familiam sua innocentia non tuetur. Sors filiorum tum exit, nomina militiæ dare, conjugis & filiarum, in cauponas detrudi. Illis, quibus perpetui servitii necessitas imponitur, vulnera in bello, non præmia virtutis mereri licet: his, quibus vilia & promiscua amoris commercari otium & negotium est, honestas nuptias ambiendi omnis spes adimitur. Atque hæc disciplinæ atrocitas illuc spectat, ut ex scelerato sanguine nihil, nisi quod humile aut flagitiosum sit, in posteros transeat. Fœdæ autem superstitionis documentum est persuasio, illarum precibus mulierum placari numen iratum, quasi impudica magis & facinorosa, quam pura castaque mente id lætaretur. Scilicet, ubi annonæ difficultas ex aquæ inopia timetur, eo loci mittere hæc scorta usitatum est. Locique delubrum & idolum aditur, & in fame, continentia, lamentis & suspiriis divini spes auxilii ponitur. Adest etiam cantantium & saltantium chorus, qui numeris & modis, velut facta quadam pro votis adorantium conspiratione, consentit u). Et ut pluvii favor

u) Kanun Name. Si placet, his conferas,

vor cœli exemplo provocetur, aqua in ſpeciem hauritur. Votoque ſi propitium Numen non affuerit, nec nubes in imbres coëgerit, iræ cœleſtis piaculum, & neci hæc mulierum caterva deditur. Cum autem Deo gratior exiſtimetur, qui hanc religionem & cærimoniam templo, quam qui probitatem intulerit; cognitioni illius & uſui plurimum temporis & operæ in cauponis tribuitur. Et quidem eo facultatis proceditur, ut turpe agmen, quamcumque perſonam, actoris, hiſtrionis, velit, commode induat, mire gerat, & cum applauſu deponat. Nec inhoneſtum aut illicitum eſt, in foro & per vicos ſuam artem oſtendere; tamen non aliud pretium, quam voluptas ſpectantium accipitur. Stipendium numerat Cæſar: & meretricium quoque quæſtui eſt; quamquam adeuntes, ſi capti fuerint, interfici lex jubet. Multi enim fuerunt, qui

quæ Venetus nobis tradidit p. 144: Sunt ibi multa monasteria, in quibus idola coluntur: & his aliqui consecrant filias suas; quas tamen domi conservant, nisi quando idolorum sacerdotes volunt sua sacra facere, tunc vocant puellas consecratas, & cum illis in conspectu idolorum choreas ducunt, atque magnos & inconditos reboant cantus.

qui his locis voluptatem dolore & paupertate emerent. Et denique infami vitæ par exitus est. Mortuis enim non sepulcrum & exsequiæ parantur, sed corpora in mare conjici fas est, quasi hæc fluctibus jactata ablui, aut vitia in aquis demergi possent v).

SECTIO QUINTA

DE RE MILITARI.

§. I.

Chatajani, ut quibus plus ingenii & sollertiæ, quam roboris & virium inest, certa & tuta pro novis & periculosis malunt. Grata genti quies: tamen crimen inertiæ procul. Ut superiores agant, sudore magis quam sangvine merentur; quippe cum agris illaborare, aut artes colere, id nomen, ea gloria sit a). Hinc majores in pace quam in bello

v) Kanun Name.

a) Cfr. Partem hujus operis IV. & §. V. &

stituta sit, præeunte Orientali nostro auctore, jam dicetur.

§. II.

Ut prævideatur impetus hostium, satisque virium ad arcendum sit, sic instituere majores, & posteri imitantur. In finibus regni passim conditæ sunt turres, loco & opere eminentes, in quarum fastigio, quid moliantur exteri populi, ex longinquo cognosci potest. Atque ut eo tutius in alto agatur, applicatæ iis sunt scalæ, funibus contextæ, quas sursum tollere, viso hoste, ex facili est. Ut & in casu obsidionis, ne ex siti & fame periculum deditionis fiat, satis aquæ & commeatus ibi congestum. Adsunt etiam excubiæ, diurnæ, nocturnæ, quibus imperatum est, campanas per vices & sine intermissione pulsare. Hoc documentum vigilantiæ. Et comperto, vim externam immine re; signum periculi datur, fumo per dies, igne per noctes; quod e propioribus castellis repetitum, ad remotiora continuatur, ea celeritate, ut quod menstrui sit itineris, unius spatio diei percurrere possit ingruentis mali nuntius & fama. Sollertia vero sollertiæ additur. Iste enim ignis

aut fumus, si ab oriente formido impendeat, uno loco, si a septentrione, duobus, si a meridie, tribus, si ab occidente, quatuor locis excitatur. Sic Chatajanis, si fortitudo in agendo defuerit, satis consilii in providendo suppeditat.

§. III.

Prœlii autem committendi hæc est ratio & consvetudo. Per exploratores cognito, hostem appropinquare, castris faciendis opportunus locus quæritur. Et ut adversus subita & infesta præsidium sit, vallum & fossam circumdare moris est. Neque in hac opera satis spei & auxilii ponitur. Circa etiam opposita sunt plaustra, ut non nisi per ardua & invia aditus irrumpere cupientibus pateat. Arma vero Chatajanis bombardæ & tormenta pulveris pyrii sunt, quibus datur ignis, non solum ubi signa inferre, sed etiam ubi castra ponere placuerit. Spargunt quoque missilia, quæ veneno inficere, pars barbari ingenii est c). Excer-

c) Paulus Venetus lib. cit. p. 48: "Tartari — sunt, sagittarii optimi, a pueritia ad arcuum excercitia adsveti."

exercitusque caute ducitur, a fronte & utroque latere trahentibus vehicula jumentis, ne nudatam aciem ex nec opinato hostis invadat. Ejusque originem moris inde repetas, quod sæpe accidit, ut plus cladis in via, quam in certamine acceptum fuerit. Documento sit Chin Chararek, cujus temeritatem fortuna deprehendit. Hic enim cum copias incuriose duceret, tantum trepidationis in latera & a tergo incursantes exortique ex regione Kalmak insidiatores fecerunt, ut neque animus ad pugnam neque spes ad fugam cuiquam superesset. Ipse cum omni sua manu anno Hegiræ 854 oppressus est. Quod vero malum posteris utile exemplum fuit, nec amplius tali modo summa imperii in casum ancipitis eventus committitur. Cum ventum in aciem est, plus virtutis, quam pro gentis ingenio (Tartari enim luxuria, & Chinenses natura debiles sunt) ostenditur d). Pugna atrox: & æmulatio fortitudinis pro necessitate est. Præterquam quod strenuis præmium aut honos manet, ii omnes, qui pedem retulerint, proditionis &

d) Paul. Venetus lib. cit. p. 50. "Sunt Tartari homines bellicosi, strenui in armis, & ad subeundos labores intrepidi."

& ad mortem damnantur. Non ætas, non nobilitas, non lacrimæ & preces misericordiam elicuerint. Hinc cessit in proverbium, quantum storeæ est spatium, in usum agri colendi fuga deprehensis non dari. Minus autem sævitiæ in hostes. Qui enim capti fuerint, iis omnibus, si integri sint, ante aciem procedere, si vulnerati, in castris convalescere relictum est: & victoria servitute quidem, tamen sine sangvine constat.

§. IV.

Ad disciplinam militarem quod attinet, imperiis obsequiisque haud male mista & composita est. Ut juribus, ita titulis discernitur Ducum ordo. Singulis qui præsunt decadibus, Schihan, millibus vero qui imperitant denis, Huhu, qui vicenis, Ban Semzen, qui trecenis, Semzen, qui quadragenis, Ban Demin, qui quinquagenis Demin, appellantur e). Rebusque compositis hoc institutum suf-

---

e) Armenus lib. cit. C. XVI: "Præcepit (Changius Cham), quod super quælibet denariorum præponeretur unus, & super decem millia præponeretur unus: & vocavit aciem decem millia armatorum turmam."

ſufficit, iis autem turbatis, cum validiora paucorum quam multorum imperia ſint, auctoritas & conſilium penes tres tantum duces eſt: quorum unus Tajken, alter Dutank, tertius κατ' ἐξοχὴν Demin vocatur. Omnesque viri ampliſſimi ſunt, tamen ex virtute magis quam ex nobilitate delecti. Ille, qui in intimis eſt Imperatoris, & ſecundum a principe hæreditario locum tenet, juris patrii peritus ſupremis judiciis præſidet: iſte, qui vir magni famulitii tabellionumque antiſtes eſt, in arithmeticis exercitatus curam ærarii gerit: hic, qui diſciplinæ caſtrenſi a pueris totum ſe dedit, idem & ducis & militis munia obit. Quid præterea intereſt? quod Tajken & Dutank, qui in aula educati, ademtæ virilitatis ſunt homines, Imperatorem ſui hæredem ſcribunt; Demin vero, cui liberos ſuſcipiendi poteſtas relicta eſt, eos ſuæ tam fortunæ quam dignitatis ſucceſſores habet. Sed ſuæ quisque cohorti exemplo potius quam imperio præſit: & ut quisque bellica laude maxime eminet, ita facillime honores conſequitur f).

§. V.

---

f) Paulus Venet. lib. cit. p. 64: Eum qui antea præerat centum militibus, in gradum ſublimiorem collocat (Chan), atque mille præfi-

§. V.

At vero ne turbetur acies, exercitus in cohortes dividitur, quæ sua habent signa, diligenter intuenda & sequenda. Hæc caudæ sunt equinæ, insigne Tartarorum: quæ si turma decem militum fuerit, albæ, si millesimum vero numerum æquaverit, rubræ præferuntur. Et ut animus concentu quodam virtutis ad pugnam accendatur, a fronte agminis incedunt duo homines, qui tympana impellunt, totidemque musici, qui cornua canunt g). Et ubi castra facere placet, tutamini adversus vim caloris aut frigoris sunt tentoria, ea laxitate, ut decem homines capere possint h). Equis etiam, quibus gens gaudet, in itinere stabula publice parata sunt: &

cit militibus, & sic gradatim reliquos belli duces in digniorem ponit locum.

g) Paul. Venet. lib. cit. p. 62: Est autem consvetudo omnium Tartarorum, ut tubis primum clangorem edant, & tangant cuncta exercitus instrumenta atque altis vocibus cantent.

h) Paul. Venet. lib. cit. p. 51: Quum (Tartari) bellandi caussa in remotas partes expeditionem parant, nihil secum præter arma por-

& si quis in iis alendis incuriose egerit, pro modo delicti pœna sequitur. Negligenter amissi culpa equi æstimatione centum verberum pensatur i). Congruens autem est, ut, qui periculis affuerint, periculorum prœmia consequantur. Si liberi sunt homines, ex ærario stipendium iis datur: si autem nata servituti mancipia, quantum necessitatibus eorum sufficiat, ex fisco Imperatoris confertur. Præsidiariis vero militibus, quorum numerus pro magnitudine urbium differt (minimus est, qui quinquies, maximus, qui quinquagies mille sumitur), viginti drachmæ argenti, quinquaginta oryzæ, & par pondus tritici in singulos menses alimentum legatur. Et ut eo major sit copia rerum, quæ ad victum pertineant, in urbibus commeatus varii generis acervatim, in pomœriis stramen probati usus cumulatim mercantibus repositum est. His sacramentum est, indies & quidem prima luce arma in-

tant atque parva tentoria, sub quibus pluviæ tempore latitant.

i) Armenus lib. cit. C. XLVIII: Tartari si dimitterent frenum in equorum suorum ore, quando pascere se deberent, Deum crederent mortaliter offendisse.

induere, in foro coire, ordines servare, & jussa ducum exsequi. Nemo impune defuerit. Æque utiliter in publicum constitutum est, ut iidem milites, ubi officio satisfactum est, laboribus se exerceant. Scilicet urbibus condendis, aut fossis aperiendis, aut munimentis aliis moliendis militare otium consumitur. Omnesque milites sub tentoriis agunt, præter eos, qui in muris palatii excubant. Adhæc neque his, neque ceteris, qui stipendium equis aut pedibus faciunt, concessum est, ludis aut spectaculis interesse. Ita voluptatum irritamentis non lasciviunt militares animi, nec vitiis magis quam armis vincuntur.

IV. DE PUERILI ORIENTALIUM INSTITUTIONE, DISSERTATIO.

§. I.

Cum in vita hominum multa sunt officiorum genera, tum nescio, an ullum sanctius sit & gravius

us eo, quod ad puerilem inſtitutionem, in qua ſpes eſt plurimorum, pertinet. Humanam naturam, cujus magna eſt vis in utramque partem, ad optimam fingit liberalis educatio. Hæc ingenium excitat, animum regit, adfectus temperat, & vultum habitumque componit. Cætera bona vana ſunt & caduca, & culpâ imbecillitatis humanæ ſæpius vitiorum, ſuperbiæ, luxuriæ & inertiæ, quam virtutum, humanitatis, continentiæ & laboris inſtrumenta eveniunt. Splendor generis a majoribus in poſteros tranſit: tituli ſpecioſi & irriti: voluptates breves & inanes: opes & divitias peſſimi interdum homines habent: pulchritudo & robur tempore ac die pereunt. Sola virtus, ſola doctrina, honeſtæ educationis pretium, immortale eſt & divinum bonum, quod nec eludet fortuna, nec franget morbus, nec debilitabit ſenectus. Hinc cultioribus gentibus non defuit cura formandæ cuſtodiendæque in pueritia verecundiæ & in adoleſcentia virtutis & doctrinæ. Placuit illis eligere homines, litteris moribusque ſpectatos, qui in eo operam collocarent, ut tenera & integra atque nullis pravitatibus detorta natura honeſtas artes ſtatim arriperet. Quod autem duplici modo

fieri solet. Pueri aut domi & intra privatos parietes ſtudent, aut frequentiæ ſcholarum & publicis præceptoribus traduntur. Utrumque bonum; melius autem poſterius videtur. Puer enim in tenebris & ſolitudine ſtudens, ea ſolum diſcit, quæ ſibi ipſi præcipiantur, in ſchola autem & honeſtisſimi conventus luce, etiam quæ aliis. Audit quotidie, multa re & ſententiis probari, multa voce vultuque reprehendi: videt ſæpenumero, ornari promtos, & caſtigari pigros. Sic, ſi minus ſuo ingenio & impulſu, tamen alieno malo vel bono ad fugam doloris & honoris contentionem commovetur. Turpe exiſtimat, cedere paribus, honeſtum, certare cum melioribus; quos ſi curſu vincere non poterit, tamen contentus erit, ſi proximum locum obtinuerit. Eaque æmulatio ad ſtudia colenda plus valet, quam ſeveritas diſciplinæ, parentum vota, & magiſtrorum auctoritas. Adhæc mens humana, quæ in umbratili vita languеſcere vel inani perſuaſione tumeſcere ſolet, in celebritate & hominum ore ad majora inardeſcit, vel ex æquo de ſe & aliis ſentire diſcit. Nec dicere licet, domi tutius, quam in publico moribus conſuli. Receſſus enim malumque ſervitium nec minores

tes nec pauciores peccandi illecebras & occasiones, quam frequens consessus & parum modesta juventus, præbuerint. Magis verendum est, ne juvenes, indulgentia parentum, salutantium adulatione, & voluptatum consvetudine, plus mali in scholam adferant, quam inde referant. His in universum de vi puerilis institutionis & genere disputatis, de Orientali speciatim agere constitui. Quod vero argumentum in cognitione sui salubre & frugiferam erit. Inde enim, quod quisque sibi & reipublicæ imitetur, quod vitet, capere licebit.

§. II.

In perscribenda educatione Orientalium & disciplina, ordinem naturæ convenientem servare studebo, hos homines per vivendi discendique rudimenta & incunabula secuturus. Puer, in sinu amplexuque emtæ nutricis educatus, sex primos ætatis annos per jocos & crepundias in gynæceo transigit a), Quo autem momento sextum annum expleverit, ne in solitudine & velut in opaco molle,

---

a) Description de l'Arabie par Niebuhr, p. 24.

mollescat & effeminetur, ex secreta mulierum sede in lucem & sexus virilis societatem evocatur; nec ante eo, quam uxorem ducturus sit, redire fas est. Quibusque id tribuit benigna nascendi sors, ut honestis parentibus vitam debeant, quanta maxima fieri potest diligentia, in prima ætate ad obsequium & parendi amorem informantur. Ita & suus cuique est domesticus præceptor, qui teneram mentem, ingenium ad sapientiam, animum ad virtutem, & vultum, habitum ac incessum ad dignitatem fingat & componat b). Atque ne in rudibus annis petulantiæ, quæ robustum sequatur, adsvescat puer, standi coram patre tacendique modestiam custodire debet, manibus in crucis modum junctis c). Sic illi nec est permissum, cum patre

b) Germanus Conti, Maronita: وكل ولد له معلم يعلمه اولا الحشمة والادب والفصاحة Cuique puerorum suus est præceptor, qui illum omnium primo modestia, bonis moribus & puro sermone instituat.

c) Idem: لا يقدر الولد حتي يصير عمره خمسة عشر سنة يقعد قدام والده بل انه دايما لما يحضر ابوه يقف علي

tre ad mensam discumbere, neque ante cibum capere, quam patri promto servitio satisfecisset: quo facto, ipse cum suo magistro modum cibi & potionis, non voluptate & garriendi impunitate, sed naturali desiderio & intento silentio finit. Nam in Oriente risus vocesque inter epulas miscere, cum constanti ætati inhonestum, tum loquaci juventuti interdictum est d). Ubi vero mensa sublata fuit, puer,

---

رجليه ويديه مكتفين Puer, antequam quindecim annos complevit, præsente patre, sedendi non habet potestatem; sed semper, cum adest parens, standi necessitate adstringitur, manibus in crucis modum junctis.

d) Idem: ولا يقعد مع ابوة علي السفرة
ويخدم ابوه ولما ينتهي يقعد مع
معلمه ويشمر زنوده الي حد
كوعه ويبدا ياكل في حشمة
وادب ولا عادة يتكلموا في السفرة
بل ياكلوا عجلا ويقوموا حالا

Non mensæ cum parente accumbit, sed illo tempore ei ministrum se præbet. Finito autem hoc officii obsequio, ipse cum præceptore ad epulas genua inclinat, & manicis ad cubi-

puer, servo quodam ministrante, primum suas manus, sola cibi sumendi apud Orientales instrumenta, aqua lavat, & deinde Coffeæ poculum, præcipuas illius gentis delicias, exhaurit: quo autem potus genere in patris conspectu uti non audet e). Nec foras, ubi plures quam domi occasiones peccandi sunt, ire licet, nisi comitante famulo, lubricæ ætatis extra limen duce & custode f). Hinc fit primum consvetudo, deinde natura; adeo ut, quemadmodum non coram patre & pædagogo, ita

---

tum usque plicatis, honeste atque decenter edere incipit. Nec epulares sermones in usu; sed festinanter capto cibo, pari celeritate surgunt.

e) Idem: والخادم يجيب الطشت ويغسل يديه ويناولوه القهوة واذا كان حاضر والده ما يقدر يشرب القهوة قدامه Ministrat famulus vasculum, in quo puer manus lavet: quo facto, ei bibendum traditur Coffeæ decoctum; quod autem, si pater adfuerit, bibere non licet.

f) Idem: ما يخلوا الولد يطلع برة الا الخادم تبعه Puerum foras egredi, nisi comitante servo, non permittunt.

ita nec in aliorum præsentia liceat dicere aliquid, quod turpe dictu sit, aut facere, quod factu inhonestum. Ubi autem ad eam ætatem, quæ æque ad litteras atque mores pertinet, ventum est, eligitur magister, Turcico vocabulo خواجه Chodja, Arabico معلم Muallem, qui indies, pacta mercede, per unam vel plures horas puerum honestis instituat artibus, sive ad rerum divinarum cognitionem, sive ad juris scientiam, sive ad eloquentiæ studium, sive ad rem militarem inclinat animus.

§. III.

Quam honeste autem & custodite splendidius & felicius nati pueri agunt, tam licenter & segniter vivunt, qui abjectius & obscurius orti sunt: quippe quos natos statim excipiunt vernacula vitia, & per singulos ætatis gradus sequuntur. Delegantur Græculæ servæ aut Turculæ ancillæ, cujus fabulis & erroribus rudis animus imbuitur, cujusque moribus & exemplis sincera indoles depravatur. Qua vero infantiæ incuria, & proximæ ætatis nimia libertate fit, ut paullatim impudentia irrepat, & aliorum contemtus. Sed quo

magis Mussemios, suarum præsidio legum securos, timent tales pueri, eo infestius Christianos, religione invisos & servitute viles, opprobriis, verberibus & quovis alio injuriæ genere per ædes & vias prosequuntur. Quæ tamen licentia non severitate disciplinæ coërcetur, sed vel laude & præmio augetur, vel silentio & impunitate transmittitur g). Et ut ipsis parentibus discere non contigit, ita nec ullam docendi liberos curam habent. Satis est his hominibus, religionis elementa ex Corano memoriter & arabice sine intelligentia arripuisse h). Mihi autem hæc differenti obviam venit Turca quidam, grandi ætate ingentique barba venerabilis, quem ego Constantinopoli stu-

g) Idem: وتربية الغليلين ردية جدا يتعلموا من الطفولية كلام السفيح والسب يسبوا النصاري ويحشروا اولادهم وياخذوا منهم بالغصب الدراهم وغير شي Pauperum educatio pessima est. Probrosa verba & coutumeliosas sententias a teneris discunt, quibus Christianos incessunt, eorumque liberos vexant, addita interdum vi & auferendi libidine.

h) Les Voyageurs Modernes, Tom. IV. p. 154.

ſtudentem vidi, ut vernacule legere ac ſcribere diſceret. Sic non adeo liberalium ſtudiorum ſterilis eſt plebs Orientalis, ut non & bona exempla aliquando ex ipſa ſenectute prodiderit.

§. IV.

At non modo privatim, ſed etiam publice ſapiunt Muſlemii. Multæ illis ſunt ſcholæ, liberalis pietatis legata, cum minores & ſacrarum litterarum magiſtræ, tum majores & variarum diſciplinarum, Philoſophiæ, Dialecticæ, Artis Medicæ, Aſtrologiæ aliarumque ſedes: in quibus vero non tam diſcentium ingenia & ſtudia, quam boni libri & præceptores deſunt i). Ad illas ſcholas, quæ diſcendi cupidis vel gratis vel parvo pretio patent, honeſti parentes, qui inopia rerum laborant, litteras autem amant, ſuos mittunt filios, iis diſciplinis, quæ ad pietatem & humanitatem pertinent, erudiendos. Ibique diſcipuli, in ſeriem collocati, alta voce legunt k), ut duplici ſenſu, & videndi

i) Descr. de l'Arabie par Niebuhr, p. 91.

k) Germanus Conti, Maronita: وفي المدرسة ينصفوا الاولاد واحد

& audiendi facultate adjuti, quæ diligentius arripuerint, memoriæ altius infigant. Et ne res, in qua litteræ effingantur, desit, suam quisque tabellam, quadratam alboque colore illitam, habet l). Multisque tanta est temporis parsimonia, ut cibaria & studiorum nutrimenta ad scholam in theca vel sacculo gerant: quæ, otio inter legendi scribendique curam accepto, sumunt, nec domum nisi vesperascente cœlo revertuntur. Tamen sunt haud pauci, qui ad familiarem suum larem, prandendi gratia, medio die se conferant: quo facto, scholam & sua studia, ad serum usque diei colenda, repetunt m). Ut autem animus otio & religioni va-

---

جنب الاخر ويقروا كلهم سوي

In schola pueri in seriem, unus juxta alterum, collocati, uno omnes ore lectiunculas dicunt.

l) Les Voyag. Mod. Tom. I. p. 278.

m) Germanus Conti, Maronita: وكل ولد يجيب زواده قفة او كيس ولولاد الشاطرين يستغيبوا في المدارس من بكرة الى الظهر ويروحوا يتغدا البعض والبعض يبقوا في

vacet, a studiis per omnes dies festos feriantur, nec dierum, ferias proxime antecedentium, nisi dimidiam partem litteris tribuunt n). Et quoniam studium discendi voluntate, quæ cogi non potest, constat, pueris aliquando remissio datur, ut hac quiete velut renovati & recentes plus animi & virium ad legendi laborem adferant. Sic præceptor semel per septimanam pueros secum in hortum ducit; ubi cursus eorum & lusus sanctitate quadam

المدرسة وبعد الغدا يجتمعوا ويستقيبوا في الدرس الي المسا

Singuli pueri viaticum suum in fiscella vel sacculo gerunt; diligentes a matutino tempore ad medium diem in schola permanent; tum discedunt quidam, prandium capturi; alii autem in schola permanent; tum discedunt quidam, prandium capturi; alii autem in schola restant, & post meridiem congregati, ad vesperam usque in studio tenentur.

n) Idem: والنهار الخميس بعد الظهر ما يقروا الا نصف النهار ويوم الجمعة ما يقروا Dimidio die Jovis & quidem post meridiano, studiis vacant, nec festo die Veneris litteris student.

dam ac verecundia temperat, & cibo ac potione reficit & oblectat o). Sed nescio, quo præcipientium dicam an discentium vitio fiat, ut interdum discipuli, violatis naturæ & verecundiæ legibus, suum magistrum sociatis animis & viribus adgrediantur. Hoc autem præcipue fit, cum præceptor, magis acerbus quam æquus, nec tam pœnitentia quam pœna contentus, parvis peccatis nimiam severitatem adhibet: quo tempore, qui vincula & verbera patitur, magnitudine doloris ejulat, & condiscipulos non solum ad indicia misericordiæ & lacrimas, verum etiam ad iras & suæ libertatis vindicias commovet & accendit. Ex composito tum, & agmine velut facto, præceptorem pudendis probris & nefandis ictibus invadunt, ne promissæ quidem barbæ, capitis per Orientem honori orisque dignitati, parcentes p). Adeo invertitur

o) Idem: وياخذهم المعلم الي البستان حتي يتنزهوا والمسا يردهم الي بيوتهم In hortum eos secum animi relaxandi caussa ducit præceptor; appetente autem vespera, domum redeundi potestatem facit.

p) Idem: والاولاد كثير اوقات يضربوا

tur ordo, jure divino humanoque sanctus, ut quorum esset, alios coërcere, ab aliis se opprimi patiantur. Si autem præceptores doctrina & moribus

---

المعلم ويتفقوا كيفي يضربوه لما يكون
ظالم علي الاولاد يقيد الولد في الفلقة
وحين يقوم الولد يبكي ويبدوا كل
اولاد يبكوا ويتغروا معلمهم كلهم سوي
يمسكوا في ذقنه والاخر في يديه ورجليه
ويتقوموا عليه مثل النحل ويخرمشوا
وجهه ويعضوه ويغرزوه ويباطلوه
ويباسقوا عليه ويخرقوا اثيابه ويحرقوا
شاشه

Præceptorem aliquando pugno ferire, e juvenum more est, & quomodo hoc faciant, inter eos convenit. Cum in discipulos nimis acerbus est, & puero cuidam compedes injicit, cæteri, hoc in lacrimas effuso, complorare incipiunt. Nec hoc satis. In præceptorem fit concursus & impetus, barbam ejus aliis, aliis manus & pedes corripientibus. Quid? quod eum instar apium invadunt, vultum unguibus lacerant, obvias partes iniquo dente mordent vel digitis comprimunt, calcibus insultant, in frontem inspuunt, vestes discerpunt, & cidarim incendunt.

bus minus valent, nec ii magnum ſuæ patientiæ & operæ præmium accipiunt. Diſcipuli ſuum plerique nummum quotidie offerunt, & feſtiva munera interdum q). Et ut ſua vivendi ſuisque doctoribus gratificandi ſubſidia habeant, bis per annum domos urbium atque vicorum obeunt, & beneficia hominum, ova, veſtes aliaque vitæ neceſſaria & commoda, cantu carminum pietatisque concentu provocant: quæ omnia, appetente veſpera, domum ferunt, & adeo ex æque dividunt, ut pars dimidia præceptori, altera ipſis in uſum & lætitiam redeat r).

§. V.

---

q) Idem: وكل ولد كل يوم يعطي للمعلم مسرية كرا والعيد يجيبوا له كل واحد حاجة قميس او غير شي كل من علي قدره
Pueri suum quisque nummum diebus profestis, festis autem indusium, vel aliam, pro facultatis suæ modo, rem, præceptori offerunt. Cfr. Les Voyag. Mod. Tom. I. p. 178.

r) Idem: وفي السنة مرتين الاولاد يدوروا في كل البيوت ويقولوا مدايح وكل يعطيهم علي قدر امكانهم

§. V.

Ut autem optime vivendi discendique incitamenta quoque adsint, præmia virtutum & vitiorum avocamenta ostentantur. Si mens est tam illiberalis, ut nec consiliis nec minis ad studium recti & honesti vocari possit, ad severitatem disciplinæ proceditur; quam si ingenuis & liberis minus dignam, tamen mancipiis & Orientalibus necessariam

se-

الناس يعطيهم دراهم والناس بيض
والناس حلو وغير شي والمسا يرجعوا
جميعهم عند المعلم ونصف
الذي جمعوا يعطوه المعلم ونصف
الاخر يتقاسموه كل واحد ياخذ
حصة ويروحوا الي بيوتهم

Bis per annum aras omnium & focos obeunt pueri, hymnos canentes: quibus temporibus munera, pecuniam, ova, dulcia cibaria & alia, ut cujusque benefactoris tulerint rationes, accipiunt. Sed ingruente vespera, coëunt, & ad præceptorem redeunt, cui dimidium rerum, quas colligere licuit, tradunt; alterum vero dimidium inter se partiuntur, & sua quisque parte accepta, demum repetunt.

facile quis dixerit. Diversitas autem castigationum ex delicto est. Qui graviori inertiæ vel improbitatis crimine tenentur, eorum pedes ligno bipatente, cui فلق Falak nomen, includi & virgis cædi solent; aliam enim, quæcunque sit, corporis partem nudare & verberare turpitudini ducitur s). Nec vitio præceptori vertitur, si ejusmodi pueros vel fame & tenebris punierit, vel pugnis & calcibus ferierit. Qui vero alios conviciis incesserit, terram lambere jubetur, ut eam, quæ omnium rerum mater est, osculo quasi contingens, suum crimen deprecetur. Nec alia castigationis genera desunt: quibus pro gravitate culpæ vel erroris suus est modus t). Si autem segnes

s) Idem: واذا هم كسلانين يقيّبهم المعلم في الفلق ويضربهم علي ارجلهم ولا علي اليد او غير موضع لان هذا عيب كبير عند المسلمين

Cum autem pigri sunt, illis compedes injicit magister, pedesque virgis cædit, non vero manus aut aliam corporis partem; hoc enim apud Muslemios turpissimum habetur.

t) Idem: وجنوس الاضراب علي موجب

nes dolore & metu cogit præceptor, ut diligentiæ æmulatio sit pro necessitate, promtos ad suæ virtutis constantiam spe & præmio excitat. Quisque ut industrius puer corpore & animo benevaleat, & utriusque vires in sua studia acriter intendat, eum magister, honori verborum pretia rerum addens, non modo publice laudat, sed etiam parte sui viatici ornat. Atque, qui principatum doctrinæ tener,

---

الذنوب الكسلانين يحطوهم في الحبس
من غير اكل طول الذهار او يدعسوا
رقبتهم والذي يسب يلحسوه
الارض وغير مثل الكلام يعملوا
عرقية من ورق او يسداهذوا الوجه
حبر او يحملوه بسوابج الاولاد

Pro gravitate criminum pœnæ differunt. Ignavi in carcerem, ubi per totum diem sine cibo degere oportet, conjici, vel cervices eorum pedibus calcari solent. Ille, qui probra in aliquem jecit, terram lambere jubetur. Nec alia castigandi genera desunt. Exempli loco pileus imponitur chartaceus, vel facies atramento tingitur, vel humeri calceis puerorum onerantur.

ſplendida induitur veſte, & equo albi & ſancti coloris imponitur: eumque deinceps magna hominum frequentia, cognati, condiſcipuli & amici per plateas, fora & vicos, feſtivis clamoribus & cumulatis muneribus proſequuntur u).

§. VI.

His de puerili Muſlemiorum inſtitutione disputatis, ſequitur, ut de ea, quæ Orientalium eſt Chriſtianorum, breviter dicamus. Illi autem, ut ad ſervitutem naſcuntur, ita & inſtituuntur. Quo enim longiores ſunt a ſpe honorum, eo propiores eos eſſe contemtui litterarum vel incuriæ dixeris. Sic etſi Græci, (Armenos, aliosque orientis Chriſtianos, qui vitæ magis integri ſunt, quam in cogitando faciles, non loquor) Turcas & Arabes ingenio ſuperant, iis tamen hoc ætatis tempore ſtudio ſapientiæ & laude cedunt; ita ut cum iſtæ gentes multa & præclara eruditionis monumenta tradiderint, Græci recentius vix quidquam, niſi quod ſervilis ſit indolis, ſuperſtitioſæ pietatis, & preſſæ cogitationis, ediderint. Et quidem, ut in cæteris, ita & in ſua

u) Les Voyageurs Modernes, Tom. I. p. 279.

ſua puerorum educatione tam æquo animo ad Muſlemiorum ſe componant exemplum, quam imperium patiuntur. Quocirca per primos annos in gynæceo a mercenariis nutricibus foventur: ubi vernacula lingua vel ipſis nolentibus ſe offert. Ex his autem tenebris & ſecretis in mediam hominum communitatem vocati, verba ſuorum dominorum, Turcarum vel Arabum, audiunt, & imitando effingunt: quo tamen facto ſonus & materni & peregrini oris corrumpitur. At ubi ætatem, quæ diſciplinas capere & laborem pati poſſit, attigerunt, diſcendi fit initium. Ut autem moribus ætatis, quæ ad vitia valde proclivis eſt, & liberalibus ſtudiis, in quibus unus uni magis vacabit, melius conſulatur, qui patres ſatis rerum & ambitionis habent, ii inſtituendos ſuos filios domeſtico præceptori, gravi & fideli, committunt. Hos enim liberos modeſtiæ in ſe gerendo, in edendo bibendoque decentiæ, in dicendo eloquentiæ, & in agendo honeſtati adſvefacere mos eſt v). Qui autem nec gratia,

v) Germanus Conti, Maronita: والذين هم اغنيا ياخدوا لهم معلمين خصوصية في بيوتهم يعلموهم القراة والكتابة ويعلموا

tia, nec amicitia, nec pecunia præceptorem domi habere possunt, liberos in scholas mittunt, quæ in urbibus multæ sunt, tabernis haud dissimiles, & versus plateas apertæ, ut scholares non in solitaria & umbratili vita languescant, sed in celebritate & media urbis luce erectius in litteras incumbant x) Atque in his litterarum ædibus, vel minoribus & templo contiguis, vel majoribus & foro vicinis, quarum illæ pauperibus gratis, hæ autem ditioribus data mercede patent, de Deo religiose scire, vernacule legere ac scribere, & rationes subducere discunt y). Tamen plurimi paullum ultra primas litteras progressi, sordidas artes honestis anteponunt, & e schola in officinas egressi,

---

الادب والتوضيعة والحشمة
في الاكل والشرب والمصاحبة

Eorum qui sunt divites, filiis domesticos eligunt præceptores, qui eos legere ac scribere doceant, doctrinaque Christiana, & Grammaticæ ac Logicæ scientia instituant. Morum quoque elegantiam, humanitatem, & in edendo, bibendo agendoque decentiam discunt.

x) Descr. de l'Arabie, par Niebuhr, p. 91.

y) Niebuhr, loc. cit.

egreſſi, magis ſtudent, ut vivant, quàm ut ſapiant z). Qui autem, comperta ingenii docilitate, ſanctiori & ſacerdotali vitæ generi deſtinantur, domeſticis magiſtris, præcipiendi peritis, traduntur, qui eos linguas, faciendis ſacris dedicatas, doceant. Sic ſacri ordinis Candidati, Maronitæ in Libano linguam Syriacam, Catholici & Neſtoriani in Meſopotamia Chaldaicam, Armeni Conſtantinopoli Turcicam, & multi multis locis Arabicam, privato ſtudio in publicæ per templa pietatis uſum complectuntur. Et quidem tanta eſt horum litterata ambitio, ut ſuum diſcendi amorem aliquando extra limen patriæ proferant. Teſtis eſt Germanus Conri, Maronita & Antiocheni Patriarchæ vicarius, Teſtis Behenam, Catholicus & Epiſcopus Chaldæus, qui juvenes Romæ litteris quoque Latinis operam dederunt, Chriſtiana Orientis ſtudia

---

z) Germ. Conti, Maronita: اولاب النصاري لما يكبروا منهم الشغل يعلموهم الصنعة ولا القراءة

Qui Christiani pauperes sunt, suos filios, ubi ex pueris egressi sunt, opificio quodam, non litteris instituendos curant.

dia non domi ſemper ruſticari, ſed longe lateque interdum peregrinari. Nec reticendum eſt, ipſos ſervos, qui majorem ſui ſpem fecerint, non minori cura quam filios a puero inſtitui a): claro documento, mancipia Orientis non tam abjecte, quam apud nos de iis exiſtimatur, tractari. Ceterum eadem fere eſt Chriſtianis, quæ Muſlemiis, in ſcholis ratio diſciplinæ & ſeveritas: quæ pars eſt ſervitutis. Qui puerum alio quo demum cumque modo, quam qui Othomannorum decoro & honeſto conveniat, caſtigaverit, hoc factum, tanquam deteſtabile ſcelus, mulcta legis vel muneris jactura ſequitur b). Tamen multi ſunt orientales præceptores, qui nimis imperioſi, in ætatem infirmam & injuriæ obnoxiam ſæviant, & cædendi jure abutantur: quod vero non tam

a) Descr. de l'Arabie par Niebuhr, p. 91.

b) Germ. Conti, Maronita: وان المعلم ضرب الولد بغير الترتيب الشريعة تغاصره وتبطله التعليم

Si vero puerum indecore castigaverit præceptor, lege cautum est, ut vel pecunia mulctetur, vel suo munere removeatur.

tam gentis ingenio, quam illius terræ ſævo & infinito imperio tribuendum videtur. Hæc habui, quæ de ſcholari orientis diſciplina dicerem.

V. DE SUBLIMI HEBRÆORUM, DISSERTATIO.

§. I.

Cum de Sublimi Hebræorum ſcribere conſtituimus, tum primum omnium definire lubet, quid per id intelligatur: in quo Longinum, graviſſimum dicendi magiſtrum, ſecuti, illud latiſſimo ſenſu ſublime appellamus, quod in oratione inſigniter præ cæteris eminet & excellit, *ως ακροτης και εξοχη τις λογων εϛι τα ὑψη* a), ſive ſimplici ſive ornata oratione expreſſum fuerit. Sic rebus, non verbis, ſublimitas ineſt. Vitioſum & corruptum, frigidum & tumidum dicendi genus eſt, quod libertate verborum & licentia figurarum ex-

a) **Longinus de ſublimitate Sect. I.**

exſultat, puerilibus ſenſiculis & quæſitis inventiunculis ſuperbit, fuco & effeminata levitate eminet, & purpura ac vano adſpectu nitet. Confragoſum id & interruptum, quod nec admirationem ſublimis, nec gratiam humilis orationis habet. Quod autem vere ſublime eſt, id habitu latet, effectu tamen apparet, ſenſibus grande, verbis populare, & figuris plauſibile. Quanto enim majora rerum momenta, tanto minor verborum cura. Sic ſublime plura, quam quæ dicuntur, ſignificat: & quo diutius quis ea conſideraverit, eo majora inveniet. Semper, ubique & omnibus hoc placet, hominesque, tempore, locis, religione, legibus, ſermone, moribus, ætate, ſtudiis & omni vitæ ratione diverſos, delectat & commovet. Namque quod ad faſtigium ſublimitatis pervenit, id ſummo cum lumine poſitum, ſuoque in rebus ſpiritu, in verbis nitore, & in affectibus motu terminatum, non perſuadet, ſed imperat, non ad benevolentiam, ſed ad perturbationem prævalet. Cuncta inſtar fulminis disjicit & omnem orationis vim & artem, inventionis peritiam & ordinis gloriam, uno momento nudat, & auditorem, hiberni more torrentis, incautum circumvenit, & qua rapit, ire cogit. Sane non fortius in acie

gladius,

gladius, quam Sublime in judicio, in senatu, sive apud populum pugnat & percellit. Cum enim ea sit illius vis & natura, ut non modo extraordinarium & vix humanum, sed etiam ingenuum & omni adulationis suspicione liberum videatur, magnam sui & audientiam & admirationem facit: pallent ora, præcluditur vel rarus fit spiritus, & altum oritur silentium. Ut usu rationis, quæ vera & bona notit, bruta animantia, ita sublimitate orationis, quæ grandia & miranda effert, homines ipsos præstamus, & ad Deum proxime accedimus. Triplex autem est vis Sublimitatis, quarum una est Sensuum, quæ ex insita & felici in concipiendis excelsis animi magnitudine oritur, altera Affectuum, quæ ex vehementi & ad conciliandos animos efficaci mentis commotione efficitur, & tertia Dictionis, quæ ex apta figurarum conformatione, splendida elocutione, & magnifica compositione nascitur b). Quamquam omnes sibi invicem pondus & auxilium præstant, tamen nihil impedit, quominus de singulis separatim, & quidem de Sublimi Hebræorum speciatim differamus.

 §. II.

b) Longinus l. c. Sect. VIII.

§. II.

Primum omnium de Sublimitate Sensuum nobis videndum est. Hæc est elati spiritus repercussus quasi sonus: cujus vi & celeritate, impetu & gravitate auditor perculsus, huc & illuc per omnes affectus sequitur, nec doceri cupit. Ut splendor solis cætera sidera abscondit, ita sublimitatis imago minora orationis lumina obscurat, oculos præstringit, & animos confundit. Qui magnifica & excelsa, optanda magis quam speranda, vere sentit, clare intelligit, & bene dicit, is se hominibus quasi eximit, & Deo æquat: nova & inaudita, inopinata & miranda animis audientium inserit, & vetera ac vulgaria, nota & mediocria evellit. Hæc autem etsi veram sublimitatem, quæ in rerum natura versatur, & Deo tantum competit, non habent; tamen fictam, quæ in mente scriptoris inest, & in hominem cadere potest, ostentant. Animus hominum est ut speculum Platonis, quod cum in omnes partes, in se & quæ extra posita sunt, ille circumfert, solem alium, alia sidera, animantia, & se ipsum efficit. Atque ex tot tantisque imaginibus, quas in universæ naturæ &

sui ipsius umbra intuetur, illustres & eminentes eligit, novosque conceptus, mores & colores componit: quibus secreta & magnifica subito aperit, magnifice auget & splendide ornat.

Hac autem generosi spiritus, sive ingeniti, sive divinitus infusi, sublimitate, quæ in magnitudine rerum & conceptuum, atque amplitudine imaginum cernitur, Scriptores Sacri non alios modo homines, sed humani etiam ingenii modum excedunt. Divini enim Spiritus afflatu suæque naturæ vi & impulsu ducti (nam animus Sacri Auctoris non ita concitatur, ut hominis indoles exstinguatur) res maximas, Divina consilia & opera, ea notionum & imaginum altitudine, ea verborum & sententiarum gravitate describunt, ut omnia, quamvis humanitus adumbrata, tamen divinitus edita videantur. Quantum Græcos & Latinos vetustate, tantum sublimitate præstant: quæ quo altioris est originis, eo plus ponderis & dignitatis habere debet, ut cum rebus humanam intelligentiam superantibus eloquii quædam divinitas consentiat. Non præceptis doctrinæ & artis circumspecti & tenues, sed cœlestis numinis vi &

im-

impetu erecti & ardentes, locis & ſententiis in cœlum ſurgunt, & figuris ac tranſlationibus velut divino lumine lucent. Defuncti excitantur, & eminentiſſima nominatim evocantur: quin ipſe Deus in congreſſum & ſermonem deducitur, univerſa rerum natura in audientiam citatur, vocique fluctus & ſaxa, ſolitudines & immanes beſtiæ reſpondent. Cœlum inſtar voluminis convolvitur, fundamenta terræ tremunt, inferorum ſedes reteguntur, & totius univerſi compages diſſolvi videtur. Accedit vis fulminis, cujus nuntius dicitur turbo, cujusque comitatus flamma: quo nihil celerius, nihil ſplendidius fingi poteſt. Tot vero tantarumque rerum imagines tacitum ſtuporem & timidam admirationem faciunt. Exempla ſunt plurima: unum alterumque adferam. Quid verbis ſimplicius & brevius, ſenſu autem ſublimius & amplius eſt his, quæ Deus, ſemper unus, nec appellationis proprietate egens, Moſi, nomen ejus quærenti, reſpondit אהיה אשר אהיה, ERO QUI ERO, ὁ ὢν, ὁ ἦν, ὁ ἐρχόμενος. Ille qui eſt, fuit & erit, Deus Æternus, JEHOVAH, hoc honoris titulo, Divinæ Naturæ, neque mutabilis neque interituræ, manifeſto ſigno, ſemper noſcendus

dus & venerandus c). Pari ſimplicitate & brevitate, ſublimitate & amplitudine eminent, quibus Moſes magnitudinem Divinæ potentiæ in condenda rerum univerſitate exponit: ויאמר אלהים יהי אור ויהי אור Dixit Deus, eſto lux, & fuit lux: quibus quantum verborum addideris, tantum rerum de ſublimitate detraxeris d). Idem argumentum eadem ſublimitate, ſed copioſius, per plura adjuncta & varias imagines, in ſequentibus tractatur: איפה היית ביסדי־ארץ הגד אם־ידעת בינה: מי־שם ממדיה כי תדע

c) Exod. III. 14.

d) Gen. I. 3. De hoc e eo ita Longinus: l. c. Sect. 9: Ταυτη καὶ ὁ τῶν Ιουδαιων θεσμοθετης, ουχ ὁ τυχων ανηρ, επειδη την του Θεου δυναμιν κατα την αξιαν εχωρησε, κἀξεφηνεν, ευθυς εν τη εισβολη γραψας των νομων· Ειπεν ὁ Θεος, φησι· τι; γενεσθω φως και εγενετο. "Hac (mentis altitudine) Judæorum Legislator, vir minime contemnendus, Deo dignam potentiæ ejus cepit imaginem, digneque elocutus est. Nam in ipso statim legum suarum principio DIXIT DEUS, inquit. Quid? FIAT LUX ET FACTA EST."

תדע או מי־נטה עליה קו: על־מה ארניה
הטבעו או מי־ירה אבן פנתה: ברן־יחד
כוכבי בקר ויריעו כל־בני אלהים: ויסך
בדלתים ים דגיחו מרחם יצא: פשומי
ענן לבשו ועיפל חתלתו: ואשבר עליו
חקי ואשים בריח והלתים: ואמר עד־פה
תבוא ולא תסיף ופא ישית בגאון גליך

"Ubi eras, fundante me terram? expone, ſi ea "eruditione es. Quis ei dimenſiones adhibuit, ſi "noſti? Quis in eam regulam intendit? In quam "rem inſertæ ſunt ejus baſes? Aut quis ejus an- "gularem lapidem demiſit, ovantibus pariter matu- "tinis ſideribus, univerſoque divorum genere læ- "tum perſonante? Quis foribus mare concluſit, "quum egreſſum erupiſſet ex utero? Quum quidem "id ego nubis amictu texi, & caliginis faſcia obli- "gavi, ac meo circumſcriptum decreto, repagulis & "foribus cohibui, dicens: hucusque non ulterius "venies: & hic ponet tuorum fluctuum altitudo" e). Nec minor eſt hujus magnificentia carminis, quo obſcura infinitatis notio ab intellectu ad ſenſum refertur, & menſura totius univerſi per omnia

e) Job. XXXVIII. 4 — 11.

nia ejus ſpatia, in longum, latum & profundum, quantam maximam natura admittit & mens humana percipit, ſacro cum ſtupore initur: אנה אלך
מרוחך ואנה מפניך אברח: אם־אסק
שמים שם אתה ואציעה שאול הנך:
אשא כנפי־שחר אשכנה באחרית ים:
גם־שם ידך תנחני ותאחזני ימינך
"Quonam declinem tuum ſpiritum? aut quo fugi-"am tuam præſentiam? ſive cælum adſcendam, ibi "tu es: ſive in orco cubem, tu ades. Sumam au-"roræ alas, habitem in ultimo mari: etiam illic tua "me manus tenebit, tuaque dextra comprehendet" f).

§. III.

Altera ſublimitatis ſpecies eſt Affectuum; quorum cum conciratio tum imitatio ad orationis granditatem & mentis commotionem plurimùm confert. Quicquid ardens & excelſum animus capit, phantaſia fingit, corpus ſentit, & vox exprimit, id non tam rationi, quæ leniter & remiſſe loquitur, quam affectibus, qui voce velut dictatoria imperant, debetur. Affectus elementa ſunt

f) Ps. CXXXIX. 7 — 10.

ſunt & incitamenta actionum humanarum, qui, cum conſilio rationis rerumque naturæ obtemperant, artem & ſtimulum ad magnifica & honeſta addunt. Si autem illi per ſe multum valent, plus ponderis habebunt, cum acceſſerit imitatio: quæ omnes animi motus, ſubitos impulſus, celeres impetus & multiplices flexus, quaſi tabulam bene pictam in bono lumine collocat, & voluntates hominum, in quem vult habitum, quo dicto flendum, quo iraſcendum ſit, conformat. Et quidem, qui quemcunque affectum inducere, et mentem ad propoſita exempla ita dirigere poteſt, ut non putemus, ſed velimus, et quæ in aliis probemus, ipſi facere videamur, ille ipſam naturam, quæ raro ſimilia præſtat, ſuperare judicatur. Hic homo non nudas et frigidas rerum ſententias conſiliis et præceptis, verbis et exemplis, ſed vivas vitæ morumque effigies evidentia imitationis, artificio fabulæ, et veritate actionis oſtendit et explicat. Ut ignis, flamma validus et vento citus, edita et plana loca corripit, ſuaque vi et celeritate remedia antevertit, ita oratio, ex ipſo naturæ habitu depromta, et vehementi animi motu concitata, cuncta incendit, et ſi quid impedimenti interjacet, id pervagatur, aut ejus oppoſitu incitatur. Quan-

Quantum Sacri Scriptores hoc etiam sublimitatis genere valeant, jam videbimus. Vivida illis fuit ex loci situ imaginatio, & maxima ad affectus vehementiam propensio. Perpetua eis cum cœlo consvetudo: cærimoniæ, religiones, altaria semper ante oculos posita: divinæque laudes vel piæ preces sanctissima otia & negotia fuerunt. Hæ vero res, hæ curæ, ut ingenium ad sublimia cogitationum monumenta, ita animum ad vivida affectuum imitamenta formarunt. Quæ admiratio, quæ spes, quod gaudium ex Divinæ majestatis, potentiæ & bonitatis contemplatione? Quod odium, qui dolor, qui metus ex mali fœditate, sceleris conscientia, & delicti pœna? Hæc & his similia adeo ex vero illi effingunt, ut, qui ea legerit, personas hominum, qui vere experiuntur, se gerere, eorumque vice exsultare vel periclitari se putet. Sed exempla plus valent, quam dicta. Quid his verbis vel in gaudio exsultantius vel in imaginibus grandius fingi potest? quibus universa natura, res animantes & inanimantes, ad laudes Divinas certatim dicendas nominatim citantur: ישמחו השמים ותגל הארץ ירעם הים ומלאו: יעלז שדי וכל־אשר־בו אז ירננו כל־עצי־יער:

"Gaudeant cœli; exſultet tellus. reſonet mare & "quod eo continetur; geſtiant agri, & quicquid "ineſt; omnes ſilvarum ovent arbores" g). Quid iterum his in mœroris & deſperationis imitatione ardentius & elatius? לו שקול · ישקל כעשי והיתי במאזנים ישאו־חד כי עתה מחול ימים יכבד "O ſi bilance queſtus mei libren-"tur, meaque miſeria ſimul trutina ponderetur! "ſuperat pondere arenas æquoris" h).

§. IV.

Jam reſtat, ut de tertio ſublimitatis gradu, qui eſt Dictionis, & cum duobus prioribus arctiſſime cohæret, paucis diſſeramus, Cum ſæpe opinio altitudinis non tam ex magnitudine cogitationis, quam ex judicio æſtimantis naſcatur, ſpecies quædam externa ſemper utilis & frequenter neceſſaria eſt. Qui enim non fortibus modo, ſed ſplendidis etiam ſententiis utitur, facilius judicium doctorum & popularem laudem promeretur. Auri quidem & argenti ſplendor non tegit, neque ferri

g) Ps. XCVI. 11, 12.
h) Job. VI. 2.

ri & clypei nitor vulnerat, tamen hosti aliquid terroris affert: nec fulmini tantum horroris inesset, si ejus fulgor abesset. Cum oratio non solum pondere sententiarum, sed etiam colore verborum pro materiæ genere variatur, auditores diligenter audiunt, libenter credunt, & in applausum erumpunt. Quemadmodum vestis auro gemmisque distincta pulchram hominis formam illuminat, ita verba de medio sumta, illustria & significantia, rebus dignitatem & perspicuitatem, animum & vocem suppeditant. Plurimum momenti habent similitudines, novæ & inexspectatæ: quarum delectu res circumcise & velociter ante oculos ponitur. Nec minor usus est ex metaphoris, quæ ipsæ sua natura grandes, signandisque rebus ac permovendis animis repertæ, velut extera ornamenta, pretium & amorem sermoni faciunt. Et cum accesserit apta verborum & sententiarum compositio, oratio non minus harmoniæ concinnitate ad delectationem, quam sensus granditate ad admirationem valet.

In hoc autem cultu & ornatu dictionis præcipua quoque Hebræorum vis est & auctoritas. Imagines

nes eorum ſunt illuſtres & ſublimes, ex rebus naturæ vel artis, vitæ vel religionis, opportune translatæ, & copia ac varietate, pondere & dignitate expreſſæ: quæ reconditas & abſtruſas notiones evidentius exprimunt, grandius augent, & eminentius illuſtrant. Comparationes, ſive apertæ, ſive occultæ, a minoribus ad maxima, ab inferioribus ad ſuprema, per partes, per totum, non nixu, ſed impetu tendunt & perveniunt: quæ futura præteritis, nova antiquis, ignota notis illuminant. Sententiæ veræ ſunt & breves, elatæ ac frequentes, nec ſicut ſcintillæ, ſed flammæ in clauſulis poſitæ: quæ grandia, pulchra & honeſta diſtingunt, & præcepta religionis atque vitæ commendant. Plurium quoque rerum congerie, unius multiplicatione, diverſarum oppoſitione, interrogatione ac exclamatione altius atque altius inſurgit oratio, & velut quodam cumulo ſublimis abit. Et cum res nata amplificationem vel affectum poſtulat, præceps vero tempus moram non patitur, tum verba & vincula ſermonis omittuntur, & tempora, perſonæ atque genera mutantur; quo impetu & ardore fit, ut lector nec retro reſpicere, nec in futurum pro-

vi-

videre possit, sed præterita ut præsentia, perfecta ut imperfecta, & contra, non una trepidatione defixus intueatur. Et ne quid ad animi perturbationem desit, ipso verborum sono periculi magnitudo haud raro exprimitur, ita ut non audire, sed videre, non legere, sed interesse videamur. Testimonii loco ex sexentis duo erunt loci, spiritus magnificentia & virtute oratoria ita eminentes, ut iis nulla imaginatio plus luminis addere, nec ulla interpretatio aliquid umbræ facere possit. Alter est Jesaiæ, quo non auroræ & caliginis imago, sed novus sol, nova sidera, & quidem aucto in immensum splendore, quasi ex antiquo æternæ noctis chao in diem & conspectum oriuntur: והיה אור־הלבנה כאור החמה ואור החמה יהיה שבעתים "Erit & lunæ lux, ut lux solis, & "solis lux septuplex" i), cui addas: לא־יהיה־לך עוד השמש לאור יומם ולנגה הירח לא־יאיר לך והיה־לך יהוה לאור עולם ואלהיך לתפארתך: לא־יבוא עוד שמשך וירחך לא יאסף כי יהוה יהיה־לך לאור עולם

i) Jes. XXX. 26.

עולם ושלמו ימי אבלך "Non amplius tibi sol "interdiu lumen præbebit, neque lunæ splendor "illucebit, sed erit tibi Jehova lux æterna, Deus-"que tuus decori. Non occumbet amplius tuus "sol, tuave luna occidet, nam Jehova tibi lux erit "æterna, finito tui luctus die" k). Alter est Davidis, quo nihil vel ad Divinæ majestatis notitiam illustrius, vel ad generis humani admirationem amplius dici potest: עטה אור כשלמה נוטה שמים כיריעה: המקרה במים עליותיו השם עבים רכובו המהלך על־כנפי־רוח: עשה מלאכיו רוחות משרתיו אש להט "Lumine quasi veste indutus, cœlum tanquam ve-"lum intendis. Tua cænacula in aquis contabu-"las, & nubium vehiculo utens, venti alis incedis. "Facis tibi ex ventis nuntios, ex igne flammante "ministros" l). Sed hæc & his similia facilius quis notaverit, quam explicata intellexerit, aut intellecta explicaverit. Ut autem mundi spectaculum pro cujusque situ variatur, ita de Hebræis ut Hebræi judicemus: quo facto, multa, quæ humilia

k) l. c. LX. 19, 20.

l) Ps. CIV. 2, 3, 4.

milia videntur, sublimia reperiemus; quæ cogitatione, non æmulatione sequamur.

VI. DE CHALIFATU ORIENTALI. DISSERTATIO.

§. I.

Inter omnes Arabiæ tribus antiquitate & nomine eminebant Koreischitæ a). Quæ numerosa familia, divitiis insuper quæstuosa mercatura partis abundans, ad Ismaëlem auctorem suas origines refert. Ejusque princeps plurimum quoque auctoritatis & splendoris ipsi attulit. Ille enim claves tenebat, & curam atque custodiam agebat Caabæ, delubri Meccani, quod summa religione Arabes fere omnes coluerunt. Qua autem stirpe ortus etiam Muhammed fuit, famosus illius gentis legislator & vates:

a) J. H. Hottingeri Historia Orientalis L. I. C. IV. p. 206.

vates: qui fundamenta jecit imperii, quod brevi tempore Romanum majestate & amplitudine æquavit vel superavit. Mirum tamen est, in quam diversas sententias de hoc viro Historici abierint. Quem alii mentis non satis compotem & omnibus animi corporisque vitiis infamem dixerunt, hunc alii inter summos & clarissimos viros habuerunt; nec defuerunt, qui verba & sententias Corani lumini & compositioni Evangelii contenderent b). Qui vero sine odio vel studio de Muhammede judicant, eum inter bona & mala, præclaras ingenii dotes & fœdas animi cupiditates mixtum fuisse affirmant. Patre suo mature orbatus, duram initio passus est pauperiem; tutela vero avunculi, usu commercii & conditione matrimonii felix, fortuna & opibus crevit. Accidit vero, ut, cum negotiandi causa in Syriam profectus, Christianæ Religionis, quam nonnisi per famam cognoverat, ipsam faciem vidisset, mox abrogandi aviti sacri, quod inde ab infantia ei displicuerat, & propagandi novi & sui, quod veri & divini imaginem referret, consilium

b) Horum merito argui posse videntur Cl. viri Sale & Boulainvilliers.

consilium ceperit c). Palam itaque tum composita pietas; intus vero summa adipiscendi cupiditas. Testimonio erit ipsa doctrina, callide ita conformata & temperata, ut istius ævi homines dissolutos & superstitiosos eo facilius sibi conciliaret. Hoc enim ad altius, quam privati hominis fastigium, iter proximum credidit; nec spes ambientem fefellit. Quantos vero adeptus sit honores, quanta potitus dominatione, quanta denique adhuc veneratione per templa & sacerdotes orientis colatur, nemo est, vel parum in Historia versatus, qui ignoret.

§. II.

Primordia hæc fuerunt imperii, quod Muhammed condidit & Chalifatus dictum est; cujus tituli si quæris originem, hæc fuit. Mecca, loco natali, Muhammed profugus, quorundam ut evitaret Koreischitarum insidias, qui consilio primum, deinde vi ab incepto deterrere eum conati sunt, in Jathreb constitit; quam & urbem, Medinæ postea

 nomi-

c) Histoire Universelle Tom. XV. L. I. C. 2. passim.

nomine claram, ſedem regni condendi fecit. Hujusque loci auſpicium, quoties bellum aut religio ipſum avocavit, diſcipulorum cuidam commiſit; Chaliſæ & Caimmacami titulis additis, quorum alter ſacrarum, alter civilium rerum procuratio-nem ſignificaret d). Idemque Chaliſæ nomen ſocero Abu Bekro dixit, cum moriens, quam auctoritatem in ſacris ipſe habuit, illi deferret. Hinc iſte Abu-Beker, generi cum occuparet ſolium, ſalutatus eſt Chaliſa Reſul Allah, Divini Nuntii Vicarius. Succeſſores quoque reliqui omnes Chaliſæ dicti ſunt, quamquam in ea concione, qua Omar ſecundus a Muhammede Muſlimiorum princeps conſtitutus eſt, decretum fuerat, ut, quia Prophetæ non proximus ſucceſſerat, appellaretur tantum Emir el Muminin, Princeps Fidelium. Qui & titulus, poſtea æque ſanctus & honorificus, omnibus tributus fuit Ommiadibus & Abaſſidis, quorum tamen faſtu poſtremum auctus fuit, adjecto nomine Imam el Muſlimin, Pontificis Muſlimiorum. Hoc vero intereſt, quod Emir,

d) Mouradgea d'Ohsson Tableau General de l'Empire Othoman T. I. p. 214.

Emir, cui Melik & Sultan synonyma, civilem, Imam, sacram, & Chalifa utramque denotat potestatem. Ita interpretantur Ottomanni, apud quos vocabulum Chalifæ obsolevit, Imam vero adhuc honorificentissimum ducitur e).

§. III.

Primis post Muhammedem temporibus populo competit jus decernendi, ad quem dignitas Chalifatus deferretur. Mascula si proles non defuisset, in opes paternas filius successisset. At ex omnibus liberis Muhammedis sola erat superstes filia Fatima, quæ Ali, consobrino & proximo patris affini, nupserat: quo sanguinis vinculo provincia etiam soceri desponsata genero videbatur; quippe quæ in aliam familiam transferri, non sine injuria quadam in Prophetæ memoriam, potuisset. Sed moderationi rei publicæ nondum maturus censebatur Ali a populo, apud quem provectæ ætatis quamquam rigida fronte gravitas plus, quam hujus juvenis etsi præclara indoles valuit f). Ceterum

e) Ibid. p. 216, 256. cfr. Hist. Univ. T. XV. p. 298. & Hottinger. H. O. p. 451.

f) Encyclopedie Tom. V. Art. Calife p. 633.

rum nihil certi Muhammed de successore pronunciaverat, uude illius eligendi potestatem eo magis sibi factam esse putaverunt discipuli, qui Abu-Bekrum Chalifam crearunt. Duos adhuc Chalifas, Omarum scilicet & Osmanum invidus tulit Ali, antequam ipse ad hanc dignitatem pervenit. Omar enim ab antecessore quidem designatus erat, sed imperium sine consensu populi accipere noluit; nec ullo modo adduci potuit, ut successorem nominaret. "Satis erit," enim dixit, "me vivum "Chalifatus grave sustinuisse onus, post mortem "illi saltim vacare juvabit" g), & adulandi causa filio coram circumstantibus collocato, addidit: "ni-"mis jam est, quod vel unus ex mea familia ra-"tionem redditurus sum tanti muneris" h). Tandem, cum persuadendi finis non fieret, eo impellitur, ut sex electores constitueret; quorum vero arte factum est, ut non filio, sed Osmano sacramentum dictum sit. Imperium vero, ambitiose quæsitum & libidinose exercitum, diuturnum non fuit. Brevi Osman necatur & tandem Ali rerum poti-

---

g) M. d'Ohsson l. c. p. 279.
h) Hist. Univ. l. c. p. 403.

potitur. Sed populus jam factiosus erat, novarumque rerum cupidus, & quamquam Ali auctor tuendi Osmani fuerat, tamen illius occidendi tanquam suasor arcessebatur a Moavia, qui ulciscendi tanti facinoris specie, exercitu comparato, eum adgressus, dolo tamen magis quam virtute vicit, & omnia civilibus discordiis fessa, nomine Chalifæ sub imperium accepit. Neque vero turbarum adhuc fuit finis; quod malum quo magis premebatur, eo vehementius erupit. Tres itaque viri, audaces & fortes, in perniciem conjurarunt Principum, quos salutis publicæ hostes habuerunt. Quorum alter ad occidendum Moaviam Damascum se contulit; alter Ægyptum petiit, ut interficeret Amru Ibn el Ass, consiliarium Moaviæ & exercitus præfectum; horrendoque eodem consilio tertius Alim quæsivit. Hic tamen solus occubuit, & illi periculo superfuerunt. Sic quod ad evertendam injustam dominationem cogitatum fuerat, quietam eam magis & securam Moaviæ fecit: quam etiam ut sibi filioque confirmaret, Hussejn, filium Alis natu maximum, interficiendum curavit, & hoc scelere imperium in familiam Ommiadum, ex qua ipse ortus erat, transtulit. In hac autem

rerum mutatione enarranda justo plus diffusi forte videremur, nisi eam maxime notabilem Muslimii haberent. Eos enim Moaviæ tyranni pudet. Primi quatuor Muhammedis successores Chulefa y raschidin, veri Chalifæ nominantur, illorumque regnum Chilafath Kamila, Chalifatus perfectus, sequentium vero omnium Chilafath-ghair-Kamila, Chalifatus imperfectus i); jura tamen sacerdotii semper tributa sunt sequentibus etiam Chalifis, cum Ommiadibus, tum Abassidis, qui soli plena potestate cogniti sunt & Universales vulgo dicti. Permulti quidem Principes in Arabia, Ægypto, Barbaria & Hispania fuere, qui Chalifas se salutari voluerunt; hi vero Anti-Chalifæ a Muslimiis habiti sunt, quippe qui nulla nisi civilium rerum potestate polluerunt. Auctoritas Pontificalis, & qui illam sequuntur tituli & insignia solis competebant Chalifis, qui universales fuerunt: quatuordecim ex Ommiadibus, qui Damasci residebant, ab annno 41 ad annum 132 Heg (661, 749 Ær. Chr.); triginta & septem ex Abassidis, initio Cufæ, deinceps Bagdadi habitantes,

i) M. d'Ohsson l. c. p. 212, 213.

tes, ab an. 132 ad an. 656 Heg. (749, 1258 Ær. Chr.); & denique septemdecim ejusdem familiæ in Ægypto ab an. 659 ad an. 923 Heg. (1262, 1517 Ær. Chr.), quo Selim I, hoc regno expugnato, insignem hujus imaginis titulum & clarum sibi cognomen fecit k). Quod etiam decus, sicut imperium, deinceps Ottomannorum domui hereditarium & incolume stetit. Et hæc illius consequendi ratio fuit, ut in defuncti patris locum filius subiret: qui tamen ordo post fata Ahmedis I a recta in latus descivit. Sic nostra ætate Imperator Selim sceptra tenet patrui, etsi hic tres liberos reliquit. Quamquam vero jus nominandi successoris principi integrum, & obsequii necessitas po-

k) Ibid. p. 231, 232. Aliter vero Persæ & reliqui heterodoxi Schitæ de Chalifatu sentiunt. Nam ex primis quatuor solum Alim legitimum agnoscunt Chalifam, & post ipsum undecim ex ejus familia Arabiæ Principes. Horum ultimum, cui nomen Muhammed Mehhdi, in spelunca prope Sermen Rei vivum latere, sed aliquando reversurum fingunt, ideoque ejus adventum quotidie exspectant. Ibid. p. 266. seqq. cfr. Voyages de Tavernier T. I. p. 473 seqq.

populo tantum relicta fuit; tamen voluntas imperatoris pro ratione & lege non semper valuit: ingens populari tumultui materia.

§. IV.

Major vero quam libera & absoluta Chalifarum potestas fuit. Cum Muhammed fictis miraculis aliisque fraudibus nomen & dignitatem cœlestis nuntii assecutus esset, vel inde intelligi potest, quibus honoribus & obsequiis Vicarii ipsius colendi essent. Certe regum & principum perpauci tantum in suos habuere imperium, quantum hi Papo-Cæsares, religionis simul antistites & civitatis administratores, exercuerunt. Nihil non eorum libidini concessum erat, & omnia illis honesta, quæ aliis turpia, ut ne pudori quidem locus superesset. Huc spectant leges, quas Muhammed ipse dedit, & traditiones, quas ejus socii addiderunt. Quæ omnes tam callido consilio conditæ sunt, ut effrenatis cupiditatibus servire principi liceat, &, si quid scelus commiserit, illud in exemplum civibus non vertatur, vel detrahat aliquid de auctoritate & fide, quam Dei vices in terris gerens sibi vindicet. Hinc summa illa Muhammedanorum

erga

erga quoscunque Superiores obedientia. Hæc enim gens tam æquo animo injuſtum, quam juſtum imperium patitur. Et tanto major Muhammedis Vicario honor & reverentia habetur, quanto altior ſuper omnes, uti Zill-allah, umbra Dei, eminet l). Igitur non modo ejus perſonam violare, ſed & in vitam & mores inquirere ſacrilegium eſt. Juſtitiam, fidem, ceterasque virtutes vel colere vel negligere ipſi integrum eſt; neque enim populo reddenda imperii ratio, aut legi ſolvenda pœna m). Ejusmodi præceptis ab infantia inde inculcatis imbuti, & ad fatalem de immutabili rerum eventu opinionem inſtituti omnes, proceres, plebeji, Chalifas ſicut genios, bonos, malos, coluerunt, aut timuerunt. Negari tamen nequit, non omni tempore Chalifas æque ſanctos & inviolabiles apud ſubditos fuiſſe. Ut in ſummo honore, ita in ſummo etiam diſcrimine verſati ſunt. Rationemque plus interdum quam ſuperſtitionem valere,

l) M. d'Ohsson l. c. p. 290. cfr. Habesci der gegenwärtige Zustand des Ottomannischen Reichs p. 300.

m) Ibid. p. 271, 288.

lere, documento fuit vis vel fraus, qua magna & mala istorum pars hominum periit. Nec mirum. Illis enim non satis fuit vel studii ad noscendum populi, cui præerant, ingenium, vel religionis ad evitandum auctoritatis, qua gaudebant, abusum. Hæc incuria & inscitia, aut pravitas & immanitas servientibus tandem intolerabilis, & imperantibus fatalis evasit.

§. V.

Quam vero libere, tam late etiam patuit Chalifarum dominium. Intra triginta annorum spatium omnis fere Oriens, & Africa domita legibusque Corani subjecta fuit. Victricibus eorum armis moram quidem ad tempus fecerunt, quæ consequebantur, intestinæ turbæ; sed, pacatis tandem rebus, cum imperii potitus esset Walid I, novas provincias in ditionem suam redigere cœperunt in concordiam revocati Muslimii. Sub hoc Chalifa devicti hostes, prolati fines, & terribile omnibus gentibus Arabum nomen. Namque patuit regnum inde a freto Herculeo per utramque oram Mediterranei Maris Asiæque vastas regiones ad fines usque imperii Chinensis; immo fertur ipse

Chi-

Chinensium Imperator Chalifæ tributum ex fœdere pependisse n). Ut vero tanti & tam subito nati imperii non modo casus & eventus, sed etiam ratio & causæ noscantur; qualis status illo tempore orientis, quis habitus occidentis, quid apud Arabes integrum & validum, quid apud ceteros corruptum & ægrum fuerit, paulo altius repetendum videtur. Ut homo a natura voluptati deditus est, ita Islamismus, qui huic cupiditati favet, non potuit non Orientalibus, in libidinem projectis, maximopere placere. Tamen huic rei in propagando isto sacro omnem vim non tribuendam esse, credo. Est mortalibus insita quædam ad illa credenda, quæ vera esse optant, propensio; quæ si in vehementem cupiditatem exarserit, sæpe ad nimiam, & absurdam credulitatem transire solet. Adhæc si perpendatur, quam pauci judicio subtiles, & ad videndum, quid verum, quid falsum sit, acuti sint; mirum videri non debet, homines rudes sæpe decipi a prudentioribus, qui, quo astutiores, eo facilius illos ita tractant, ut quam velint in partem incautos tandem convertant.

n) Ibid. p. 227.

tant. Quæ quamquam ita sunt, tamen quam parum Muhammed, quantumvis astutus, efficere potuisset, nisi aliis quoque rebus adjutus fuisset, vel sola præceps ex loco natali fuga satis superque ostendit. Sed fuerunt Koreischitæ Zendicismo infecti, qui neque providam Numinis curam, neque vitam post fata corporis futuram agnoverunt o). Nulla fere illis religio fuit, neque res differens, quid de Deo ejusque cultu crederent aut scirent. Porro miserandum in modum turbatæ erant res Christianorum; in Occidente vi & cædes, in Oriente luxus & corruptio p; quæ omnia in omen prosperitatis accepta sunt. Mortuo enim Constantino, res Romanorum & Græcorum indies præceps ire, a Gothis vexari, & Hunnis in prædam cedere cœpit. Deinde cum Phocas regnum occupavisset, tantam fecerat militum cædem, ut, intra paucos annos dissipata vel exstirpata veteranorum manu, nullæ essent ad defendendam patriam mercenariæ copiæ. Nec melior Persarum conditio. Ruinam minitaban-

o) Hist. Univ. l. c. p. 28. cfr. Hottinger l. c. p. 238.

p) Hottinger l. c. p. 336 seqq.

bantur externæ & domesticæ inimicitiæ, plerumque permixtæ, crebræ cædes & repetitæ calamitates. Reges in populum, & hic in illos sæviebat q). Florentissima e contrario & potentissima fuit Arabum natio, propriis familiis, propter nuptiarum facilem conditionem, ipsa satis numerosa, & adventibus Græcorum, ob ademtam religionis libertatem patria profugorum, aucta. Præterea gens erat bellicosa, laborum patiens, & magni animi. Magna etiam victus & cultus simplicitate cognita erat. Indumentum vilis pretii sagulum: rarus illis cibus caro, aqua ut plurimum potus, & humus semper cubile r). Hinc robur, velocitas & fortitudo. Ipsa etiam forma regiminis favebat. Muhammedi enim si facile fuit, universis Arabum tribubus, cum eas vicisset, propter pericula abnuentium, sua sacra imperare; nec difficile erat, illis singulis, cum animos primum tentaret, propter paucitatem tribulium, hæc figmenta persuadere. Omnesque hæ res præsentes, quas contulit, & futuris adjunxit, illum ad opus, arduum inceptu, arduum exi-

q) Hist. Univ. l. c. p. 29 - 31.
r) Ibid. p. 32.

exitu, confidenter adgrediendum impulerunt. Ut autem eo validius & felicius ageret, Deum in suas partes traxit, ejusque instinctum simulavit. Multum ex hoc usus. Nihil enim tam rationi absurdum erat, cui non fides, nec quicquam tam humanitari adversum, cui non animus adderetur. Arma & castra sequi, ubi argumentis & testimoniis tantum locus erat, & ferro atque flamma in vitam & opes, conscientiam & opiniones sævire, honos Dei & mortalium pietas habebatur. Accessit persuasio fati, quæ fecit, ut plurimum audaciæ ad pericula capessenda, plurimum constantiæ inter ipsa pericula esset. Et ubi ea maxima fuerunt, quisque pro religione & principe mori beatum censuit. Hoc ad limen cœli iter maxime compendiarium videbatur s). Certe non alio plus, quam cœlesti credito duce audent & confidunt milites. Sic Islamismum prospere inchoavit Muhammed, longius provexerunt primi Chalifæ, eorumque successores amplificarunt & confirmarunt.

§. VI.

Est semper aliquod summum civitatibus & im-

---

s) Encyclopedie ubi supra p. 834.

imperiis constitutum, quod cum attigerunt, quia nec supra ascendere licet, nec facile est in eodem gradu consistere, primum lente descendere, mox citato impetu ruere solent. Testes sunt res Chalifarum, quæ quo altius creverant, eo graviorem casum dederunt. Neque enim stare potuit ingens moles, ad tantum fastigium erecta & fallenti fundamento imposita. Chalifæ quo latius imperii fines protulerant, & quo plures homines in servitium petierant, eo magis sua felicitate elati, suæque potentiæ fidentes, nihil non libidini & ignaviæ dederunt. Et ut malo otio libere & commode servire possent, quam potestatem ipsi in totum Muhammedanum orbem habebant, præfectis in partes ejus & provincias dederunt. Quæ autem natura est divitis, eadem quoque ambitiosi est, ut quanto plus acceperit, tanto plus concupiscat. Hi igitur procuratores tanta fortuna in spem majoris erecti, alius post alium, a principe deficiunt, jugum exuunt & tributum solvere recusant. Nec defuerunt certamina religionis cum civibus, & imperii cum Turcis, ut per amicos & inimicos res publica opprimeretur. Quæ omnes causæ, cum singulæ per se multum, tum conjunctæ plurimum

in

in debilitanda vi Chalifatus valuerunt: cujus non nisi umbra, tribus vix sæculis præterlapsis, superfuit t). Omne fere jam civilium rerum moderamen amiserat Muhammedis successor, & quibus templum, iisdem finibus imperium circumscriptum erat. Si autem re, non tamen nomine carebat. Nam Principes fere omnes, qui ex ruinis Chalifæ auctoritatem sibi paraverant, ab illo inaugurationis sacra fieri & imperii insignia tradi, gloriosum duxerunt. Et cum sollemnia festa celebrarentur, summis honoribus illum prosequi, & ipsius, in solio sedentis, sive manum, sive annulum osculari u), hic honos erat: quod tamen minus conscientiæ & religioni, quam prudentiæ & calliditati tribuendum duco. Timor enim erat, ne in sui imperii contemtum animus vulgi verteretur, si omnis species pristinæ potestatis ei, qui Muhammedis personam gereret, ademta fuisset. Postremum vero cum per rerum temporumque rationem licuit, etiam, quæ sola relicta fuerat sacrorum administratio, ad suum dominum rediit.

§. VII.

---

t) Ibid. p. 846.

u) M. d'Ohsson l. c. p. 233, 234.

§. VII.

Noſtris autem temporibus cum Muhammedis Vicario melius agitur. Selim I, ambitioſus & felix princeps, primus fuit, qui, ut ſupra dictum eſt, auctoritate Chalifatus in profanis non contentus, dignitatem quoque illius in ſacris ſibi vindicaret. Sed quod initio vis & injuria erat, paullatim judicium & perſuaſio factum eſt. Sic quamquam Imperator Turcarum, utpote origine barbarus, Muhammedani patrimonii & ſacerdotii legitimus heres cenſeri non poteſt; tamen quod natura ei non tribuit, id fortuna conſecutus eſt v). Novum in eo exemplum ſententiæ: potentia dat jus. Igitur cum regum Muhammedanorum potentiſſimus ſit, ab iis omnibus, tanquam ſanctiſſimus etiam eſſet, colitur & obſervatur. Hæc obſequia offerunt Arabiæ principes, imperator Maroccanus, & Indorum reges, qui, etſi ſuas leges habent & ſequuntur, tamen Conſtantinopolis Sultanum Muhammedanismi dominum & cuſtodem eſſe fatentur. Princeps quidem Meccanus principatum hujus ſacri eſſe ſuum dicit; quippe qui

v) Ibid. p. 268 seqq.

loco nobili, id eſt genere Muhammedis ortus, illius etiam religionis ſedem, templo Abrahami ſanctam, & piis Muſlimiorum viſendam, tenet, & ſuæ curæ & interpretationi præcepta fidei præcipue commiſſa eſſe contendit. Quamquam vero hic propter loci ſanctitatem in magno honore habetur; tamen cum propter impotentiam magis ſit religionis in pace decus, quam in bello præſidium, ſuo decedit jure, quod contra validiorem retinere non poteſt. Recte itaque dixerim, duos jam eſſe orientis Chalifas, alterum natum & afflictum, qui Arabiæ Petreæ, alterum factum & florentem, qui univerſæ Turciæ imperitat x).

VII. DE CHALIFIS LITTERARUM STUDIOSIS.

DISSERTATIO.

§. I.

Ut tempora & dies, ita litteræ & artes ſuas vices, claras, obſcuras, habuerunt. Eadem eſt doctrinæ,

x) Ex ore Abd'Allah, nobilis Meccani.

trinæ, quæ cœli ratio, ut, quemadmodum stellæ, ita disciplinæ in orbem eant, oriantur, transeant & occidant. Sic illæ ab oriente in occidentem, ex Ægypto in Græciam & Romam pervenerunt, suoque cursu per varias terræ regiones, incultas & barbaras, confecto, ad primas origines vel originibus proxima redierunt. Ubi autem magna Atheniensium & Latinorum ingenia ex senatu, foro & urbe in solitudinem, opaca & silentia loca cesserant, in medium prodierunt Arabes, qui aliorum vitia in suam virtutem verterunt, eorumque opera, in quæ nihil tempori, nihil ferro, nihil flammæ licuerat, vel interpretando sua fecerunt, vel commentando illustriora reddiderunt. Satisque ad hæc studia habuit gens a natura ingenii, & a fortuna stimuli. Quale enim cœlum solumque, tale & Arabum ingenium: generosus & bonus sanguis, & celeres animi motus: magna vis memoriæ, par judicii felicitas, & ad culpam usque excellens imaginandi facultas. Sic vero natis nec defuerunt spes & præmia, ad gratiam, opes vel honores proposita. Ipsi principes, Muhammedis successores, & vocabulo gentis Chalifæ appellati, quantum domestico sacro addicti, tantum profanæ & exteræ sapientiæ dediti fuerunt.

Ea-

Eorum pietas fuit, religionem, ad cujus tutamen altissime collocati erant, armis & consiliis longe lateque propagare: & eorum honos, rationem, ad cujus usum in rebus humanis optime instituti fuerunt, in veri studium & cognitionem conferre. Conditorique sui nominis & conscientiæ rudis populi sic inservierunt, ut inchoatæ & provectæ superstitioni fidem haberent vel se habere simularent: suæ autem persuasioni & generis humani consensui id tribuerunt, ut antiquissimæ & nobilissimæ philosophiæ judicium, opes & curas commodarent. Nulla enim fuit pars sapientiæ, quam non privatim honestam & in commune utilem putarent, nec ullus sapiens, quem non cum quadam reverentia amarent. At vero de hoc nobili temperamento, de hac in summo imperio humanitate, litterarum amore & in litteratos favore, scribere animus est, & ut scribam bene, votum.

§. II.

Cum illi, qui aliis imperant, nihil a fortuna majus habeant, quam ut possint, tum nihil a natura melius arripiunt, quam ut velint, bonas litteras complecti & venerari. Plus vero famæ armis & viri-

viribus, quàm litteris & artibus paretur, haud nihil ambigam. Provincias occupare, urbes incendere, agros vastare, templa diruere, cærimonias polluere, & terras atque maria cædibus & exsiliis implere, res est, quam sua ætas cum terrore sentit & videt. Scholæ autem ludos instituere, Academiæ spatia amplificare, honeste discentibus stipendia numerare, bene merentibus præmia proponere, & ingenia moresque ad virtutem & sapientiam conformare, hæc in sua gente felicitas est, & hoc apud posteros nomen. In utroque autem hoc gloriæ genere excelluerunt Chalifæ. Sed gratius nobis erit, tota mente repetere, qua ratione se ipsos quam alios vicerint, iris & triumphis temperarint, & animum a decertandi fortitudine ad cognoscendi cupiditatem retulerint. Quamdiu Arabes libere agebant, gladio, quo hostem infeste petierunt, hospitalitate, qua amicum liberaliter exceperunt, & eloquentia, qua nobilem tribus vel familiæ vel privati virtutem laudarunt, cogniti erant a). Summa autem rerum in unum dela-

a) Dissert. de fatis Linguæ Arabicæ.

delata, & imperio legis conſtituto, ſtudium etiam juris conſecutum eſt: quod initiis Iſlamiſmi ortum, regnantibus Ommiadis latius ſe diffudit. Ubi vero res Muhammedana in Haſchemidis ceſſerat, per beneficia eorum & exempla animi paullatim redierunt, & longa dominatione oppreſſi ſpiritus meare liberius & cogitare altius cœperunt b). Primus, qui ingenio ſublimi ornatus, humana divinis miſcere auſus eſt, fuit Abugjafar Elmanſur, Chalifa ex ſtirpe Abaſidarum ſecundus, qui cum ſcientia ſacri & ex Corano hauriendi juris ſtudium philoſophiæ, præcipue aſtronomiæ, conjunxit c). Ut autem hæreditas imperii, ita & imitatio mo-

b) Abulfaragius Hist. Dynast. p. 246.

c) وكان اول من عني منهم بالعلوم الخليفة الثاني ابو جعفر المنصور وكان مع براعته في الفقه كلفا في علم الفلسفة وخاصة في علم النجوم

"Primus autem eorum, qui disciplinis operam dedit, fuit Abugjafar Elmansur, Chalifa secundus, qui præterquam quod legis peritia excelluit, studio etiam philosophiæ, præcipue Astronomiæ, incubuit."

morum pertinebat ad fucceffores. In his memorabilis eft Harun Errafchid, qui parvo & fuo, initiis & rudimentis gentilitii ingenii non contentus, fuum doctrinæ amorem extra limen protulit, pluraque volumina ex peregrino in vernaculum fermonem verti juffit d). Nec reticendum eft, hunc principem non minus veri patientem quam cupidum fuiffe. Edicto, ut Maleki, vir fapiens, fuum opus, quod Mauta infcribitur, fibi fuisque filiis in cubiculo, & quidem claufis portis, explicaret, & refponfo, principibus & nobilibus parum prodeffe difciplinas, nifi & hominibus inferioris conditionis ad eas aditus pateat, tam æquo hoc confilium animo, quam monentem tulit e). Sic

&

---

d) Gihan Numa: "Harun Errasehid eloquentissimus & humanissimus fuit: socius item doctorum & amicus sanctorum patrum."

e) De Fatis Lingu. Orient. Comm. Vien. 1780. "Litteris ac eruditis hominibus supra, quam dici potest, addictus fuit. Cum notissimum illum librum, Mauta dictum, per ipsum auctorem ejus Malekium explicari sibi sineret, mandavit, ut id clausis cubiculi portis fieret, præsentibus tantummodo se, filiisque suis. At restitit vir doctissimus Malekius, inquiens:

& Elmamun, illius filius, id a præclara indole & paterno exemplo habuit, ut nulli labori & sumtui in amplificandis & ornandis litteris parceret. Antiqua & nova, extera & domestica ingeniorum monumenta pari affectu concupivit, & hoc animo supra gloriam triumphantium adscendere sibi videbatur. Honestum ei fuit, plurimos eruditos, lingua, moribus & religione diversos, Arabes, Persas, Chaldæos & Ægyptios, ad suam sedem arcessere; jucundum, cum illis de auctorum librorumque nominibus disserere; utile, homines intelligentia, fide & industria spectatos, in terras, illorum operibus ingeniorum notas, Græciam, Syriam, Armeniam & Ægyptum mittere; & gloriosum, quæ studiose conquisita & fructuose scripta erant, Arabice interpretari f). Hunc & alii secuti sunt, ejusdem

parum prodesse scientias principibus, ac nobilibus, si his inferioris conditionis homines carerent. Ingens illius in litteras propensio caussa fuit, ut ipsius jussa complura erudita opera antiquorum auctorum in arabicam linguam verterentur." Vide plura de hoc apud Abulfaragium & Herbelotum.

f) Abulfaragius l. c. de hoc refert: &c. تمّم ما بدأ جدّه "perfecit ille, quod orsus fuit

jusdem generis, gloria rerum gestarum pares, nec amore litterarum inferiores g). Cum vero tot tantique viri, qui utpote summi pontifices & principes, non minus judiciis & voluntatibus hominum, quam opibus & fortunis civium imperabant, sic præsides custodesque litterarum agerent, nec tam doctorum se mæcenates quam doctrinæ candidatos putarent, factum est, ut terra, quæ libris & studiis diu rudis habita fuerat, sedes honestarum artium, omnium gentium sermonibus, litteris & mori-

---

it avus ipsius" &c. Et Gihan Numa: "Elmaman in historia, jure civili & medicina facile princeps fuit: philosophiam quoque & antiquitatem in pretio & amore habuit." Cfr. Renaudoti in epistola ad Dacerium, & Leonis Afri in libello de viris quibusdam illustribus apud Arabes verba.

g) Exempli loco nominasse sufficiat Chalifas Mektefi Billah, Ahmed Elkader, & Elmistansar Billah, quorum ille, teste Gihan Numa, "pulcra forma præstantique indole fuit, & eruditos magni fecit, iste pietate, integritate & sapientia eminuit, & hic non solum sapientes sui sæculi in honore habuit, sed etiam scholas & litterarum sedes instituit."

moribus mista & composita, evaderet, & lingua, quæ pingue quoddam & barbarum sonare judicata est, omnibus sapientiæ studiosis, non utilis modo, sed necessaria etiam videretur h).

§. III.

Ne autem ingenia, ad honestas artes nata, domi & intra parietes, in opaco & solitudine, sine exemplo & invidia, segnius vel licentius agerent, bene quoque & providenter ab Chalifis constitutum est. Quo nobilior pars est reipublicæ juventus, eo major illius fuit ab ipsa infantia in litteras & mores formandæ cura. Sic ut pueri bene legere, adolescentes recte scribere, & juvenes honeste sapere discerent, institutæ sunt passim per provincias, urbes & pagos, publico consilio & sumtu, scholæ & academiæ. Quæ opera non solum discipulis,, quorum æmulationem laudata industria alebat & objurgata desidia tuebatur, sed etiam magistris, quorum animus frequentia audientium gaudebat, maxime profuit. Quibusque nec minus

h) Oratio Pocockii, cum prælectiones in poëma Tograi auspicaretur.

minus locis, in media luce & honestissimo conventu, omnem disciplinarum vim & varietatem, rem militarem, juris scientiam, eloquentiæ artem, dialecticæ subtilitatem, partis moralis honestatem, geometriæ sublimitatem, grammaticæ utilitatem, & omnes philosophiæ partes animo & labore, inter parata subsellia & certantia studia, complecti & gratis fovere, omnibus omnis ætatis & sortis licuit. Cum autem hæc doctrinæ domicilia, pro multitudine provinciarum & liberalitate imperantium, multa i), tum illa, quæ Bagdadi floruerunt k), pro

i) C. q. Kischæ, Kufæ, Bassoræ, Amadiæ, aliisque locis, de quibus passim apud Arabum Scriptores legimus.

k) Gihan Numa: "Bagdad, metropolis Irakæ Arabicæ & sedes Islamismi atque Chalifarum, & monumentis in pium usum structis referta, condita est in ripa Tigris, & quidem A:o Heg. 146 (Abulfeda habet 145), ab Chalifa Abugjafar, qui omnium primus libros Syriacos, Persicos & Græcos, exempli gratia Euclidem, aliosque Arabice vertit." Hæc est communis Arabum sententia. Illa interpretandi laus ad successorem, ejusque pronepotem, Elmamun, a melioribus auctoribus referri solet. Nomen vero Bagdad non novum esse, sed acceptum

pro fama magistrorum & frequentia studiosorum, celeberrima fuerunt. Quam vero ad laudem præter Chalifarum benevolentiam, quæ erga sedem imperii singularis & ambitiosa fuit, plurimum quoque momenti ipsam loci naturam addidisse, facile quis dixerit. Quantum ardoris & spiritus ad magnas cogitationes sol & calor, tantum etiam hilaritatis & facilitatis ad ingenuas artes provinci-

alis

ex antiquo regum Persicorum palatio, ibi conspicuo, patet ex Theophane. Addere placet, quæ Gentius in notis ad Rosarium Politicum de hac urbe scribit: "Bagdad inter Persidem & Arabiam optimo cœli & soli situ posita, Imperatoribus Abasidis diu regia fuerat, quorum temporibus non tantum imperii sedes, sed omnium artium & scientiarum domicilium fuit, & fœcunda præstantium ingeniorum mater; unde tanquam ex equo Trojano innumeri doctrinæ & ingenii Principes prodierunt; — & ipsa etiam Arabica lingua per Chaldæam, finitimasque terras propagata, & ab omnibus certatim exculta fuit, atque ad summam elegantiæ perfectionem deducta: quare etiam Bagdadensium lingua eo loco apud Arabes, quo Attica apud Græcos fuit, ut optime arabice crederetur loqui, qui Bagdadum patriam haberet."

alis amœnitas & ubertas conferre potuerit. Nec ullum litteris & moribus ex urbis exemplis & opibus periculum fuit. Namque ſpectacula hiſtrionum, fabularum actus, & ſaltatorum ſtudia, quæ animos a doctrinarum ſecretis ad otium & voluptatem avocant, ut noſtris temporibus, ita & antiquitus in faſtidio habuerunt orientales. Adhæc ut ad initia operis plus virium & amoris, quam ad media illius & extrema adfert ingenium humanum, ita litteræ & artes, ubi in terra, ingeniis ingeniorumque nutrimentis fœcunda, oriri cœperant, eadem vi & celeritate ad frugem pervenerunt, qua deinceps, poſtquam per haud longam ſæculorum ſeriem floruerant, per ſatietatem & incuriam exſtinctæ ſunt. Cæterum cum gens Muhammedana Chalifas, quos Dei vices in terris ſuſtinuiſſe credidit, ſua tempora inter curam imperii & ingenii partiri videret, his non minus quam ſtudiis ſanctiſſime obſequendum putavit. Et cum præmia & honores, quibus non aliud in excitandis ingenii dotibus animique virtutibus fortius eſt, acceſſerint, ſponte currentibus ars & ſtimulus addebatur. Quibus vero pretiis & rationibus ducti nos non mirabimur, Muhammedanorum ingenia, quamquam

mancipia nata, ad magnifica ſtudia adoleviſſe. Sed de fide noſtri ſermonis ex ipſis operibus judicabitur: quæ plurima & pulcherrima vel oriens adhuc in ſuis latebris fovet, vel occidens in ſuis bibliothecis collocavit, ſed incuria vel inſcitia in lucem & utilitatem adferre neglexit. Qui vero ignoti eſt cupidus, ſi hæc clauſa tentaverit, ingentem novis rebus materiam & interpretandi pretium inveniet, neque facile intelliget, cur ſervitus orientalis plura ingenii opera, quam libertas Græca & Romana protulerit: quorum etſi multa exempla perierunt, tamen pleraque nomina ſuperſunt l).

§. IV.

---

l) "Triginta & duo millia Arabicorum voluminum in una Bibliotheca Fessana servari, a viris gravissimis se accepisse testatur Erpenius. Septuaginta Bibliothecas in sola Hispania ad usum publicum patuisse, affirmat Abu Bekr Muhammed Ben Chair. Leo Africanus sub porticu templi Maroccani centum fere librorum officinas fuisse refert." Sed Catalogus Escurialensis, cui operam dat Casirius, ostendit, quot Arabes, quanta scientia, quantaque in suis studiis varietate, in artium studiis liberalissimis, & doctrinis versati sint.

§. IV.

Litteræ autem & artes, quæ, florentibus Chalifarum Bagdadensium rebus, tam læte creverant, orto Fatemidarum imperio, altius & splendidius adscenderunt. Nam cum hi principes, qui primo magnam Africæ partem occupaverant, sibi in Ægypto regnum, quod deinceps Salah Eddin in suam familiam, Ejubidarum dictam, transtulit, peperissent, caput & fortunas Chalifarum Bagdadensium devoverunt, eosque non occupati modo per cadem summi pontificis Ali sed usurpati etiam per tyrannidem imperii reos egerunt. Quo facto, & Chalifarum sacerdotio ingeniorumque nexu soluto, amplius spatium litteris datum est, quo longius a fabulis & vana fide, eo propius magnarum rerum & artium curæ & cognitioni. Nec hæc sentiendi, quæ quisque voluerit, dicendique, quæ senserit, libertas minor fuit sub illis principibus in Hispania; quæ Africanos contemtu Chalifatus æquavit, Bagdadenses autem studio philosophiæ superavit. Jam non credere oportebat, sed scire licebat: & ut quisque caussas & rationes rerum acutissime vidit & clarissime explicavit,

ita

ita favorem principis, judicium doctorum & popularem laudem facillime consecutus est. Ut privatis autem studiis nec decus & robur ex publico deesset, tecta etiam musis, rostra magistris & subsellia discentibus, pro dignitate, passim exstructa sunt. Nobiliora fuerunt, quæ Marocci, Septæ, Hubeddæ, Oraniæ, Bugiæ, Tuneti, Tripoli, Sigilmessæ, Alexandriæ, & Elcahiri, nobilissima vero, quæ Fessæ erecta erant. Pluraque hoc loco, ut satis loci imperitis ad institutionem, nec minus materiæ magistris ad invidiam esset, habebantur collegia, quorum ædificia opere & arte nitebant. Nec deerant in eis quæ laxamenta sunt curarum, magnifica ambulacra, vel pulcerrimis cancellis secretæ porticus & egregia adversus solem vel pluviam tutamina. Ut & accessere stipendia, & professoribus constituta fuit satis magna sui laboris merces. Atque hanc gloriam auxerunt cubicula & studiosis parata liberalia hospitia, in quibus vita toto septennio per honestarum artium studia gratis traducebatur m). In his autem aliisque litterarum sedibus, qua

m) F. L. Africanus in Dissertatione Africæ Lib. III.

qua vi naturæ & institutionis præstantia, quo ardore & studio, qua felicitate & laude, totam philosophiam, elegantiam illius & severitatem, carminum gloriam n) & mathematicæ reconditam disciplinam o) foverint & hauserint Arabes, restituendo, quæ fatali necessitatis lege perierant, emendando, quæ ab aliis male observata fuerant, & inveniendo, quæ industriam majorum & acumen fugerant, testes sunt eorum scripta aliorumque testimonia, judicia hominum & monumenta temporum. Totum hoc, quantumcumque est, quod certe maximum est, Chalifarum bonam indolem, litterarum amantissimam & studiosissimam, sui auctorem & suasorem, socium & rectorem habuit. Quod vero consilium, quod factum recordari, venerari & sequi, non minus humani animi excellentiæ, quam publicæ & privatæ saluti convenit.

n) Jones Poësis Asiatica & Schultensii Anthologia Arabica.

o) Nagelii Specimen Academicum de Studio Philosophiæ Græcæ inter Arabes: quod argumentum etiam Reiske aliique copiose tractarunt.

VIII. DE FATIS LINGUÆ ARABICÆ.

DISSERTATIO.

§. I.

Fata linguæ Arabicæ perſcribere conſtitui: copioſa & utilis materia, digna amore & ſtudio, digna cognitione & judicio. Agitur de ſermone, quo non alius vel origine antiquior, vel ore gravior, vel uſu fructuoſior. Nam primum res eſt ſummæ antiquitatis, cujus ætas ſupra plura millia annorum repetenda eſt. Deinde aut amor ſuſcepti negotii me fallit, aut nulla unquam lingua nec vocibus ditior, nec ſignificationibus expreſſior, nec litteris magnificentior fuit. In ſumma copia rotunde brevis, ea paucis & perſpicue tradit, quæ non niſi circuitu & per multas ambages alio quo demum cumque ſermone explicentur. Apta & modicis intervallis definita litterarum dimenſio, earumque, ſenſus intendendi vel remittendi gratia, diſpoſitio, ſubductio, vel juxta organorum rationem mutatio efficit, ut nihil vel conflictu conſo nan-

nantium ſtrepens & horridum, vel defectu vocalium iners & mutum audiatur. Si quid barbarum & peregrinum, nec ulli, niſi cui patrium & domeſticum ſit, gratum ſonet, id non tam Arabibus quam nobis tribuendum eſt. Nec dulcius noſtra iis ſpirant. Sic lingua Latina Græcis aſpera & triſtis, ſic Græca Arabibus effeminata & mollis viſa eſt. Et tandem magnus eſt linguæ Arabicæ uſus in ſacris, profanis. Quicquid antiquitus in vario ſcientiæ genere, ad ſalutem hominum, notitiam rerum & utilitatem temporum, ſcriptum eſt, totum fere hoc, quantumcunque eſt, Arabice vel primum compoſitum, vel ex Hebræo & Græco translatum habemus. Tam amplum eſt argumentum, quod hoc libello concludere in animum induxi: ex quo non tam copiam in dicendo, quam modum quærere debeo.

§. II.

De origine Arabum in diverſa tendunt auctores: nec mirum. Quis enim rem tam vetuſtam pro certo affirmet? Si autem cui populo licet, ſuas origines ad antiquiſſimam ſtirpem referre, detur etiam hæc venia Arabibus, ut ſui nominis &

con-

conditoris auctorem Jaarab ben Kathan a) potissimum ferant. Vetus & consentiens est memoria, hominem, quem diximus, imperium sibi in Jemen peperisse, illius vero fratrem, cui Gerhem nomen, sedem regnoque condendo locum circa Meccam quaesivisse b). Sed quibus tam arctus erat sanguinis nexus, iis nec diversus fuit sermo, & hic quidem Hebraeus, vel Hebraeo similis: qui autem, decursu temporis & mobilitate humani oris, ab antiqua sua dignitate & proprietate in novam & Arabicam dicendi rationem desciscere coepit. Si autem hujus in loquendo novitatis fama vel infamia praecipue pertinet ad Jaárab, quem Jemenses, illius quoque partem sibi vindicat Gerhem, quem Hedjazenses parentem suum nuncupant c). Horum posteri, quamdiu aliarum nationum connubiis & hospitiis mixti non fuerunt, satis caste & more majorum locuti sunt, unde Elarab Elaraba d) i. e. Arabes nati vocabulum iis additum.

Ubi

---

a) i. e. Joktan Gen. X. 26.

b) Gihan'Numa.

c) Idem, & Pocock in notis ad Abulfaragium.

d) العرب العاربة

Ubi autem Iſmaëlitæ, origine & ſermone Hebræi, pacem & affinitatem cum Gerhemitis junxerant, utriusque gentis lingua in unam & tertiam indies magis coaluit: & iis, quibus hac deinceps fuit in uſu, Elarab Elmetaraba e) i. e. Arabes Facti nomen dictum eſt. Hæccine autem loquendi conſuetudo ad Arabicam an Hebraicam plus deflexerit, haud nihil ambigam, nullo ejus monumento ſuperſtite. Si enim lingua, quæ in libris ante & poſt tempora Muhammedis conſcriptis quoad verborum originem, poteſtatem, formam & conſtructionem eadem eſt, nec ab ea, qua Gerhemitæ & Jaarabenſes uſi ſunt, diverſa fuerit; hoc ſermone, quicquid antiquitus vel recentius memoriæ prodiderunt Arabes, compoſitum erit.

§ III.

Mihi autem hæc differenti oritur quæſtio, cur, cum cæteræ linguæ naſcendi pereundique habeant legem, Arabica per tot temporum vices hominumque ora ſibi conſtiterit: cujus pondus excipere, mea cura, mea difficultas erit. Primum om-

e) العرب المتعربة

omnium haud parum huc contulit ipsa rerum natura, loci sinus & recessus, populique virtus & sui amor. Peninsula, quam Arabes semper sine ulla cogitatione ultra, sine longiori cupiditate tenuerunt, vel fluctibus & saxis vel montibus & solitudinibus a cæteris mortalibus segregatur, ita ut hostem vel periculum horridi maris cohibuerit, vel inopia aquæ & commeatus terruerit. Et ubi fortissimi & vicini populi signa Arabibus intulerunt, eorum avaritiam vel ambitionem non per obsequium & tributa, sed prœliis & periclitando hi homines effugerunt. Nemini servire voluerunt, nec ulli imperitare desiderarunt. Eadem in bello virtus, quæ in pace licentia: patria, libertas, conjuges, liberi, propinqui carissimi: & honesta mors turpi vita potior. Si autem minus arte & robore, tamen cursu & fortitudine plurimum valent. Latebris suis extrusi, & paupertate leves, eadem velocitate sequuntur & fugiunt, silvas & saltus penetrant, montes & juga evadunt, incursant, vulnerant, cædunt, capiunt, vel ipso clamore & sono agminis debellant. Sesostris, qui opulentis Ægypti urbibus & agris non contentus, avidas manus ad pecora Arabum porrexit, de hac gente triumpha-

phavit magis, quam eam vicit f). Cambyses non jubendi potestate, sed suadendi facultate impetravit, ut tutum sibi suisque copiis iter per Arabiae spatia et pericula pateret g). Omnesque Asiani, praeter Arabes, sanguinem, aurum et operam Dario commodarunt h). Nec impune Nabathaeos, Arabum gentem, in suis sedibus perculit Atheneus, dux Antigoni, qui pari clade et pudore in fugam actus est i). Neque Romanis, quorum imperandi libidinem nec oriens nec occidens carere potuit, hunc populum subigere datum fuit. Trajanus et Severus, auctis iris, quod Arabes soli non cessissent, cum diu circa moenia metropolis Agarenorum haesissent, re male gesta, non sine fama et vitae periculo Italiam repetierunt k). Nec Turcae, qui cum bona non possunt, nomina saltim gentium in tributum agere cupiunt, clausa Arabum felicius tentarunt: qui ubicumque hos latrones ipsi latro-

f) Diodorus Siculus Bibl. Histor. lib. I.
g) Herodotus lib. III.
h) Idem l. c.
i) Diodorus Siculus lib. XIX.
k) Xiphilinus in Dionis Nicaei rerum Romanarum Epitome ad vitam Trajani.

latrones persequi voluerunt, certamine pares vel inferiores abierunt l). Sic, quoniam Arabes utpote in ipsis penetralibus siti, exterorum et servientium nec fines viderunt nec voces audierunt, ita ut a contactu dominationis non minus oculos inviolatos quam aures illæsas habuerint; mirandum non est, nec eorum linguam vitia barbari oris contraxisse.

§. IV.

Nec aliæ desunt rationes, quæ effecerunt, ut quam venustatem lingua Arabica in sua juventute accepit, et quam dignitatem in virili ætate retinuit, nec in sua senectute amiserit. Ferebat veterum non modo ingenium sed etiam sermo, ut quæ simpliciter, sine verborum ornatu, sententiarum pondere et figurarum luce dicerentur, in novum quasi actum et scenam, dramatico habitu prodirent: quibus cum cantus et saltatio accederet, oratio certis numerorum pedumque intervallis, liberius tamen, definiri cepta est m). Hinc prima rerum gestarum

l) Scriptores Anglicani Vol. XVIII.

m) Accurata metri ratio ignota fuit Arabibus ante Chalifam Rascid. pari pöeseos amore &

gestarum monumenta metrice condita. Hebræi, Germani, Islandi & Scandinavii clarorum virorum facta moresque carminibus celebrarunt n). Et quidem antequam scribendi ars, summum ingenii humani inventum, cognita esset, carmina plus adjumenti, an nostris temporibus litteræ, ad memoriam antiquitatis attulerint, dubitem. Nam quæ prose scribuntur, casu vel consilio facile mutantur; quæ autem carminibus inseruntur, concentu metri aures animosque suavius afficiunt, & mente serius elabuntur. Sed si qua alia gens, perfecto Arabes nihil habuerunt antiquius, nihil sanctius, quam, quoties nobilis aliqua virtus mediocritatem vel vitium supergressa est, illius memoriam ad exemplum & invidiam posteris tradere. Atque ut hoc eo efficacius fieret, instituti sunt antiquitus, recentius, annui & panegyrici conventus, in quibus, quicquid ab aliquo tribuli vel tota tribu præ-

 clare

in poëtas beneficentia cognitum: quo imperante, rudis poëtica formam artis & dimensionis leges accepit. Pocock. Spec. Hist. Ar. p. 161. Elmacini Hist. Saracenica p. 120.

n) Tacitus de more Germanorum cap. II. Gen. IV. 23, 24. III. 24. IX. 25, 27. &c.

clare gestum esset, in sempiternam vel tribus vel familiæ vel privati laudem, quasi pro rostris, decantari solebat. Etiam in nundinis Occadensibus in medium prodierunt decora poëtarum ingenia, quæ expertas eloquentiæ artes in heroibus laudandis certatim contulerunt o). Ut autem his auctoritas ex testimoniis accedat, memorabo ea Arabum carmina, quæ gentis vocabulo Hamasa, i. e. Anthologia Arabica p) appellantur, quæ antiquitas in honorem militaris vel civilis virtutis composuit, & in confessibus domesticis vel sollemnibus recitavit, & quibus posteritas velut exemplis, in illustri positis, ad faciendam narratis fidem, dignitatem & auctoritatem usa est q). Scilicet illa majorum monumenta,

---

o) Pocockii Spec. Hist. Ar. p. 159. Locus, ubi conventus Meccani celebrabantur, سوق العكاظ Forum Okad dicebatur, ubi quotannis per mensem integrum congregati Arabes, non solum commercia egerunt, sed carminibus recitandis alii alios gloriabundi provocarunt.

p) Hujus specimina dederunt Al. Schultens & Reiske.

q) Sic in Nuveirii, Hamza, Iben Kothaiba aliisque videbis multa carmina infamar

ta, quantum teſtimonii in rebus, tantum quoque judicii in verbis, habuiſſe, exiſtimarunt ſequiores Arabes. Quicquid enim hi diligenter compoſuerant, ad ea velut oracula contulerunt, voces invidioſe æſtimarunt, & ſententias numeroſe verſarunt, ut de ſuis & novis tanquam de re ambigua ex ſententia patrum ſtatueretur r). Nec defuerunt, qui erec-

---

antiquitatis, quæ in rerum narratum fidem & lucem inserta sunt.

r) Pocock. l. c. pag. 160. & Gellal. Eddin, qui ita: الشعر ديوان العرب وبه حفظت الانساب وعرفت الماثر ومنه تعلمت اللغة "Poëmata apud Arabes commentariorum vicem sustinuerunt: quorum beneficio non modo genealogiarum series imperturbatæ servabantur, sed etiam ne oblivioni traderentur res gestæ, memoria dignæ, cavebatur: & ex his linguæ etiam peritia petebatur." Et rursus: كان الشعر في الجاهلية عند العرب ديوان علمهم منتهي حكمتهم به ياخذون واليه يصيرون "Poëmata olim Arabibus pandectæ fuerunt, & ultimus sapientiæ eorum terminus, unde, quæ illis usui, depromserunt, & quo omnia detulerunt."

erecto ingenio, & supra vulgus & superstitionem sapientes, horum carminum virtutem in rei suæ divinæ lucem verterent, & ex iis abdita & obscura Corani interpretarentur s). Hanc vero animi persuasionem, hanc industriam ad dignitatem, robur & tutamen antiqui sermonis in vita communi & civili plurimum contulisse, satis intelligitur.

§. V.

Sed magni etiam momenti hac in re fuit illud vivendi genus, quod Arabibus semper antiquius & simplicius placuit. Ut instituere majores, ita posteri imitati sunt. Mansit genti amor sui & odium vel contemtus alieni. Priscæ simplicitatis atque frugalitatis imaginem vita & sermone exprimere, sacramentum fuit; suum vero vultum, habitum & incessum ad aliarum civitatum exemplar conformare, ut magnum levitatis signum, ita haud minus servitutis crimen visum est. Igitur, more majorum, deserta & humano cultu vacua magis, quam urbes & agros secuti, sedes occuparunt, permu-

s) Lege, quæ de his narrat Eichhorn in monumentis antiquissimæ Historiæ Arabum pag. 14.

mutarunt, &, ut campus, ut fons placuit, inter pecora & armenta, solas spes & gratissimas opes, degerunt, sine voluptate & avaritia, quarum caussas vel nullas in vastis silvis, vel procul in alienis terris habuerunt. Nulla vel exigua auri & argenti cupido: quæ metalla iratum an propitium numen iis negaverit, dubitem. Et si tecta spectes, nullus cæmenti & tegularum usus fuit, nulla ars inventionis, nulla materiæ gratia, nulla formæ dignitas. Mappalia, quæ nec speciem nec delectationem habuerunt, suffugia fuerunt hiemi & receptacula calori. Par victus & cultus simplicitas. Nudi, aut veste fluitante operti incesserunt, negligenter, nec exquisite, ut quibus nullus per commercia luxus. Cibi etiam sine apparatu & blandimentis: lac concretum, caseus vel caro. Rarior panis copia: & hujus inopiæ caussam in gentis inertia posueris. Pigrum est visum, labore & agri colendi studio acquirere, quod latrocinio vel pecoris pascendi cura parare potuerunt. Sed qualis vita, talis & vox fuit, antiqua, propria, sincera, tantumque sui similis. Si qua rusticitas in ore sonuerit, tamen nulla peregrinitas consonuit, & si vox, utpote venatui aut stabulo adsueta, dura quibus-

busdam & aſpera viſa fuerit, tamen nihil mollis & effeminati ex deliciis urbis, theatralis licentiæ illecebris, & audacis laſciviæ ſpectaculis, animi orisque humani turbamentis, habuit t).

§. VI.

Suos autem majores non minus ingenio & animo, quam victu & cultu retulerunt Arabes. Bona muneri iis data, Gladius, hoſpitalitas & eloquentia u): quæ ab atavis acceperant, & quæ ad nepotes transtulerunt. Lancea cominus, eminus, ut res popoſcit, hoſtem petierunt; tanto fortius, quanto expeditius agunt, qui ſuam libertatem, quam qui alienum imperium defendunt v). Quantumque ad jus hoſpitii, quemcunque notum, ignotum,

---

t) Herodotus lib. III. & Niebuhr in libro, qui Description de l'Arabie inscribitur.

u) Saphadius: العرب قديما ما كان لها تفتخر به الا بالسيف والضيف والبلاغة "Arabes nihil habuerunt antiquitus, quo gloriarentur, præter gladium, hospitalitatem & eloquentiam."

v) Dissertatio de Militia Arabum.

notum, pari affectu exceperunt, abeunti viam monstrarunt, & poscenti manum aperuerunt, etsi hæc munificentiæ materia aliquando per raptus parata fuit. Et qui in hoc humanitatis genere insigni sui documentum dederant, haud secus ac victores coronari & palma donari solebant x). Quod vero ad eloquentiam attinet, eo magis ei dediti fuerunt, quo meliora dicendi instrumenta, adjumenta & incitamenta habuerunt. Ea genti conformatio oris, organorum solutio, gutturis structura, linguæ volubilitas, pectoris fortitudo, lateris firmitas, verborum copia & dialectorum varietas, ut ad eloquentiam non nati sed ficti fuisse videantur. Dicendique ad hanc facultatem profuit docile ingenium, profuit perpetua libertas, profuit facundiæ pretium. Etenim si qua alia gens, profecto Arabes fautricem in tribuendis animi dotibus naturam experti sunt. Magna eorum in inveniendo celeritas fuit, in cogitando facultas, & in ornando ubertas. Testis est populi judicium in mathematica, acu-

x) Al. Schultens in præfatione ad monumenta vetustiora Arabiæ.

acumen in dialectica, & in poësi ingenium. Etiam ad usum tam præstantis indolis plurimum valuit felicitas sentiendi, quæ voluerint, & dicendi, quæ senserint. Si verum est, eloquentiam esse licentiæ alumnam, partium & dissensionum comitem, audacem & effrenatam, & in civitatibus male constitutis ortam; apud Arabes, gentem mobilem & ambitiosam, nec libertatis nec servitutis patientem, facillime nasci & celerrime perfici ea debuerit. Namque iis nulla fuit in judiciis modestia, nulla superiorum reverentia, nullus magistratuum locus: periti, imperiti, omnes omnia potuerunt, egerunt, tulerunt. Ut autem inculta terra lætiores herbas, ita hi homines, certo imperio non obnoxii, nec ulla disciplinæ & legum severitate subacti & molliti, notabilioris eloquentiæ laudem ferre debuerunt, & tulissent, si modus in dicendo & temperamentum non defuisset. Neque non ad hoc libertatis bonum ingeniique humani præcipuum incitamentum accesserunt præmia eloquentiæ & honores. Ut quisque carminis gloria maxime eminuit, ita laudem præsentis ætatis & memoriam posteritatis facillime consecutus est. Allato rumore, in tribu aliqua inclaruisse vatem, aliarum & gratulantium fiebat concursus,

ſus, inſtituebantur epulæ, ædes & fores nitebant nuptiali pompa, & ſilvæ ac ſaltus perſonabant tympanorum & carminum concentu, quo fortunam ſuam illi augurabantur, quibus hic ſuæ in futurum virtutis præco & interpres contigerat y). Magna hæc domi veneratio, quæ ſine gloria ſanguinis, ſine auctoritate ætatis, ſine vi pecuniæ parabatur; major autem in publico ſpecies fuit; quem non clamor inanis, comitantium frequentia, & ſalutantium adulatio ſecuta eſt, ſed quam judicium doctorum, & conſenſus generis humani expreſſerat. Ut carmina, qnæ præſens ætas cum admiratione audiverat, poſteritas quoque cum pietate legeret, loco ſanctiſſimo & in templo Meccano, tanquam monumenta, non marmore & arte humana, ſed animo & ſpiritu quaſi divino effecta,

 ſu-

y) Pocockius l. c. & Gellal Eddin:

كانوا لا يهنيون الا بغلام يولد او
شاعر ينبع فيهم او فرس تنتج

"Non solennibus ubi sunt gratulationibus, nisi cum puer nasceretur, aut poëta apud illos inclaresceret, aut equa pullum generosum peperisset."

suspendebantur z). Tandem ut generosus equus campo, in quo suos orbes agat, ita poëta spatio, in quo suos numeros & modos componat, delectatur. Sic Arabum eloquentia ex eo quoque haud parum amplitudinis cepit, quod eorum poëtæ dicta & cogitata sua non consæpto fori aut parietibus curiæ, sed cœli regionibus & deserti limitibus terminarunt. Et sane animus nullo magis loco, quam in solitudine, pura & innocenti sede, ad magnas cogitationes patescit, vel ad lætas inardescit. Ejusmodi vero res, quæ singulæ multum vis & ponderis in amplificanda & tuenda Arabum lingua habuerunt, universas plurimum habuisse, nemo negaverit.

§. VII.

Superest alia ratio, ex ipsa linguæ natura & indole petenda, quo interior, eo valentior. Ea est vocum brevitas, ut nihil sine periculo detrahi, ea litte-

---

z) Hinc septem illa poëmata, quæ Arabes in summo honore adhuc habent, المعلقات Elmualakat i. e. Suspensa appellata sunt: de quibus vide Jones in suis Poëseos Asiaticæ commentariis.

litterarum gravitas, ut nihil facile mutari, & id gentis ingenium, ut nihil commode addi potuerit. Duæ vel tres consonantes, raro plures, origines vocum constituunt: quarum una vel altera si perierit, vocabulum vel dimidia vel tertia suæ naturæ parte privaretur. Et hæ litteræ, quæ vel in ipso gutture, vel labiorum ope, vel linguæ mucrone, palatum aut dentes tangente, efformatæ proferuntur, id habent roboris, ut si paucas, quæ propter affinitatem mutua sibi præstant officia, exceperis, reliquæ suo loco & vestigio non sine summa vi & injuria moveri possint. Nec ulli genti, ut credere fas est, voces suas augendi cupido exstitit. Quale majorum in iis fingendis, tale & posterorum in iis conservandis fuit ingenium, moræ in dicendo impatiens. Cum Turcæ, gens frigidiori cœlo soloque adsueta, non solum longa vocabula habent, sed etiam tarde ea pronuntiant, tanquam pigritia linguam eorum & vocem finxisset, tum Arabes, homines fervidi pro loco ingenii & temperamenti, suis rebus & cogitatis non brevia modo nomina imposuerunt, sed celeriter etiam ea efferunt. Et quia discrimen, quod inter Arabicas dicendi rationes intercedit,

ad vocales, quæ in quocumque ſermone mutationi valde obnoxiæ ſunt, præcipue pertinet, hæ autem exprimi non ſolent, conſonantibus ſolum ſcriptis; ſatis intelligitur, cur recentius & noſtris etiam temporibus ſcripta non imaginem, ſed ipſam faciem antiquitatis præ ſe ferre videantur.

§. VIII.

Jam diſputatum eſt, Linguæ Arabicæ eam eſſe laudem & virtutem, ut eadem ſemper tantumque ſui ſimilis viguerit. Ne autem plura, quam quæ voluerimus, dixiſſe videamur, noſtram mentem ſic jam definire licet, ut dicamus, hunc ſermonem, quamvis omni loco & tempore ſibi conſtiterit, ſuas tamen vices habuiſſe. Nulla unquam tanta fuit res, in qua non aliquid vetuſtas conſumſerit, aut incuria neglexerit, aut barbaries obſcuraverit. Quid vero tam molle & flexibile, tam vagum & caducum, & quod impetum tam facile ſequatur, quam oratio? Sicut cera, ad arbitrium dicentium, formatur, & pro conditione temporum ac diverſitate aurium mutatur. Nec alia linguæ Arabicæ ſors fuit & fortuna. Quamquam plurimas egit radices, tamen inconcuſſa ſemper

per & illæsa non mansit. Quo altius crevit, quo latius se diffudit, & quo diutius floruit, eo plus admirationis hæc res haberet, si pari semper fastigio, amplitudine & pulcritudine stetisset, nec, maturitate tempestiva, ut terræ fructus, vieta & caduca fuisset. Olim & in ætatis suæ flore ea illius ubertas erat, ut si Lexicographo Elchalil fides habenda sit, duodecies millies mille, trecenties quinquies mille, quadraginta duodecim voces contineret. Sed tantæ moli cessit, satis magna paullatim detrimenta persensit, & radicum ramorumque haud exiguam fecit jacturam. Quærendis autem, quæ perierant, nec defuere ingenia & studia. Cognoscere vero propietatem hujus sermonis, indagare verborum origines, originumque indolem & potestatem eruere, hoc sui officii & honoris esse putarunt Jemenses. Et quanta propagandi Islamismi religio, tanta quoque tuendi Arabismi cura est suscepta. Illustri nobis erit exemplo Ali Abu Taleb, magnus Muslemiorum Chalifa, qui, cum timeret, ne lingua Muhammedis, religione illius in pietatem orbis longe lateque prodeunte, aliquid inde profani & barbari caperet, homini hujus sermonis peritissimo præcepit, ut Arabice recte dicen-

dicendi scribendique legem sanciret a). Hujus vestigia secuti sunt & alii Grammatici b), in partes Cufensis aut Bassorensis Academiæ transgressi c): qui quo magis inter se discordes fuerunt, eo plus studii & temporis in evolvenda antiquitate & no-

a) Princeps Ali, "eruditione Augusto, clementia & benignitate Trajano, philosophiæ & pietatis studio M. Antonio Philosopho, fortitudine, justæ caussæ patrocinio, & exitus tristi ratione Pompejo par, eloquentia omnibus major." Reiske in Dissertatione de Principibus Muhammedanis. Refert Schems Eddin: فلما جا الاسلام فكانت العربية تتلاشي فدعا ابو طالب ابا الاسود ووضع له قوانين "Cum orta Muhammedis religione periculum exitii linguæ Arabicæ immineret, jussit Abu Taleb, ut Abu Elasuad Grammaticæ eam regulis adstringeret."

b) Horum princeps fuit Sajbujah, quem exceperunt alii plurimi, & scientia recte dicendi scribendique clarissimi.

c) De invidia & simultate, quæ Cufensibus cum Bassorensibus fuit, lege apud Hottingerum in Ἀρχαιολογια Orientali,

nofcenda Arabismi veritate pofuerunt. Hæc origo fuit optimis nomenclaturis, quæ ftirpes verborum inveftigant, fingulas fignificationes recenfent, ufus crebriores notant, veterumque Poëtarum aut Oratorum exemplis illuftrant & confirmant.

§. IX.

Sed ætás, ut linguæ Arabicæ vim & robur admodum imminuit, ita ejus quoque formam & fpeciem nonnihil mutavit. Semper quidem eadem illius perfona, non vero idem ingenium, iidem mores. Pro diverfa cœli pofitione & vivendi ratione, alium in aliis terris vultum habitumque induit & circumtulit. In folitudine, & inter pecora & armenta, ex quibus plurimum copiæ, virium & gratiæ haufit d), fe fuamque dignitatem diutiffime fuftinuit, more herbarum, quæ quo loco facillime nafcuntur, eo optime augefcunt. Purum ibi cœlum, liquidus aer, vita frugalis, boni fenfus & integri mores; ex quo lucos & nemora fuis etiam templis confecrarunt antiqui. Qui autem tacentes & innocentes loci non magis fuerunt recte agendi, quam

d) Primam vocum poteftatem fi probe infpexeris, huic fententiæ calculum facile addes.

quam bene loquendi præceptores & magiſtri. In ſeceſſu, & procul ab hominum cœtu & frequentia, pauca ſe offerunt, ut voluptatis irritamenta, ita & oris turbamenta. Secum quæque familia aut tribus loquitur, ſe in conſilium adhibet, ſe ipſam ſequitur & intuetur. Nulla ultra eſt cogitatio, nulla cupiditas: & quantus eſt ſui & antiquitatis amor, in tanto faſtidio aut contemtu externa & aliena habentur. Sic in Arabia Petræa (inopiæ & ſolitudinis argumentum eſt ipſum nomen), quo ſecretius & tutius, eo liberius & eloquentius egere Arabes e). Arcus & gladius periclitanti in acie non firmius eſt tutamen, quam iſtius terræ aſperitas & ſterilitas indigenarum ſermoni tutela & præſidium fuit. Profunda montium & arenarum, æſtus & ſitis, inopia & fames impedimento fuerunt, quo minus invidi cujusdam & inimici, non dicam arma, ſed ne verba quidem eo penetrare potuerint. Sanctum præterea & venerabile quid ipſi

e) Abd Allah, nobilis Meccanus, quo Arabicæ linguæ magiſtro Conſtantinopoli uſus ſum, Arabice melius, quam alii, quorum vocibus in hoc ſcientiæ genere interfui, loquebatur.

ipſi loco ineſſe creditum eſt. Vidit hæc terra, ut fides eſt Muſlemiorum, Abrahamum, Caabæ Meccanæ, templi ſanctiſſimi, conditorem, vidit etiam Iſmaëlem, ſecundum poſt Gerhem Arabicæ gentis & linguæ parentem. Hujusque ſacri & ſermonis ſe hæredes jactarunt Corajſchitæ, Iſmaëlis poſteritas, princeps Hedjazenſium tribus, & in utroque colendo tuendoque magnam curam & diligentiam collocarunt. Ceterum ut crimen erat capitis, intra Meccæ pomœria ſanguinem effundere, aut quicquam noxæ cuiquam inferre, ita etiam infame in omnem vitam ducebatur, certis & inaugurato conſecratis limitibus linguam Iſmaëlis non circumſcribere. Prodiit demum in medium Muhammed, Corajſchita & ipſe, & per Adnan ab Iſmaële originem ducens: quem ut credendi, ita etiam dicendi artificem, ſanctiſſimum & clariſſimum, coluerunt Muſlemii f). Sagaci huic morum obſervatori callidoque legislatori genus dicendi placuit, non ſententiis modo argutum, floridum & numeroſum, ſed verbis etiam nitidum, ſonans & antiquum, ut ejus

 Oratio

f) Alb. Schultensii oratio de linguæ Arabicæ antiquissima origine.

oratio non minus ad delectationem aurium, quam ad motum ſenſuum accomodata fieret g). Tam exquiſita eſſe Corani vocabula, & tam decoram eorum conſtructionem putant Scriptores Aſiatici, ut hoc exemplum imitari non audeant, aut imitationem diſſimulent.' Et ne de illius pretio ex alieno ingenio minus præclare judicetur, ne interpretandi quidem venia datur. Labejd, celebris Arabum Poëta, cum Suræ Secundæ initia templo Meccano affixa videret, ingenio illius & voce tanquam fulmine percullus, ſua inde carmina tolli juſſit h). Ad elegantiam vero Muhammedici ſermonis inſtitui, cum omnibus glorioſum, tum ad eam naſci, Hedjazenſibus fortunatum fuit. Qui homines, & in his præcipue Corajſchitæ, ut olim Gentilismi & Iſmaëliticæ vocis, ita nunc Iſlamismi & Muhammedici ſermonis fidi cuſtodes cenſeri voluerunt. Et id quidem jure poſtulatur. Namque non modo cavere, ne ii, quibus alia Numinis eſt perſua-

g) Lege Caput Corani, quod Misericors inſcribitur, & inter carmina pulcerrima recenſeri debet.

h) Hæc aſſerit Iben Cotejba in ſuo libro, qui Ketab Elmaàref nuncupatur.

ſuaſio, alia templa, & aliæ cæremoniæ, terram Hedjazenſem, quæ Sancta creditur i), ſuo pede profanent, ſed etiam providere, ne ii, quibus diverſa, aut non plane eadem loquendi conſuetudo eſt, linguam Meccanam, quæ Divina vocatur k), ſuo ore polluant, religio eſt. Scilicet ultra Giddam, Meccanæ regionis emporium, greſſus moliri, Judæis & Chriſtianis nefas eſt, & aliquid peregrini ex ore Perſarum & Turcarum, ad ſacra Meccana undique confluentium, contrahere, indigenæ turpe putant.

§. X.

Arabici autem eloquii principatum ſi tenent Hedjazenſes, Beduinis (Badava gentis eſt vocabulum) proximus eſt locus. Nomadum hi ſunt genus, & vagi paſtores, quibus nullum avitum pri-

i) Description de l'Arabie par M. Niebuhr p. 303.

k) Arabs Meccanus, cum Arabice loquentem me audiret, religione & admiratione captus, dixit:

انت تتكلم كلام الله وعلي راسك برنس

"Uteris lingua Dei, tamen capite pileum geris."

privatumque solum, nulla ejus cura. Solitudo (tantum jacet campi) iis patet: & communibus, ut propriis, uti licet. Sedes permutare, sequi armenta; & omnia secum, larem, tectum & pharetram ferre beatius, quam colere agros, condere urbes, & commercia exercere, arbitrantur. Ampla enim patrimonia, consitæ vineæ, elegantesque ædes servitutis obsides videntur. Nec aliis ad libertatem & securitatem utilior copia, quam his inopia fuit. Silvas & paludes penetrare, ambitioso periculosum, & vacua atque inculta expugnare, avaro inutile visum est. Qualis vero horum vita, talis & sermo est, antiquitatis & integritatis pulcra effigies. More majorum non solum vivere, sed etiam loqui, hoc verum nascendi pretium, hæc nobilitas. Et si aviti sermonis memoriam sibi sacram putant Hedjazenses, qui Muhammedem suum civem dicunt; illius oblivionem sibi nefandam ducunt Beduini, quorum plurimi hunc vatem suum quoque clientem jactant l). Quæ vero sanguinis gloria his Arabibus, qui ad studium antiqui-

---

l) e. g. Tribus Muntefik, quæ circa Euphratem degunt, & suos majores non solum Hedjaz patriam habuisse, sed etiam Muhammedi

quitatis sua sponte currunt, stimulum & artem addidit. Et ne honesta vox a suo unquam exemplo descifcat, bona natura hac etiam cura juvatur. In hospitiis & consessibus sedent patres, qui veterum facta moresque veterum sermone memorant. Coit populus, & circumfunditur corona, quæ habitum sermonis quemcumque orator induerit, intento silentio & magna cum voluptate accipit, domumque ad suos parentes, liberos & amicos refert. Talique modo ab ipsa infantia ad bene loquendi facultatem lingua formatur & per reliquos ætatis gradus custoditur. Hæc pueritiæ institutio, hæc juventutis virtus, hic senectutis honos.

§. XI.

Illi contra, qui certis imperiis obnoxii, agros aut urbes coluere, a veteri dicendi gloria longius recesserunt. Linguam quamcunque rusticos incuriose & eventu, oppidanos autem judicio & intellectu corrumpere, notum est. Illi, quo ignobiliorem servitutis locum tenent, eo putidius litteras exprimunt, eoque negligentius eas obscurant. Quibus vero ho-

in propaganda sua religione opem tulisse ferunt. Niebuhr l. c. p. 334.

hominibus detur hæc venia, ut avitam diligentius terram, quam linguam exerceant. Sed oppidanis ut vita, ita & sermo placet cultior. Fugere verba, in quibus obsoleta vetustas aut rustica asperitas resonare videtur, humanitas & urbanitas vocatur. Tristis & impexa illis videtur antiquitas, dura & rigida. Ejusque faciem esse rugosam, venas eminere, ossaque numerari, dicunt. Nova & major oris gratia & commendatio affectatur: quæ autem fucata & personata, nec habet sanguinem, qui membra implet, nec ruborem, qui nervos tegit. Hinc vox pro rudi & informi exsanguis & attrita, pro aspera & horrida mollis & pusilla, & pro impolita & agresti absona & absurda nascitur. Quo autem malo, domestico & intestino, si vox premitur, duobus aliis, externis & contagiosis, spiritus quasi includitur. Ad portus & urbes, opum & deliciarum sedes, quæstus vel voluptatis gratia, undique confluunt homines, qui quantum ad imperii dignitatem & potentiam conferunt, tantum ejus moribus & sermoni detrahunt. In foris, tabernis & hospitiis non res solum, sed rerum etiam nomina habentur venalia. Et cum, quæ remota sunt, pluris, quam quæ jacent ante pedes, æstimentur, fit, ut pe-

regri-

regrina vocabula, etſi pingue quoddam & barbarum ſonent, tamen ſuaviſſimo concentu aures complere videantur, & civitate donentur m). Sic non eadem eſt in Jemen, quæ in Hedjaz Arabismi diſciplina & ſeveritas. Illius enim caſtitati quantum profuit terræ poſterioris aſperitas, quæ hoſtes humanique juris & ſermonis everſores, Ægyptios, Romanos & Turcas denuntiatione periculi a ſuis campis & paſcuis terruit, tantum nocuit provinciæ prioris fertilitas, quæ avidos colonos, Judæos, Chriſtianos, & Æthiopes dulcedine lucri in agros & urbes deduxit n). Hinc peregrini admiſtio, & Arabismi in Impurum, qui Hamjarenſium in Arabia Felici, & Defæcatum o), qui Coraiſchitarum in Arabia Petræa fuit, diſtinctio. Si autem, quod

m) Sic, quemadmodum Meſopotamiæ incolæ, qui cum Persis res contrahunt, Persica, ita Syriæ indigenæ, qui cum Turcis commercium habent, Turcica Arabicis miscent: qua mistura mihi cogniti sunt, in priori genere Behenam Episcopus Chaldæus, & Ninevita, in posteriori Germanus Conti, vicarius Patriarchæ Antiocheni, & Libanensis.

n) Niebuhr l. c. p. 162.

o) Hac dialecto, quæ ab aliis لسان عربي مبين

quod in quacunque lingua verum et antiquum eſt, hoſpes ſuo adventu et colloquio adulterat, id hoſtis ſua vi et poteſtate perturbat. Ei non ſatis eſt, terras et urbes expugnare, et opes ac fortunas rapere et auferre. Victæ gentis ratio quoque et oratio in triumphum aguntur. Servientium eſt, ad vocem non minus, quam ad vitam domini ſe componere. Suæ uſus linguæ, in ſecreto tantum eſt, et cum ſuis. Hoc ſolum libertatis veſtigium remanet. In publico vox prævalentis populi dominatur, et audientiam ſui atque imitationem facit: quæ vero parendi neceſſitas proprii ſermonis incuriam, et mox inſcitiam adfert. Iniquæ hujus ſortis documentum eſt Turcarum poteſtas, quæ quo latius per Arabum ſedes ſe diffudit, eo magis illorum voces perculit. Hoſtili libidini, et Ottomannicæ dominationis ac vocis contactui, ſi orientis ſolitudo clauſa fuit, hujus orbis agri et urbes patuerunt. Cum Ægypti, Paleſtinæ, Syriæ et Meſopotamiæ nomades in ſylvas et ſaltus ſe abdunt, ne tyrannum

lingua Arabica perspicua dicitur, scriptum esse Coranum constat.

num adſpiciant, aut cum eo colloquantur p), tum qui harum regionum tributarii ſunt cives, ad os & vultum dominantium ſe componunt, ut eorum ſuperbiam per hoc obſequium effugiant. Adeo, ſi lingua Arabum paſtoralis, quæ jus ſuum retinuit, & ſe ipſa defendit, illuſtris & honeſta, hæc ruſtica & urbana, quæ bello capta & ſervitio ſubjecta eſt, vilis & abjecta dicatur.

§. XII.

Illæ autem dicendi formæ & figuræ non ideo diverſæ ſunt, quia diſſimiles. Specie, non genere, differunt. Nec majus eſt diſcrimen, quam, quod & alias in lingvas cadere potuerit: & hoc quidem non ſcribendi, ſed loquendi rationem ſpectat. Stilus eſt tardus & diligens. Quæ quis litteris mandaverit, ea ut cælanda ducit, & quam compoſitioni artem, eam verbis proprietatem & lucem adhibet. Omnibus enim cum ſcribat, in voto eſt, ut etiam ab omnibus intelligatur. Sermone itaque, non provinciali, & qui paucorum eſt,

 ſed

p) Evolve, si placet, quæ Niebuhr p. 327. l. c. de horum vita Arabum cupiose disserit.

ſed vulgari, & qui in conſuetudine communis verſatur intelligentiæ, utitur. Minor eſt bene loquendi cura. Quo plus faſtidii adfert, ſi quis expreſſe & ad ſcribendi usque ſollicitudinem dixerit, eo facilius conceditur hæc venia, ut in ſermone vulgari negligenter & circumciſe agatur, litteris ac vocalibus ſuppreſſis aut mutatis. Hæc autem libertas mobilitate præcipue vulgi in licentiam vertitur: quod cum de omnibus nationibus, tum præcipue de Arabibus valet. Gens Arabum ut in agendo ita in dicendo ſervitutis eſt impatiens: ſine rectore, ſine duce vox illius errat, nec quod dictu rectum, ſed quod facile ſit, ſequitur. Et ut quisque imperio maxime eſt obnoxius, ita loquendi diſciplinam maxime averſatur. Quæ enim auctoritas in rebus deeſt, in verbis quæritur. Adeo ſi illi Arabum plebeji, qui liberi ſunt, male; tum qui obediunt, pejus, & qui ſerviunt, peſſime loquuntur. Arabice quidem omnes dicunt, ita vero, ut in patrio ſermone hoſpites ſibi invicem videantur. Ad hanc, vel illam rem exprimendam alia aliis, nova aut corrupta, non ſolum vox, ſed etiam pronuntiatio placet: quæ diverſitas neceſſita-

tem

tem interpretis subinde facit q). Qui contra splendidius nati sunt, elegantius & antiquius loquuntur. Quæ vero facultas honesta educatione, librorum lectione, & nobiliorum hominum usu ac consuetudine paratur. Sed neque hi omnes ore consentiunt. Unum quidem idemque exemplum, veterem dicendi rationem intuentur, tamen varie imitantur r). Sua cuique terra æque dicendi atque vivendi morem, magis vel minus integrum & honestum, finxit. Hæc autem varietas, cum non viscera linguæ & litterarum indolem, sed ejus lineamenta & vocalium sonum spectet s), mutuæ intel-

q) Ex hac rusticitate qui de lingua Arabica judicant, hodiernas ejus species tam longe ab antiqua, quam Italam a Romana, abesse dicunt: quem judicii errorem. Niebuhr l. c. p. 74 aliique commiserunt.

r) Hæ dicendi varietates plurimæ sunt, & quo longiores a sua origine & antiqua sede, eo in morem fluminis corruptiores. Sic qui Ægyptum, Palæstinam & vicinas terras colunt, ad Hedjazensium similitudinem expressius loquuntur. Inter eos autem, qui Barbariam tenent, Maroccani multo corruptius, quam Algirenses, Tunenses, & Tripolitani dicunt.

s) Ne exemplum desit, Hedjazenses & Beduini

intelligentiæ parum difficultatis imponit. Sed Arabes si corrupte loquuntur, tamen integre scribunt. Quæ diversis locis & a diversis ingeniis memoriæ prodita fuerint, sui invicem ductu calami adeo similia sunt, ut unius opera manus esse videantur. Eadem forma & firmitas corporis, idem honor capitis, eadem dignitas oris, eadem ætatis maturitas. Nihil in iis novi & ficti, barbari & corrupti offendit; sed omnia sunt sana & probata, casta & inviolata, distincta & dilucida, & singula ad majorum in loquendo judicium, consensum & decretum expressa & conformata. Præsentis enim ætatis sive volumina evolveris, sive epistolas legeris, in illorum elaborato & harum familiari stilo eundem sermonis habitum videbis, & si utrumque cum vetustissimis Arabum monumentis contuleris, omnia verba specie & figura, genere & numero, casibus

---

litteram ق per g h a f & vocalem F a t a h per a, Ægyptii vero priorem per K a f & posteriorem per e sæpissime efferunt, ita ut vocabulum c o n s e s s u s illi per M a g h a m a, hi vero per M a k a m e exprimant: quæ diversa autem pronuntiandi ratio sensum animi haud facile confundit.

ſibus & temporibus, ſerie & ordine, amice convenire intelliges t). Nec diverſitas ſignificationum ſub una radice diverſæ ſuſpicionem linguæ faciat. Hæc enim differentia, præterquam quod incuriæ aut inſcitiæ Lexicographorum, qui primam vocum poteſtatem ignorarunt, tribuenda eſt, ex differentibus, item repugnantibus translationibus & notionibus ſecundariis, quarum aliæ aliis populis placuere, nata eſt, & diſcordiam in ſumma concordia effecit u). Adeo qui hodiernam Arabum lin-

t) Hujus veritatis documenta erunt, quæ ab hodiernis Arabibus aut ſcripta accepi, aut dicta memoriæ prodidi, quæ priſcæ habitum linguæ adeo referunt, ut ejusdem esse ætatis monumenta videantur.

u) De diversa hac vocum significatione refert Pocock ex Gevhario & Firuzabadio Lexicographis: "Arabem quempiam, cum ad regem Hamjarensem ingressus, sedere juberetur, dicente illi rege ثب t'heb, e loco alto, in quo staret, desiliisse, ac membris misere confractis, stoliditatis suæ pœnam luisse. Miranti regi, ac rationem facti roganti responsum, idem sonare ثب alia Arabum dialecto, ac salta." Duplex est notio verbi وثب, in prima conjugatione salivit,

linguam ex illius non abufu fed ufu æftimaverit, antiquæ imaginem in ea fuperftitem, & ex vero expreffam effe affirmabit.

IX. DE GENTE ET LINGUA MELITENSI

DISSERTATIO.

§. I.

Monumenta antiquioris recentiorisve ævi propius fi adeas, fata hominum, regionum, linguarumque diligentius fi pervolvas, varia variis illa fuiffe temporibus, haud obfcure invenies. Documento nobis erit, fi qua alia terra, infula Melita, cujus ad-

in secunda considere jussit; quam utramque conciliaveris, si illam de saltu in locum quemcumque, quæ Arabi, & hanc de celeri adscensu in stratum, quæ regi in usu erat, acceperis.

adversa & prospera, primum populi origines & motus, deinde linguae habitum & statum aperire institui. Credunt multi antiquarum rerum scriptores, Melitam eandem fuisse atque Hyperiam, Phaeacum sedem locumque prope Cyclopum terras, id est, Siciliam. Nec vanis rumoribus & incompertis haec fides. Plura enim utrique communia affert Homerus a). Phaeaces igitur ii fuerint mortales, qui primi insulam incoluerunt. Hi autem a Phoenicibus inde pulsi in Scheriam seu Corcyram paullo ante Trojanam expeditionem penates suos & focos transtulerunt. Phoenices rursus partem Siciliae, occupatis extremis ad mare oris insulisque ei objacentibus, colebant b), gens commercio dedita, & ut locuples ac potens, ita avara atque inquieta, quae lucri causa nihil difficile aut arduum inexpertum reliquit. Nec quaestui opportunior locus Melita, quae objectu laterum tranquillum portum efficiens, & alto sita mari, his hominibus, qui ad Oceanum usque occidentalem negotiationes suas extendebant, tutum refugium, eorumque opibus commodum receptaculum praebuit: quam

a) Odyss. Lib. VI.
b) Thucydides Lib. VI.

quam & Diodorus Siculus fovet sententiam, dicens: Εςι δε η νησος (Μελιτη) Φοινικων αποικος, οι ταις εμποριαις διατεινοντες μεχρι τȣ κατα την δυσιν Ωκεανȣ, καταφυγην εσχον ταυτην ευλιμενον ȣσαν και κειμενην την πελαγιαν. Imperium vero flagitiose quæsitum & cupide exercitum non diuturnum fuit. Ilio enim capto, Græci cum navibus trajicientes, Melitam, multis inde exturbatis Phœnicibus, sedibusque ibi positis, mixti aboriginibus tenuere c). Antiqua marmora & numismata litteris eorum inscripta rem satis demonstrant. His tamen omne insulæ imperium cessisse, non affirmo. Fuerunt enim, qui victorum iræ & cupiditati superstites, & Carthaginensium adventibus hospitiisque aucti, diu post hæc tempora in majorum patria degerent. Sed appropinquat tempus, quo inter Romanos & Punos bella exardescunt, horum magis strage & ruina, quam illorum fortuna & virtute memorabilia. Victis tandem Cathaginensibus, Sempronius consul Romanus in Melitam, quæ tunc a Punis tenebatur, trajecit: cui advenienti Amilcar, Gisgonis filius & præsidii

c) Thucydides Lib. VI.

præsidii præfectus cum insula traditur d). Romanorum vero neque longa fuit dominatio. Generis enim humani arbitrium in Græcos, tandem Arabes delatum est: quorum demum potestati erepta hæc insula, mox autem a Rogero Normanno subacta e), sortem cum Sicilia communem habuit. Et denique, cum Cæsar Carolus V:tus sui regni non minus securitati, quam amplitudini intentus, littora Siciliæ Barbarorum libidini & latrociniis exposita videret, Melitam Joanitis equitibus domicilii locum perpetui obtulit, ut ope eorum & consilio insolentiam hostium tanto facilius compesceret. Originem autem hujus ordinis breviter, quantum fieri potest, nunc exponemus.

§. II.

Hierosolymam, urbem antiquissimam & sanctissimam, peregrinari Christianis tam Europeis quam Orientalibus, olim mos & magna pars religionis fuit; & ab hoc consilio nec loci longinquitas abstrahere, nec itineris molestia avocare, nec

 pestis

d) Tit. Liv. Lib. XXI.

e) L'Encyclopedie Tom. XX.

pestis aut tempestatum vis deterrere potuit. Tanta erat superstitio, ut omnia pericula terra marique parvi ducerentur. Quin mala servitutis aut cædis, quæ Muhammedani sive Principes sive cives ostentabant, temeræ ardorem pietatis incitarunt magis quam, temperarunt. Quibusdam vero mercatoribus, urbis Napolitanæ Amalphi dictæ civibus, primo in Ægypto negotiandi, deinde Hierosolymis habitandi venia data est. Atque mox sibi tecta & Sanctæ Mariæ Virgini cœnobium illi hospites exstruxere, quod peregrinis ad urbem penetrantibus, sæpe spoliatis & nudis, ab injuriis cœli hominumque insidiis tutum esset receptaculum. Piique hoc monasterium incolentes viri xenodochium præterea Sto Johanni Baptistæ in honorem, & ægris peregrinantibus in usum condiderunt; unde hi Hospitalarii Joannitæ etiam fuere nominati. Quod autem pietatis domicilium, non ut debuit diu inconcussum stetit. Urbs enim Turcomannorum occupatur cohortibus, incendio deletur, nec ullus immanitatis fuit modus, quam sola retardavit avaritia. Qui vero incolarum ferro & cædi superfuerunt, domum vulnera & vindictæ hortamina retulerunt. Jamque omnis fere Europa istam injuri-

am

am Deo praecipue illatam interpretatur; & sacra in hostem expeditio decernitur. Impigre scribuntur exercitus, & in Palaestinam ductos sequitur victoria. Urbs obsidetur, & illam primus intrat Dux Gothofredus de Bouillon, ceteris hunc comitantibus. Omnia tum ferro igneque vastata, caesum praesidium, & in hostes tam atrociter saevitum est, ut (foedum dictu) in sanguine occisorum ad genua usque equorum veheretur f). Quibus factis, militis tandem flectitur animus, nunc pronus in misericordiam, qui nuper immodicus fuerat saevitiae. Procedunt milites ad sancta loca supplices, hospitium S:cti Johannis visitat Dux, proelio vulneratos & peregrinos pauperes benigne exceptos pie ac liberaliter tractari jubet, opemque iis ipse fert, & alios ad idem humanitatis officium hortatur. Ioannitae autem numero & viribus magis magisque aucti, & fide ac societate juncti, sacramento sese obstringunt, ut perpetuo adversus Turcas odio eorum injurias fortiter depellant & ultro suas inferant. Et ut genere noscantur, propria tantumque sui simili veste utuntur. Hinc ordo etiam militaris; cujus

ste

---

f) Sig. Semblac. p. 611.

membra se Fratres Hospitii S:cti Johannis appellant. Suaque animi magnitudine, vi & virtute per longum temporis spatium Regni Hierosolymitani decus & munimentum fuere. Cum vero miles, bello foris adsvetus, otio & pace domi lascivirct, inter duces nascebatur discordia, quæ omnia in ruinam trahere cœpit. Saladdinus ad Ægyptii gubernacula regni evectus, urbem Hierosolymæ recuperaverat. Hospitales itaque milites inde profecti, & aviditate supplicii expetendi & sanguinis hostilis hauriendi siti capti, ad oppidum Acre obsidendam arma & consilia composuerunt; qua autem virtute & felicitate, ex hoc Poëmate intelligitur:

Hospitales milites ex equis descendunt,
Ut ursa pro filiis cum Turcis contendunt.
Turci nostrum aggerem per vim bis conscendunt,
Hos sagittis sauciant, hos igne succendunt,
Et hospitalarii equos ascenderunt
Et Turcos a latere maris invaserunt,
Quos ad Urbis mœnia per vim reduxerunt
Et ex his in foveis multos occiderunt g).

Re-

---

g) Monachi Florentini Iconensis Episcopi de recuperata Ptolemaide.

Relicta autem hac sede, Cyprum primum, tum Rhodum petierunt, deinde ad littora Italiæ, Pontificis implorantes auxilium, pervenerunt, & tandem brevi tempore Viterbii peracto, Melitensis insulæ possessionem adepti, illam ad nostra fere tempora tenuerunt. Sed satis de his, ut iis, quæ de lingua Melitæ veteri & hodierna dicenda habeo, locus supersit.

§ III.

Cum Phœnices, ut supra dictum est, Melitam, exturbatis inde Phæacibus, sui juris fecissent, novi incolæ novam quoque intulerunt linguam. Et hæc sicut non genere, ita nec specie ab Hebræa differebat. Nomina tantum diversa, res eadem. Patriarchæ trans Euphratem nati, Chaldaice loquebantur h); apud Cananæos vero diu commorati, ad Hebræam vocem, Cananæam quoque appellatam i), sensim pedetentimque se composuerunt. Nec alia Phœnicum fuit. In eorum enim marmoribus aut monetis idem, qui in Hebræorum monumentis est, linguæ habitus conspicitur. In his

h) Genes. XXXI. v. 47.
i) Jes. XIX. v. 18.

his quidem obviæ voces, quæ in ſimilitudinem Syriasmi effictæ videantur; hæc autem varietas judicium noſtrum a vero non avertat. Si enim confeſſum eſt, linguam Hebræam ſibi non conſtantem fuiſſe, quippe cum litteram ש aliter Ephraïmitæ, quam ceteri Iſraëlitæ pronuntiarint k), exiſtimare fas erit, eandem inconſtantiam nec Phœnicibus defuiſſe. Neque mirandum, ſi in hac licentia ad exemplum Syriaci ſermonis declinatum fuerit. Nam primum Phœnicibus maritima pars Syriæ patria erat; tum, quæ eorum inſcriptiones antiquiſſimæ exſtant, exilii Babylonici ætatem, vernaculæ Judæis Hebrææ ultimam, & vulgati per Palæſtinæ urbes & pagos Chaldaismi vel Syriasmi primam, non ſuperant; & denique commercii, quod cum exteris erat, amplitudo, ut ſanctitati vitæ, ita integritati quoque ſermonis haud parum nocuit. Ea autem dicendi conſuetudo, quæ Sidone in uſu erat, ad Samaritanam inflexa fuiſſe credatur, ſi quid turbamenti ex illius urbis coloniis in Samariam ductis domum pervenerit. Sic Meliteníium antiqua lingua fuit Hebræa: quæ vero deinceps per multa rerum diſcrimina in Arabicam converſa eſt.

§. IV.

k) Jud. XII. v. 6.

§. IV.

Quamdiu Melitenses parvo & suo contenti, extra commercia & vitia degebant, castius & antiquius locuti sunt. Cum vero, auctis opibus, ad eorum littora exteræ nationes, avaræ aut ambitiosæ, appellere cœpissent, proprietas aviti sermonis magis magisque corrupta est. Carthaginenses, origine Phœnices, qui os suum in vicinarum gentium vocem detorserunt, Africana verba, Romani, qui victis populis non minus sermonem, quam civitatem dederunt, Latina, Gothi & Vandali, qui ab extremo terrarum orbe huc etiam penetrarunt, Germanica, & Saraceni, qui nostræ Insulæ per plura secula imperitarunt, Arabica afferebant. Hinc vox gentilitia pingue quoddam & barbarum sonare cœpit. Nec res admirationem habet. Si enim Arabes, quos ipsa loci positio a dominantium armis & commercantium illecebris ad hunc usque diem defendit, a puritate & nitore antiqui sermonis desciverunt; Melitensibus, qui in medio mari sedem adepti, tot tantisque civilibus & externis fluctibus jactati sunt, id vitio non vertatur, si idem & majori gradu fecerunt. Et cum nobiles & equites, qui Reipublicæ præsunt, linguæ Italicæ dul-

dulcedine decepti, ſuam & avitam in contemtu habeant, nec niſi plebeji eam foveant & curent; ruſticitatis, quæ illius eſt, tam facile cognoſcitur ratio, quam excuſatur magnitudo. Hæc autem barbaries, hæc peregrinitas, quantacumque eſt, non major eſt, quam ut ſui, ſi minus æqualem, tamen ſimilem habeat. Si enim ſonum litterarum, declinationem nominum, verborum conjugationem, & orationis compoſitionem ſpectes, hæc omnia, ſi quædam aliunde ſumta & barbare concreta abſtraxeris, Arabismum vulgarem, agreſtem & ruſticum, referre videbis. Si vero in multis hic inferior, in aliis ſuperior eſt. Tertiæ Perſonæ Futuri litteram B præfigere, ita ut b i k u n pro j e k u n ſeu contracte i k u n (erit) dicatur, mos eſt, qui multis Arabice loquentibus noſtra ætate communis eſt, antiquitus vero ignotus, nec Melitenſibus jam uſurpatus. Ut autem exemplis magis quam præceptis pateat, in quibus linguæ, Melitenſis & Arabica, conveniant, in quibus diſcrepent, hæc in utriusque comparationem afferre licet.

§. V.

Qui Arabum, idem Melitenſium eſt articulus: e l k t é b الكتاب liber, e s ſ u l t a n السلطان **Dominus.**

Comparativus

Comparativus fit a Positivo, e ziet præposito: eziét kaddis قديس أزيان, plus sanctus. Observes velim, Arabes quoque & Turcas litteram D in fine Syllabæ per T efferre. Superlativus vero formatur vesk postposito: tajeb vesk طيب وسق, bonus prægnanter. Pronomina fere eadem, quæ apud Arabes: jena انا, ent انت, hua هو. Verba etiam eodem prope modo flectuntur.

Præt. kjen, kont, kont, kjenu, kontu, konna, fuit كان, كنت, كنت, كانوا, كنتو, كنا &c. Sic Melitenses litteram ك more Beduinorum & Turcarum sæpe per kj pronuntiant.

Fut. enkun, tkun, ikun, enkunu, tkunu, ikunu انكون, تكون, يكون, نكونوا, تكونوا, يكونوا. Duo hic observanda; unum, primam personam singularis æque ac pluralis numeri esse e n, ni fallor, ex jena pro ana (ego) contractum: alterum, litteras præformativas cum sequenti syllaba coalescere, exemplo Arabum, qui vulgo dicunt: tkun pro tekun. Nec verborum series & constructio dissimilis est. Documento hæc erunt: Merhhba bik مرحبة بك, exspectatus venisti.

ki. Okoot اقعد fedeas. Schminnek ايش منك, quomodo vales. Ala ma gebt otfal miak علي ما جبت اطفال معك, quare non duxisti filios tecum? Andom schi amlu عندهم شي عملوا, est illis negotium, quod perficiant. Meta targja متى ترجع quando reverteris? Eloomor ibka lilek العمر يبقى لك, diu vivas. Alla jatik elsahha الله يعطيك الصحة Deus tibi det salutem 1). Plura exempla afferrem, nisi hæc, quæ attuli, satis superque probarent, linguam Melitensium, etsi multum alieni, cujus specimina dare jucundum non foret, successu temporis passam, Arabicam esse.

---

1) Dissert. della Lingua Punica presentamente usata da Maltesi, dal Canon. Giov. Piet. Franc. de Soldanis.

X. DE GENTE ET LINGUA MAROCCANA DISSERTATIO.

§. I.

Regnum Maroccanum ſuum gerit nomen ex ipſa Metropoli, ab incolis Marâkſch appellata, urbe Barbariæ licet non antiquiſſima, tamen ampliſſima & florentiſſima, cujus prima fundamenta, ad Ebn Tesfin, natione Africanum, genere Arabem, & medio circiter ſæculi undecimi celebrem, referunt annales a). Hic vir quantum opibus & gratia potens, tantum ambitione & ſpe audax, novi imperii conſilio inito, ingeniis & artibus quorundam antiſtitum, ad animos populi ſibi conciliandos, uſus, magno exercitu Afrorum collecto,

a) Histoire de Barbarie par le R. Pierre Dan, pag. 228. Descriptio Africæ Leon. Afr. p. 1. Marmol. p. 1. lib. 2. Höst Efterretninger om Maroc. p. 16.

lecto, ingentem Barbariæ tractum callidius quam fortius expugnavit, & hanc urbem, summæ rerum destinatam sedem, condidit; cui tamen non ipse, sed ejus filius & successor Jusef Ben Tesfin, vir ingenio inquietus, manu fortis, rebusque gestis æque clarus ac crudelis, XXX millibus Hispanorum captivorum operi servili incumbentibus, fastigium imposuit b). Ut vero arma hominum & vicissitudines temporum non minus ad fœda urbium exitia, quam clara earum primordia conferunt, sic & Marocci facies nostra tempestate tantum veteris suæ amisit magnitudinis & splendoris, ut si ex veteribus de ea memoriis æstimanda sit, speciem diversæ urbis præ se ferat c). Ad ipsam regionem, loco & forma quam cultu habituque notiorem, quod attinet, vasto spatio & fervido cœlo in septentrionem freto Gibraltaris & Mari mediterraneo, in occidentem Oceano Atlantico obtenditur: in orientem Sesgelmésæ regnoque Fesæ, in meridiem regionibus, Tafilet, Dra & Zahara, obsequia & tributa Maroccensi imperatori pendentibus,

---

b) Höst. p. 17.

c) Leo Afr. & Höst.

tibus, usque ad juga Atlantis inspicitur. Terra, etsi aliquanto specie differt, in universum tamen lætis & diffusis planitiebus pulchra & commoda est, frugum fertilis, frugiferarum arborum patiens, pecorum fœcunda, aliisque humanæ necessitatis & voluptatis rebus circumfluens. Nomen ei veteres dixere Phut, deinceps a Romanis victoribus, qui orbi terrarum suas leges & imagines dederunt, in Mauritaniam mutatum d), quæ duas provincias, alteram Tingitanam, id est, hodierna, quantum ex Geogrephis Plinio, Mela & Ptolomeo constat, regna Marocco & Fes, alteram Cæsariensem, suis finibus complexa est. Mihi vero, fata Maroccani regni præcipua & huic loco inprimis congrua jam breviter persecuturo, ad illa quisque benigne intendat animum, primum per quos viros hoc imperium partum, quibus artibus auctum, quibusque vitiis labefactatum sit, tum quæ forma regiminis, quæ religio, quæ vita, qui mores fuerint, & denique quæ lingua viguerit.

§ II.

---

d) A Strabone Maurusia vocatur Lib. XVII. pag. 570.

§. II.

Quemadmodum eadem est antiquitatis, quæ poëseos licentia, ut ubi sapere non possit, fingat, eaque quasi vera essent, referat, ita mihi, originem Maroccanæ gentis ex longissimo intervallo paullo altius repetenti, multa sunt impedimento, quominus certius aliquid dicendum sperare ausim. Nam incorrupta rerum gestarum monumenta desunt, & quæ suppetunt, ea dissensu scriptorum ambiguo, vel manifesto, animum huc & illuc distrahunt. Sed ubi vera indubiaque non dantur, verisimilia ad solatium & refugium sufficiant, quæ secuti, aborigines Marocci, vulgari nomine Gætulos Libyesque appellatos, a Phut Chami filio, nobili stirpe, generatos, esse credimus, nec sine veterum testimoniis & auctoritate. Nam primum פוט Jerem. 26. (Hebr. 46.) 9, & Hezech. 27: 10. 38: 5. Libyes sunt Alexandrino interpreti, quæ duo nomina præterea Nah. 3: 9. conjunguntur. Deinde Josephus ait: *εκτισε δε και Φȣτης την λιβυην, Φȣτȣς απ᾽ αυτȣ καλεῖσας τȣ εγχωριȣς. Εςι δε και ποταμος εν τη Μαυρων χωρα, τȣτο εχων το ονομα. Οθεν και τȣς πλειςȣς των Ελληνικων*

κων ἱστοριογραφων εστιν ιδειν μεμνημενους του ποταμου, και παρακειμενης αυτω χωρας, Φουτης λεγομενης. Μετεβαλε δε ὁ νυν εστιν ονομα απο των Μεστραιμου ὑιων ἑνος, λιβυος λεγομενου: i. e. "Phutes Libyam condidit, cujus incolæ ab "illo Phutæi vocantur. Supereſt fluvius in Mau- "rorum regione, hoc nomen habens, cujus & "multi mentionem faciunt Hiſtorici Græcorum, ad- "jacentisque regionis, quam Phuten dicunt. No- "men autem mutavit, illudque quod nunc eſt, "ſortita eſt regio a Libye, Mesræmi filio." Eundem fluvium ſic deſcribit Plinius lib. V. c. 1. "indigenæ tradunt - - - - amnem, quem vocant "Fut, ab eo ad Dyrin (hoc enim Atlanti nomen "eſſe eorum lingua convenit) ducenta millia pas- "ſuum, interveniente flumine, cui nomen eſt, "Vior." His autem gentibus, referente Salluſtio, mira feritas & fœda paupertas: non leges, non imperium: victui caro ferina vel herba, veſtitui pelles, cubile humus, & ædes mapalia, decoris humani odio, & agri colendi inertia e). Sed cum Armeni, Perſæ & Medi, duce eorum Hercule mor-

e) De bello Jugurth. Cap. XVIII.

mortuo, eis per connubia sese miscuissent, omnes, quia agros sæpe tentantes, alia atque alia loca petierant, semetipsi Numidas, græce Nomadas, quasi in pascuis inter armenta degentes, appellarunt. Posthæc, si Procopio habenda est fides f), Gergesæi, Jebusæi & alii in Scriptura Sacra memorati populi, victricibus Israelitarum ex Ægypto egredientium armis fugam vel exitium minitantibus, in Mauritaniam per varia rerum discrimina delati fuerunt. Interjecto deinde tempore, Phœnices cum Didone, quæ suæ vitæ a fraternæ avaritiæ insidiis metuens, paternis focis relictis, in Africam, tutiorem suo intervallo terram, concesserat, profecti, Carthaginem Romæ diu æmulam, Mauritaniæ vero brevi magistram futuram, condiderunt. Nam Carthaginenses numero viribusque aucti, finitimis gentibus virtute aut metu sub imperium coactis, earum regiones suis coloniis locupletarunt. Adeo diversæ origine, moribus & sermone gentes Mauritaniam jure hospitii vel belli tenuerunt, quamvis ad judicium vel fidem pronum non sit, quando

---

f) **De** bello Vandal. L. II. Cap. 10. p. 257. Leo Auctorem citat Africanum Ibnu Rachich, qui eandem confirmat veritatem.

quando & quamdiu illam terram obtinuerint. Hirtius & Appianus si vera scripserint, vetustis Mauritaniæ incolis annumerandi quoque sunt Arabes, Mauri appellati, qui, si Bochartus nec falsa conjectaverit, a Carthaginensi voce מאחור, occidentem habitantes significante, suum nomen duxerunt. Quam summi Viri sententiam tanto promtius affirmaveris, quanto eam situi harum regionum convenientiorem intellexeris; cæteris & variis de vi hujus vocabuli opinionibus, quæ minus eruditionis, plus levitatis habent, nec assensum nec mentionem merentibus. Carthaginenses autem & Mauri arma cum Romanis, auctore & duce belli Hannibale, Romano nomini per sacramentum infestissimo hoste, pari odio & virtute, varia autem fortuna conserentes, patriam opibus & hominibus exhaustam in extremam duxere perniciem. Neque Romanis, deleta Carthagine, diu stetit imperium, quippe quod sua mole labo-rans, & luxu ac libidine pereundi perdendique omnia ruens, in orbis terrarum prædones, gentes remotissimas, fortitudinem animi & robur corporis ex septentrione in meridiem

 feren-

ferentes & retinentes, cesserat. Vandali magna Hispaniæ parte potiti, Romanos in Mauritania vicerunt, magna triumphi gloria, sed brevi ejus usu, domino rem suam confestim repetente g). Gothi, posthæc re Romana civilibus discordiis turbata, externisque bellis nutante, sua arma, Italiæ & Hispaniæ agris & urbibus vastatis & incensis, in Africam transtulerunt, & totam fere Mauritaniam facile subegerunt, prono in eos ipsorum indigenarum novis studentium rebus favore. Quæ vero res opportunam Arabibus præbuit occasionem tam Romanos, funesta clade perculsos, quam Gothos, subita victoria incautos, expellendi & Mauritaniam sub suam potestatem redigendi h). Nam postquam Arabes Syriam, Palæstinam totamque Ægyptum sæculo septimo intra viginti annos suæ ditionis fecerant, ex eorum numero Saraceni, animo feroces & multitudine freti, in Africam trajecerunt, & victoria de memoratis gentibus brevi reportata, diu & ancipiti Marte cum antiquis terræ incolis, quibus

g) Tempore Imp. Justiniani Duce Belisario vid. Procopium.

h) Cordonne Histoire d'l'Afrique & d'Espagne sous la domination des Arabes.

bus recentius nomen eſt Brebes, ad ultimum victis, & ad religionem Muhammedis coactis, ſed ſubinde olim ut hodie rebellantibus, arma contulerunt. Hodierni autem Marocci incolæ, qui ſupra nominatis orientis populis, aboriginibus, adventitiis, ſuos natales debent, Mauri ſunt, Arabes, & Brebes, ne de Chriſtianis, Judæis & Nigritis, partim libertate utentibus, partim ſervitutem patientibus, loquar. Mauri, quorum pauciſſimi a Gætulis & veteribus Mauris, plerique a Saracenis, ex Hiſpania in Africam profugis, ortum trahunt, in urbibus commode & decore verſantur, a cæteris, qui agros colunt, ejusdem ſtirpis Arabibus, moribus & vita haud parum alieni. Arabes vero ab iis Saracenis, qui Hiſpanici belli metu vel odio planities inter juga & littora interjectas quieti tenebant, orti, in campis ſub tentoriis vitam degunt, & ſua ſequi armenta beatius, quam agro ingemere, & domi laborare, arbitrantur. Brebes, viciſſim, nomen a Græco βαρβαρες, vel ab Arabico برية deſertum, & originem a Gætulis, ut creditur, ducentes, in jugis Atlantis ſuas ſedes, acceſſu difficillimas, ſuas ædes, infra commemorandas, ſuosque regulos, maxima ex parte imperio Marocceníi non obnoxi-

os,

os, ſed ſuo in ſubditorum graviora crimina & meritas pœnas utentes, habent i).

§. III.

Forma regiminis, de qua jam breviter dicendum eſt, apud veteres Mauros, in multas, ut teſtatur Appianus k), tribus diviſos, in jubendi poteſtate magis, quam ſvadendi auctoritate poſita fuiſſe videtur, ſi nonnullas familias, quibus ſuæ fuerunt per communem conſenſum leges, ad nutum principum exſequendæ, exceperis. Hæc autem ſuprema rerum jure æquisque legibus non circumſcripta penes unum poteſtas, quantum temperato ſeptentrionis cœlo, nonniſi modicam vel ſervitutem vel libertatem patienti, repugnat, tantum fervido orientis ingenio, cui inter licentiam in deſerto & tyrannidem in urbe nihil fere medium eſt, congruit. Nec alia eſt hodierna imperii Maroccani ratio, in qua principem ſibi locum vindicat hæc vetus ſententia: Sic jubeo, ſic volo, ſtat pro ratione voluntas. Ille, penes quem ſumma imperii eſt, in paternas opes jure hære-

i) Höst p. 127.
k) In Libyc. L. XVII.

hæreditatis succedit, stirpe Muhummedis sacrosanctus, nomine & re impotens. Nam primum, ut titulos suæ potentiæ pares assumat, se Chalifat Allah Satrapem Dei, Emir Elmumenin Principem vere credentium, & Imán Summum Pontificem superbe vocat, & ut sacris & profanis pari jure imperet, se religioni præesse, non subesse licenter affirmat. Deinde ut imperium iniens, nullo sacramento obstringitur, ita nec ullo in ejus administratione tenetur, regia potestate Imperatorem Turcarum æquans vel superans l), & subditis nomine Sultani vel Domini nostri reverentiam sui faciens. Sic illi nec senatorum suffragiis nec collegiorum subsidiis opus est, omnibus ad vultum ejus, benignum, tristem, per adulationem vel ignorantiam se componentibus. Tamen ut suam majestatem & clementiam servientibus aliquando ostendat, bis hebdomade in medium prodit, petentibus aditum conveniendi sub dio daturus; gubernatoribus & judicibus, qui nec jurijurando in morem principis fidem muneris alligant, cætera per ambitum, vim & pecuni-

l) Höst p. 258.

cuniam agentibus, ferentibus. Si quando consiliario in rebus ad gubernationem regni pertinentibus uti ei placeat, hominibus plerumque inferioris sortis copiam secreti facit, magnatum personas vel uti ambitiosas ægre ferens, vel uti simulatis caute diffidens. Cæterum quod ad annuos ejus reditus, qui varii sunt generis & magni pretii, attinet, eos augent partim tributa, pro lubitu subditis imposita, partim spolia & munera, exteris per vim vel metum latrocinii extorta.

§. IV.

Quæ autem religiones, in quibus disseminandis vel exstirpandis plus vis & arma, quam probitas & argumenta valere solent, apud Mauros viguerint, jam expediam. Hi homines, veræ & castæ pietatis inscitia vel incuria, antiquitus Neptunum, Atlantem & Anteum, reges magnitudine rerum gestarum gloriam Deorum consecutos, communi barbarorum more, religiose coluerunt. Deinceps aliarum gentium, nempe Phœniciorum, Persarum & Carthaginensium partim hospitiis partim commerciis mixti, ad earum exemplum, testibus quibusdam historicis, Ignem, Solem, Lunam

&

& Stellas, corpora cœlestia, sublimi suo splendore suspicionem & fidem Numinis facile insipientibus facientia, reverenter suspexerunt. Ad ultimum a Saracenis, in conscientiam & fortunas hominum æque sævientibus, illi victi, multi odio triumphantium Christiana confestim, omnes vero metu vel exemplo imperantium Muhammedana sacra paullatim susceperunt, quæ jam cæco & pervicaci animo sequuntur. Verum enimvero ut vitio infirmitatis humanæ, qua non intelligitur, reverentius esse, de rebus divinis credere, quam scire, cuilibet religioni suæ sunt sectæ, diverso interpretandi credendique arbitrio ortæ, ita nec suæ desunt Muhammedanæ, quæ quo magis rerum fraude & verborum discordia sibi non constat, eo plures, & quidem supra septuaginta de Numine varietates opinionum peperit. Nec Sunnitæ, nomine vere fidelium celebres, in unum congrunt, quatuor eorum sectis, Hanifis, Schafæis, Hanbalis & Malekitis in quorum numerum referas Maroccenses, suas singulis partes, quæ tamen cæremonias magis, quam fidem spectant, sustinentibus & tuentibus. Sed de his Muhammedani ingenii, creduli & pertinacis, sacris ludibriis plura non scribam, cum pro-

profans Maroccensium studia, saniora certe & gratiora, atque e vestigio persequenda, stilum sibi vindicant.

§. V.

Mauri secretis litterarum decoribusque artium nec ante nec post tempora Romanorum floruerunt. Quibus vero humanæ præstantiæ rebus non eam inferiorum ingenia & studia, quam superiorum incitamenta & subsidia defuerunt; perpetua orientis tyrannide & insana Muhammedis religione cogitandi agendique libertati æque infestis. Magna enim bonorum tum librorum tum præceptorum inopia, hinc orta, nullam humanioris doctrinæ materiam & occasionem barbaris præbet. Quippe qui non nisi Corano memoriter discendo in scholis a pueris consvescunt, fabulosis historiis domi forisque adhærescunt, & his negotiis, otiis inclarescunt. Scientiam tamen astronomiæ maximi faciunt, ita ut qui futura solis & lunæ deliquia mente & nuntio anteverterit, super humanum fastigium sapere videatur. Musicenque & poësin, quam utramque semper conjungunt, pari etiam amore, non autem arte profe-

prosequuntur. Nam cum plurimis carmina fidibus cantare, tum paucissimis verba numeris nectere datum est: unde versus ab aliis, modos a semetipsis arripiunt, voce magis, quam imaginatione famosi. Nec meliora opificum sunt, quam studiosorum fata, æque rudia & obscura. Quod tamen ipsum minus domesticæ inertiæ, quam exteræ liberalitati, necessitatibus latrocinantis gentis subvenienti, tribuendum putabis. Maroccenses vero, ut omnes Gentes orientales, insito sui amore, & recentioris ac peregrini cultus inscitia vel contemtu, summam antiquitatem suis moribus ac institutis referunt. Incolunt vel per montes, ut Brebes, domos ex lapide, luto & calce factas, in speciem vici cohærentes, aut discretas, altisque in mutua adversus hostem signa & auxilia spiculis munitas; vel in agris, ut Arabes, tentoria lanea aut pellicea, vi hiemis & æstatis receptacula, & huc illuc in copiam pascui translatitia; vel in urbibus, ut Mauri, ædes ex lutea, informi & caduca materia compositas, planis ad continua ambulacra tectis, item positis loco lignei pavimenti calculis, & spatiosis portis, angustis vero fenestris, non in plateas, sed in festivas & quatuor lateribus inclusas areolas, egre-

 gium

gium castitati mulierum tutamen, vergentibus, instructas, & suppellectili nec multa nec lauta ornatas. Vestimentumque viris non breve est, strictum artusque exprimens, sed fluitans, cinguloque, cui ensiculus semper hæret, consertum; simplicius, exquisitius, materia ejus, non forma, locupletes distinguente. Nec alius fere habitus est fæminis, nisi quod faciem rubro, oculos collyrio, digitos flavo tingunt, & manus atque crura annulis ornant. Sic etiam cibi potionisque naturali desiderio, non voluptate modus finitus: & quod labori, dixissem otio, cui gens indulget, superest temporis, quieti datur, quæ vel molli strato arcessitur, vel humi sub operimento obrepit. Rarusque est ludorum, sicut occultus vini usus, cujus interdictum majorem sui cupidinem facit. Fortunæ autem inopes artisque rudes, divina tantum providentia suaque frugalitate freti, matrimonia mature ineunt; sed singulis uxoribus non contenti, plures nuptias, effrenata libidine, an licentia legis, quatuor nuptas, & quot placuerint pellices, permittentis, nescio, ambiunt. Dotemque uxori offert maritus, & intersunt parentes, qui partem accipiunt, vel propinqui aut familiares, qui munera probant.

bant. Hoc maximum vinculum, hæc nuptialia sacra. Sequuntur post dimidium anni pro more gentis cæremoniæ & epulæ. Septaque est cancellis domi, velo foris mulierum pudicitia, ne illecebris oculorum pateat; unde tamen alieni & incesti amores existunt magis ardentes, & furtim frequentes. Repudia tamen concessa, sed ea rara, quippe cum, si ex levi caussa fiant, pacto pecuniæ pretio sumtuosa sint. Infantes iterum, quibus septem dies natis nomen, quorumque propinquis convivium ovis vel capellæ, eorum nomine fruendum, datur, exigua alimenti, nulla tempestatis curâ educantur; tamen sani puerascunt, formosi adolescunt, & robusti juvenescunt. Quicquid vero Mauris inest superbiæ, avaritiæ, diffidentiæ, simulationis & perfidiæ, id magis eorum regimini, quam naturæ tribues. Neque humanitatis politioris ii expertes. Aliquem tecto prohibere, nefas habetur: notum, ignotum, quantum ad jus hospitii, nemo discernit, & pro fortuna quisque epulis excipit. Mos autem salutandi pro religione, sexu & dignitate differt, mulieribus, quod non reticendum est, manus virorum osculantibus; claro documento, eas plus amari, quam æstimari.

Mor-

Mortuisque bene lotis & vestitis funus faciunt, homines suo ad sepulcrum comitatu amplum, lamentatrices suo in ædibus ululatu perluctuosum. Nec ab his quoad speciem & vitam multum differunt Maroccenses, tum Arabes, agri colendi vel pecoris pascendi cura, & lanceæ tractandæ peritia noti, tum Brebes, bombardæ usu eximii, utrique iisdem sacris utentes, nisi quod quantum victu cultuque Mauris cedunt, tantum levis corporis agilitate magnique animi alacritate præstant.

§. VI.

Jam superest, ut de lingua Maroccana paucis exponam, quæ iisdem, quibus ipsa gens, vicissitudinis legibus exposita fuit. Nam si iis, quæ de hujus populi fatis supra diximus, veritas & fides auctorum constat, ejus sermo origine fuit Hebræus vel Phœnicius, qui vero successu temporis per Cananæorum hospitia, & Carthaginensium aliarumque supra memoratarum nationum arma, partim propria & vetera verba variavit, partim peregrina & nova accepit, & duplici huic malo obnoxia,

noxia, paullatim suae antiquitatis lineamenta ita mutavit, ut nullam aliam orientis cognatam suo ore vultuque referat. Etenim Leo Africanus ait, Musmudis & Gumeris, inter Telemsan & Sus colentibus, propriam, tantumque sui similem, etsi aliquid Arabici suo apud posteriores miscentem, linguam, nomine Aquel Amarig, sensu, Lingua Nobilis, fuisse. Quam vero esse hodiernam Brebensem, penitus corruptam, ut creditur, antiquae & castae Maroccanae filiam, & barbaram ab Arabibus appellatam, Hôst similia de ea memoriae prodens suspicionem facit n).

§. VII.

Sed haec de re tam veteri & corrupta disputatio quantum curiositatis habet, tantum eventu anceps est. Igitur ad praesentia & certiora animum extemplo refero. Ubi prisca Maroccensium lingua, ut supra vidimus, propter vim & pericula, ex urbe in agrum, & ex agro in montem evaserat, in ejus locum successit Arabica, ejusdem stirpis, & in patrimonio nepos, quae sua amplitudine

---

n) Höst p. 103. 128 &c.

dine magnam orientis partem complectitur. Hæc autem suo adventu casta, sed undique tentata, mutato cœlo soloque, & circum sonantibus barbarorum vocibus, pingue quoddam, peregrinum & durum contraxit. Sed pleraque ejus vitia cæteris quoque ejusdem sermonis dialectis communia sunt, ideoque generatim vel increpanda vel excusanda. Scilicet cum Maroccani dicunt نغوس enfus pro nefus. & سغينة sfine pro sefine, primam vocalem vel ante suam consonantem brevissime efferendo, vel penitus absorbendo, non soli peccant, Syriæ & Palæstinæ incolis idem, in morem Syrorum & Chaldæorum, קטל Ktal non Katal pronuntiantium, facientibus, & ipsis quoque Hebræis recentioris ævi ab hac contractionis culpa non alienis o). Et cum omnibus Futuri personis præponunt كى Ka vel ب bi, e. g. كينصر Kajenser vel بينصر bijenser, illud, quod Arabicum est, & sicut notans, sibi proprium, hoc, quod Persicum & Futuro præfigi solitum, cum aliis orientis populis, Arabice loquentibus, commune habent. Nec aliquid ingenio lingua-

o) Conferas Dissert. De Vocalibu Hebræorum P. III.

guarum orientalium repugnans committunt, dum Pronomina poſſeſſiva uſu Suffixorum & vocum متاع poſſeſio & ديال vocabuli ex دي & ل orti, & chaldaico דיל, quod cum ſuffiixis eanden habet vim, reſpondentis, componunt, dicentes ديالي diali meus, متاعنا emtáana noſter &c. Idem dictum velim de eorum Supino & Gerundio in di & dum, quæ per بـاش beſch, quod ab Arabico بايش beiſch, ſignificante pro eo quod, originem ducit, præmiſſum formant, e. g. جـيت بـاش ازورك giit beſch azúrek, veni, pro eo quod viſitarem te. Nec litterarum numero, ſono & figura Maroccani ab aliis Arabibus differunt, ſi پ P & ڭ tribus punctis ſupra poſitis ſeu چ G, a Turcis ad exprimenda vocabula peregrina mutuo ſumtas, exceperis, غ per rg, ut Höſt p) refert, potius per gh maxime gutturale, ut ex ejusdem clariſſimi viri nota ibidem poſita patet, pronuntiaveris, & puncta conſonantium diacritica in ſcribendis præcipue epiſtolis ad ſummam legendi difficultatem, more nec aliis Arabibus inuſita-

ſita-

p) Pag. 205.

sitato, subinde omiseris. Quæ vero & alia similia, ut quasdam sermonis consvetudines per superstitionem & adulationem introductas taceam, apud plebem præsertim in dicendo licenter vulgaria, ab eruditis in scribendo ut vitia diligenter evitantur.

XI. DE ORIGINE LINGUÆ GOTHICÆ.

Ut vultu, sic voce homines cognoscere licet. Persas vero ac Gothos nomine, non natione, discretos fuisse, argumento est, quæ utrimque sermonis similitudo intercedit. Neque hæc ambigua. Et speciosius, quam vere, dicitur, quomodo in ceteris diversæ stirpis, sic & in harum gentium linguis vocabula forte casuque haud dissimilia reperiri. Nam pleraque concinunt. Qui concentus nominum verborumque non origini solum, sed etiam flexioni respondet. Et ratio in aperto. Quem sui conditorem Persæ, eundem & Gothi

habuere.

habuere. Hic autem Thogarma, Noachi pronepos, fuit. Cujus posteri primum Garamæi, deinde Germani (stirpis nostræ originem perspicis) appellati sunt a). Et eorum lingua in Zend, quæ Pischdadis, in Pehlvi, quæ Kianis, & in Parsi, quæ Ascanis & Susanis, Persarum regibus, vernacula fuit, superstes. Tamen hæc non integra. Nam pro diverso locorum hominumque ingenio varie temperata, in totidem dicendi species descivit. Et ex his Gothica conflata. Neque enim Germanos, qui plus una vice ex Asia profugi in Europa sibi sedem quæsiere, unius fuisse generis, credibile est. Et testimonio sunt, quas paullatim hic populus finxit, loquendi rationes, quarum una ad Zend, altera ad Pehlvi, tertia ad Parsi propius accedit. Omnes vero a virtute paterna degeneres. Et si ipsa stirps, utcumque altæ indolis, sub suo cœlo sui similis non semper viguit, nihil admirationis habebit, si, qui alieno solo inserti fuerunt surculi, aliquid vitii contraxerint. Scilicet ut, quæ lingua Persarum est, confinio Arabicæ illæsa non man-

a) Dissertatio de Origine Germanorum apud Tacitum.

manfit, fic quæ Gothorum, a contactu Hunnicæ, Gallicæ, aliarumque nec libera fuit. Quæ autem barbara & peregrina fecernere fas erit. Et fublato, quod alienum & novum fuerit, id, quod gentile & fincerum, fupererit.

Sed comparate melius judicabitur. Et primum omnium, quæ vocabula fimilia, eadem etiam cognata effe, opinari conceffum eft. Et protuliffe fufficiat:

ارستنه arafte, Sv. ruftning (apparatus).
ارتا erta, Angl. earth, Germ. Erde.
از ez, Germ. aus.
اندر ender, Sv. under.
ايستادن iftaden Sv. ftå.
پادر pader, Sv. fader.
بد bed, Angl. bad.
بر ber, Sv. bår.
برادر brader, Sv. broder.
بردن berden, Sv. båra.
پرست preft, Sv. pråft.
پلاس pelas, Sv. påls.

دندان dendan, Sv. tand.
روبودن rubuden, Sv. rôfva.
روبه rube, Sv. råf.
سبوا febu, Sv. fkopa.
شلاق fchelak, Sv. flag.
شودن fchuden, Sv. fke.
شور fchur, Sv. fur.
قبا kaba, Sv. kappa.
كاشتن kafchten, S. kafta.
كام kam, Sv. gom.
كاو kau, S. ko, Angl. cow.
كرد gerd, Sv. jord (ftoft)
كردن kerden, Sv. gôra.

پندن

بندن benden Sv. binda.	گرفتن geriften, Sv. gripa.
بودن buden, Angl. to be.	کوزه kuze, Sv. koſa.
بوس bus, Sv. puſs.	لب låb, Sv. läpp.
چوب tjop, Sv. kåpp.	لنکیدن linkiden, S. linka.
جوشیدن gjuſchiden, Sv. jäſa.	مادر mader, Sv. moder.
جفت gift, Sv. gift (conjux).	مالیدن maliden, Sv. mala.
دختر dachter, Sv. dotter. Germ. Tochter.	نامدن namden, S. nämna.
در der, Sv. dör.	نزد nezd, Sv. näſt.
	نو nu, Sv. ny.
	وزیدن veziden, S. hväſa.

Neque diverſæ originis index formæ diverſitas ſemper fuerit. Sæpius enim plus in ſinu latet, quam in fronte oſtenditur. Et multarum facies vocum, non mens, mutata fuit,

vel literarum detractione,

اکنون egnun, Sv. nu.	سنك ſenk, Sv. ſten.
برهنه berhene, Sv. bar.	شرم ſcherm, Sv. ſkam.
بوم bum, Sv. bý.	شناختن ſchenachten, Sv. ſkönja.
خاشاك chaſchak, Sv. ſtock.	گداختن gjudachten, Sv. gjuta.

درخت direcht, Sv. trä. گریستن geriſten, S. gråta.
دشوار dyſchwar, S. ſvår. کوشت kuſcht, Sv. kött.
راست raſt, Sv. rätt. یوغ jogh, Sv. ok.

vel literarum additione,

بستر beſter, Sv. bolſter. سو ſu, Sv. ſida.
بنیاد benjad, S. byggnad. فریبیدن feribiden, Sv.
تلو telu, Sv. tiſtel. förföra.
تنک tenk, Sv. trång. کوته kute, Sv. kort.
دروغ derug, S. bedrägeri. ماه ma, Sv. månad,
زود zud, Sv. ſnar. Angl. میان mejan, Sv. mellan.
ſoon. نالیدن naliden, S. gnöla.
ستاره ſitare, Sv. ſtjerna.

vel literarum transpoſitione,

پرسیدن purſiden, Sv. فسردن fyſyrden, S. fryſa
ſpörja. مار mar, Sv. orm.
تا ta, Sv. att. مرد merd, Iſl. madur,
جوان gjuan, Sv. ung. مهربان miryban, Sv.
خسور chuſur, Sv. ſvåger. barmhertig.
شاخ ſchach, Sv. quiſt.

vel

vel literarum commutatione,

اور v. ابر eber v. ever, Sv. öfver.	خواندن chanden, S. kalla.
اسب eſp, Sv. håſt.	زاري zari, Sv. ſorg.
اکر eger, Sv. eller.	زن zen, Sv. quinna.
اوردن averden, Sv. föra.	زانو zanu, Sv. knå.
آویختن avichten Sv. våga.	شکستن ſchekiſten, Sv. ſtycka.
پیدا pejda, Sv. född.	غلتیدن galtiden, S. vålta.
پیراهیدن pirahiden, Sv. pryda.	گرم germ, Sv. warme.
داندن danden, Sv. tånka.	هر her, Sv. hvar.
جکر giger, Sv. hjerta.	
خواهر chaher, Sv. ſyſter.	

Communia hæc linguarum turbamenta. Et cauſam iis ambitio vel incuria ſtruxit.

Cetera, quæ ſummæ inter linguam Perſicam & Gothicam neceſſitudinis fidem confirmabunt, perſequar. Et, ut a Genere Nominum fiat initium, Anglis, quomodo Perſis, id diſcriminatum non eſt. Quod tamen, & ubi de animalibus ſermo fuerit, additis, quæ Maſculinum vel Femini-

mininum sexum indicarent, vocibus definire sæpius placuit. Sic شیر leo in commune, præmisso نر ner (mas) leonem, præmisso autem ماده made (femina) leænam significat. Et pari modo Anglice man servant est servus, sed woman servant ancilla.

Neque non Numerus Nominum, ubi in considerationem venerit, convenire videbitur. Pluralis enim Persarum est vel ان an, vel ها ha, e. g. مردان merdan, شترها schuterha, ex Singulari مرد merd vir, & شتر schuter camelus. Qui Anglo-Saxonibus etiam vulgaris olim fuit. Et recentiores sunt illius terminationes, Anglica s, & Germanica ac Suecana r, quarum altera a Gallis, altera ab Hunnis petita creditur.

Et Casuum varietas similiter etiam expressa videtur:

Antiquius & simplicius, particulis præpositis, e. g.

Persice

N. خدا Chuda Deus, G. از خدا ez Chuda, D. به خدا be Chuda, particula مر mer

mer pro ez & beh interdum præpoſita; e. g. مر خدا mer Chuda, Dei, Deo.

Anglice

N. God, G. of God, D. to God,
particula Perſ. ez in of, & beh in to mutata.
Recentius & ſubtilius, particulis poſtpoſitis, e. g.

Perſice

N. خدا Chuda, G. خدارا Chudara, D. خدارا Chudara, particula mer poſtpoſita, & in ra transformata.

Germanice

N. ein, G. eines, D. einem,
terminatione ut Genitivi s ex Perſica ez, ſic Dativi m ex Zendica Dativi nota m ſumta. Etenim menm, tum (mihi, tibi) Zendice, pro meratura Perſice, dicitur. Et formæ utriusque veſtigium, unius in Germanico mir, dir, alterius in Svecano minom, dinom manet.

Eadem quoque Adjectivorum per Gradum Comparativi motio. Et e. gr. ex Poſitivis به beh, مه meh, Svece perditis, Comparativa بهتر behter (melior), مهتر mehter (ma-

(major), Svece bätter, mer, formati fuerunt. Ad Gradum vero Superlativi quod attinet, nescio, quo pacto Gothicus ad Græcum ςος potius, quam ad Persicum ترين terin, accommodatus fuerit. Propius enim Svec. bäst, mäst ad Græc. βέλτιςος, μέγιςος, quam ad Pers. بهترين behterin, مهترين mehterin, accedunt. Ut autem in ceteris, sic in his haud pauca sunt, quæ lingua Gothica a Græca per veteris hospitii jura & commercantium studia accepit.

Et parum diversa, quæ Nomina Diminutiva, & Abstracta æque ac Concreta formandi ratio fuit. Exemplo erunt:

Diminutiva

Persice پدرك pederek, paterculus, a پادر pader, Pater.

مادرك maderek, matercula, a مادر mader, mater.

پسرك puserek, filiolus, a پسر puser, filius.

دخترك dochterek, filiola, a دختر dochter, filia.

Anglice Mannekin, Germanice Töchterchen.

Ab-

Abstracta.

شرمندگی schermendgi, Germ. Schamhaftigkeit, ex Concreto شرمنده schermende (pudens).

شادی schadi, Sv. glädje, ex Concreto شاد schad.

کردون kerdun, Sv. kördon (plaustrum).

سوکند sevkend, Sv. svordom (juramentum).

Concreta.

ماهگیر mahgir, piscator, ex ماه mah, piscis, & گیر gir, qui pisces capit. Unde Germ. Fischer, Sv. Fiskare. Et ex Abstracto ماهگیری mahgiri ductum S. Fiskeri.

نامور namvar, Germ. Nennbar.

بردبار berdbar, ex بردن berden portare, & بار onus. Sic & Composita Svec. mannbar, kunbar, segelbar.

شرمسار schermsar, Sv. blygsam, ejusdem terminationis, mutato sar in sam.

Permulta alia hujus generis ut silentio transeam. Hæc Nominum convenientia. Neque minor, quæ Pronominum Personalium est.

Singularis.

I. من men, Sv. min, usurpatum primum

Substantive, deinde, & in ejus locum succedente jag ab εγω Græcorum, Adjective, ut י Hebræorum Suffixum, ab אני ego recisum.

II. تو tu; Goth. tu.

III. او o, Angl. he.

Pluralis.

I. ما ma, Germ. mi vulgo pro wir.

II. شما schuma, Angl. You.

III. ایشان ischan, Germ. Sie.

In nonnullis differt Pluralis. Qui tamen consentiente Singulari, diversæ suspicionem originis non faciet: eo minus, quod nec in Zend & Pehlvi congruit. Et vestigia Gothici in Persico reperisse, satis fuerit.

Quin etiam similis Verbi Substantivi forma, quæ perinde Persice & Gothice, ac Turcice & Græce, ope Pronominis Personalis exstitit.

Singularis.

I. ام am, Angl. (I) am.

II. ای i, olim in Pehlvi afut, in Parsi ot b), Angl. (thou) art.

III.

---

b) Zend-Avesta T. II, p. 480.

III. است est, Zendice ested, Germ. (er) ist

Pluralis.

I. ایم im, Germ. (wir) sind.

II. اید id, Germ. (ihr) seyd.

III. اند end, Germ. (sie) sind.

Præponitur Plurali, quemadmodum Persice litera ا â, recisa ex استیدن estiden, pro هستیدن hestiden, esse (nam antiquitus diceba-tur istam pro am sum c); sic Germanice litera s, recisa ex seyn, i. e. Persice شودن schuden, esse, fieri. Et elementa haud minus Germanici bin, bist, & Anglici be in Persico بودن buden esse, quam Anglici was, & Svecani ac Germanici war in Pehlvi wazrunatan esse, reperies. Quomodo pluribus ex radicibus generata fuisse Verbi Substantivi Tempora perinde apud Persas & Gothos, quam apud Græcos & Latinos, minime miraberis.

Neque dissimilis, quæ ex Verbo Substantivo & Nomine Participiali apud Persas & Gothos, ut apud Græcos & Hebræos (Ver-

c) Zend-Avesta T. II, p. 494.

(Verbi Subſtantivi vicem apud Hebræos Pronomen impler), compoſita Verbi Adjectivi forma fuit; e. g. رسیدن reſiden, pervenire.

Forma Activa.

Indicativus.

Præſens Perſice.

Singulariter.			Pluraliter.		
I.	رسم	reſem.	I.	رسیم	reſim.
II.	رسی	reſi.	II.	رسید	reſid.
III.	رسد	reſed.	III	رسند	reſend.

Præſens Germanice.

Singulariter.		Pluraliter.	
1.	(ich) lobe.	1.	(wir) loben.
2.	(du) lobeſt.	2.	(ihr) lobet.
3.	(er) lobet.	3.	(ſie) loben.

Imperfectum Perſice.

Singularis.			Pluralis.		
I.	رسیدم	reſidem.	I.	رسیدیم	reſidim.
II.	رسیدی	reſidi.	II.	رسیدید	reſidid.
III.	رسید	reſid.	III.	رسیدند	reſidend.

Im-

Imperfectum Germanice.

Singularis.	Pluralis.
1. (ich) lobete.	1. (wir) lobeten.
2. (du) lobetest.	2. (ihr) lobetet.
3. (er) lobete.	3. (sie) lobeten.

Utrumque compositum: Præsens ex Verbo Substantivo & Participio Præsentis, Persice رسان resan, contracte رسا resa, Germ. lobend; Imperfectum ex Verbo Substantivo & Participio Præteriti, Persice رسيده reside, Germanice gelobet: neque alio fere discrimine, quam quod, quæ Verbi Substantivi, & quidem Primæ Personæ, litera Pronominalis & finalis est apud Persas m, Germanice Singulariter periit, & Pluraliter in n transiit. Sic etiam Anglice (J) fear, (J) fear'd, & Svece (jag) fruktar, (jag) fruktade. Qui ceterarum sunt Personarum characteres Persici, iique Pronominales, iidem quoque sunt Germanici, facta levi mutatione.

Futurum.

Quemadmodum Hebraice, sic & Persice hoc Tempus a Præsenti antiquitus non forma differebat. Quod vero, & ne sua vi ambiguum esset, re-

recentius, præfixa particula bi, quomodo Præsens, præmissa mi, distinctum fuit. Et cum, quas dixi, particularum altera pro altera sæpius poneretur, inventa est alia Futuri forma, eaque composita ex خواستن chasten, Zendico schaestan, velle, per suas Personas conjugato, & ex Verbo proprio, abjecta Infinitivi terminatione en; quod etiam fit Germanice e. g. Gehe pro Gehen. Sic pro رسم resem, vel برسم biresem, perveniam, dictum est:

Singulariter.	Pluraliter.
I. خواهم رسيد chahem resid.	I. خواهيم رسيد chahim resid.
II. خواهي رسيد chahi resid.	II. خواهيد رسيد chahid resid.
III. خواهد رسيد chahed resid,	III. خواهند رسيد chahend resid.

Quod ipsum chahem &c. ubi Zendice schahem prolatum, & cum بودن buden esse constructum fuerit; Persica schahem bud volo esse, i. e. ero, ab Anglicis i shall be parum different: observatis, quæ supra de Primæ Personæ

ſonæ diverſa apud Perſas & Germanos termi- natione diſputata ſunt.

Imperativus.

Hic modus omnium eſt ſimpliciſſimus. Et e. g. ut Perſice رس res ex رسیدن reſiden, ſic Svece res ex reſa dictum eſt.

Infinitivus.

Perſice رسیدن reſiden, Germ. loben.

Participium.

Præſens: Perſice رسنده reſende vel رسان reſan, Germanice lobend. Præteritum: Perſice رسیده reſide, Germ. gelobet. Et Participium Præter. quomodo apud Perſas, ſic apud Gothos & Activam & Paſſivam vim habet. E. gr. ut رسیده reſide eum, & qui pervenit, & qui perventus eſt, ſic gelobet eum, & qui laudavit, & qui laudatus eſt, ſignificat. Quod idem de lingua Anglica & Svecana valet.

Adeo convenit forma hæc Activa Verbi Ordinaria. Neque differt, quæ illius Extraordinaria Perſis & Anglis eſt. Et more Perſarum

كرده است kerde est faciens est, etiam Anglice he is doing dicitur.

Forma Passiva.

Etiam hæc quomodo Persice, sic Gothice distincta proprie non est; sed per Verbum Substantivum & Præteritum Participii Activi utrimque redditur. E. gr.

Persice, شد خوانده chande schud, lectus est: quarum vox prior est Partic. Præteritum Verbi proprii خواندن chanden, legere, posterior vero Perfectum Verbi Substantivi شدن schuden, fieri.

Germanice, er ist gelobet, Angl. he is lov'd, & Svece, han år ålskad. Atque tali modo cetera Tempora: Verbo Substantivo per suas Personas conjugato, & Participio Præterito proprii Verbi addito.

Sic Persas ore Gothi magnopere referunt. Et quæ sua cuique genti lingua est, haud minus declinandi conjugandique ratione, quam significandi potestate consentit. Ex quo fiet judicium, quæ res tantopere sunt specie similes, nec genere diversas esse.

XII.

XII. DE CONFORMATIONE LINGUÆ HEBRÆÆ.

Præcipuumne hominis bonum ſit ſermo, haud ſatis mihi compertum eſt, nec compertum ſi eſſet, dicere auſim. Humani enim generis præſtantiam in ratione præprimis verſari, tam vetus quam vulgaris opinio eſt. Id pro certo affirmem, quæ animo ineſt, vim cogitandi, ſine ea, quæ linguæ tributa eſt, loquendi facultate parum prodeſſe. Teſtes ſunt, qui elingues in ſilvis reperti, haud diſſimiles cogniti brutis fuere: qui autem, voce articulata velut alto ex ſtupore excitati, mentis paullatim compotes evaſere. Et auctu verborum auctæ cogitationes: ita ut ambigam, ad judicandum plusne conferat, ratione aut ſermone gaudere. Arctiſſimus, & qui artificis ac inſtrumenti eſſe ſolet, utriusque eſt nexus: & unius intellectus ſine alterius uſu inanis. Magnæ vero ſubtilitatis ſi eſt quæſtio, quibus organis mentem vox eleva-

verit; majoris erit, quibus legibus vocem mens conformaverit. Neque hujus excipere pondus facile esset, nisi, qui Hebræorum fuit, sermonem in consilium vocare liceret. Etenim quisquis alius fuerit, incuria aut ambitione sic corruptus est, ut prisci & integri lineamenta quædam vix maneant. Hic vero sui similis semper cognitus est, neque dissimilis Arabico, qui quam antiquitus speciem habuit, eam hodie refert. Sic idem quoque Hebraici in antiqui & recentioris ævi monumentis tenor. Et tanta sui constantia altæ indoli partim gentis, partim sermonis tribuenda est. Nam Hebræi, quomodo Arabes, aviti moris observantissimi fuerunt. Et ea eorum lingua, ut humanæ in alternando, componendo dividendoque licentiæ minus obnoxia fuerit. Firma literarum elementa: simplex vocum forma: & structura sententiarum natura non arte cohærens. Atque si quid tempori in vim vocalium, parum vel nihil in consonantium valorem licuit. Ex opere autem de opifice judicatur. Agrestemque ac pastoritiam originem asperitas arguit. Repercussæ solitudinis proposita nobis imago lingua Hebræa est. Neque est dubium, quin prima loquendi experimenta to-

nan-

nantis quasi naturæ imitamenta fuerint. Scilicet quæ visu, auditu, gustu, tactu vel odoratu quis perceperit, ea sono æmulari & tenere studuit. Et (quod facilius) plura hiatu gutturis, quam pressu oris significata sunt. Quocirca, quæ prima formant verba infantes, recto ea spiritu reddunt: quæ vero paullatim dispositu labiorum, palati vel dentium, conformare articulatim adsuescunt. Mirum in modum flexibilis est vox humana: & ut chorda intenta, ad quemcunque tactum, acuta, gravis, inflexa respondet, aut, tanquam tibia inflata, apertis vel præclusis foraminibus, tenuis, media, aspirata clarescit.

Multæ autem voces, quas sensus aut affectus provocavit, si duce natura efficta putentur; plures, & quas necessitas aut utilitas expressit, arte magistra, additæ videntur. Neque tam facile fuit, qualitates rerum, quam res ipsas loquendo æmulari. Sic (quod proprium est ingenii humani, ut ab expeditis ad impedita transeat) Substantiva nomina Adjectivis priora. Et forma si spectetur, prima eorum monosyllaba meo judicio fuit. Penes omnes gentes brevissimæ sunt In-

ter-

terjectiones, quæ ipſo cum ſenſu natæ ſunt. Et earum ad exemplum ceteras etiam voces, ductu naturæ vel arbitrii, compoſitas fuiſſe credibile eſt. Barbaræ & incultæ cujusque linguæ hic habitus: qui cultæ etiam & Chinenſis adhuc ſupereſt. Idem de antiqua Græcorum, præcipue Dorum, affirmatur. Neque aliter de Hebræa judicare nos permittunt, quæ tantæ ſimplicitatis veſtigia כְּשֹׁט, חָטָא, וְרֵר manent. Pauca hæc: plurima vero apud Arabes. Et in eorum libris quæ vocalis ultimæ vocis litteræ adjici ſolet, ea ex ingenio non linguæ, ſed Grammaticorum, & quidem in Græcæ ſimilitudinem, petita eſt. Flexu autem ætatis, & ut gratiæ haud minus quam facilitati pronuntiationis ſatisfieret, ſecunda etiam radicalis, e. g. קֹשְׁט, חָטָא, vocalem accepit. Et disſyllabis paullatim triſyllaba, exempli gratia מִלְחָמָה, מַמְלֶכֶת acceſſerunt.

Dicendi hæc primordia. Sed aliud ex alio ortum: & vocabula ſubſtantive uſurpata etiam adjective uſurpare placuit. Sic כָּלִיל, plurima alia ut exempla prætercam, proprie integritas in notionem rei integræ evaluit. Quod ſi

fi Adjectivum foret, nec more Subſtantivi conſtrueretur, nec genere a Subſtantivo differret. Tamen occurrit in ſtatu regiminis poſitum Exod. 28: 31. כְּלִיל תְּכֵלֶת (pallium) integrum hyacinthi, & cum feminino junctum Lev. 6: 16. כָּלִיל מִנְחַת ſacrificium integrum. Sed cum poteſtate forma etiam mutata. Et quæ Abſtractorum, actionis conditionisve fuit, ubi Concretorum, edentis actionem verſantisve in conditione index eſſet, in novam & Participialem increbuit. Atque hæc duplex: una Activa קוֹטֵל vel קָטֵל occidens, altera Pasſiva קָטוּל vel קָטִיל occiſus. Quarum tamen formarum diſtincta ſignificatio, quomodo ipſarum radicum prima vis, ſibi ſemper non conſtitit. Et Concreta, quæ proprie Adjectiva ſunt, haud raro ſicut aliis in linguis Subſtantive tractantur, exempli gratia אוֹהֵב amans, amicus, רוֹעֶה paſcens, paſtor.

Formæ nominum Genus ſubjectum eſt: quod olim Commmune fuiſſe videtur. Et exempla שׁוֹר taurum, vaccam, גָּמָל camelum

lum marem, feminam, pastoralis vitæ antiquitas præbet. Sexum vero nominatim discernere ubi in mentem venit, Femininum novo vocabulo indicare oportuit. Et חמור asinus, אתון asina appellabatur. Quæ generis discriminandi incommoda ratio commodius demum inita est, Masculino addita terminatione ה ָ, id est ת ַ, e. g. מֶלֶךְ rex, מַלְכָּה regina. Quomodo hæc etiam deinceps & multiplicandis Substantivorum & movendis Adjectivorum formis usui fuit, & e. g. עֶזְרָה pro עֵזֶר auxilium, & feminine פּוֹקְדָה pro communi פּוֹקֵד visitans dictum. Et incertus sum animi, annon huic inventioni locum fecerit Pronomen 3 pers. fem. הִיא, mutato Spiritu ה in ת, sicut τὸ ex ὁ apud Græcos ortum est.

Sequitur Numerus: quem antiquitus, ut Genus, nec nisi unum fuisse vero simillimum est. Et hic Singularis: qui tamen per synecdochen partis pro toto etiam ad plures referri potuit. Ita אִישׁ, שׁוֹר Gen. 49: 6. de viris bobus, חיה Lev. 11: 2. de animalibus, דגה Num. 11: 5. de piscibus occurrit. Decursu

surſu autem temporis Numeri etiam Pluralis character quæſitus eſt, & repertus Maſculinorum ים, Femininorum ות. Et ſi alterum ex Pronomine Feminino היא mutato in ת Singulariter, & in ות Pluraliter, originem traxiſſe affirmaveris, neque alterum ex Maſculino, הוא in Singulari, הם id eſt הים in Plurali, profectum eſſe negabis. Ad Dualem ַיִם quod attinet, illius origo ex Plurali ים minime ambigua eſt.

Numerum excipiunt Caſus, qui Hebræis nec ulli terminatione fuerunt. Et ut Dativum, item Accuſativum interdum, præpoſitione particularum, ſic Genetivum conſtructione nominum exprimere ſatis fuit. Quæ conſtruendi ratio neque aliis gentibus inuſitata. Et quæ Hebræorum eſt יראת יהוה timor Dei, Græcorum dictioni Θεοσέβεια congruit: hoc tantum diſcrimine, quod nomen Genetivum regens illinc præponitur, hinc poſtponitur. Et quæ duæ voces Græce ſcriptione, eæ Hebraice pronuntiatione in unam coaleſcunt. Quo factum, ut, celeritati dicendi ne quid impedimenti foret, præceden-

cedentis forma nominis cum alia & breviori, e. g. דְּבַר pro דָּבָר, דִּבְרֵי pro דְּבָרִים commutaretur. Sequentis autem nominis conjunctioni ubi forma præcedentis apta, & qualis מֶלֶךְ, כְּרִי, עֵין, fuit, incolumis ea stetit.

Nomina ut declinare, sic per Gradus movere Hebræi etiam nescii fuere. Et cum Comparativus, Adjectivo postposita particula מִן præ vel יוֹתר magis, tum Superlativus, Adjectivo geminato, vel addito מאֹד valde, antiquius & simplicius more Chinensi formatus est, e. g. טוב מן bonus præ i. e. melior, טוב טוב bonus bonus i. e. optimus.

Nomina vero ne nimis sæpe repetenda forent (cujus vetusti moris documentum uxores Lamechi pro meæ Gen. 4: 23. exhibent), Pronomina successere. Et hæc Personalia & Separata nuncupata: quæ velut nomina de utroque sexu primum usurpata, masculine tandem & feminine discriminata sunt. Ita הוא masculinum, quod feminini potestatem sæpius in Pentatevcho habet, feminini formam היא etiam accepit. Vis autem quæ personalis erat, vicem

cem quoque posſeſſivæ explevit. Et dictum eſt, ut Græce λογος μȣ, ſic Hebraice primum late & ſeparatim דבר אני, deinde anguſte & conjunctim דברי verbum τȣ, ego ſeu mei i. e. meum. Suffixis hinc Pronominibus origo. Et quæ utrimque diverſitas ſecundæ perſonæ intercedit, Separatorum אתה, אתם, & Suffixorum ךָ, כם; hujus ratio quærenda eſt in priſcis & obſoletis formis אנכה, אנכם, unde mutato כ in ת, אנתה, אנתם, & ſublato נ, אתה, אתם, natæ fuerunt.

Operi tantæ molis faſtigium demum impoſitum fuit. Et quomodo literis ſyllabæ, & ſyllabis Nomina ac Pronomina, ſic nominibus & pronominibus Verba compoſita ſunt. Plurima eorum accidentia. Et Modorum reſpectu habito, ut a Nomine Abſtracto & Infinito exſtitit Imperativus, qui proprie Infinitivus eſt, rem poſtulatam ſignificans (exempli gratia audire! ore poſtulantis pronuntiatum valet audi); ſic a Concreto & Participiali ortum Indicativus habuit. Conjunctivi vel Subjunctivi nullus apud Hebræos eſt uſus. Et

ad Tempora quod attinet, ad ea formanda non aliud nomen Participio habilius fuit. Nam omnium id temporum eſt: & מוֹלֵךְ non modo, qui rex eſt, ſed etiam qui fuit, & qui erit, dici poterit. Quæ vero ambiguitas ut ſolveretur, Pronomine Perſonali, poſtpoſito Præteritum, præpoſito Futurum diſcriminare libuit. Et utrumque cum ſuis perſonis ſic formatum:

Præteritum

Singularis

3 קטל nomen Concretum & participiale.

2 קטלת ex קטל & אתה pro אנכה, contracte ךָ. & ſuperſtite in Ætiopico קטלךָ occidiſti.

1 קטלתי ex קטל & אנכי, contracte כי, & ſuperſtite, quamquam cum כו commutato, in Æthiopico קטלכו occidi.

Pluralis

3 קטלו ex קטל & הים pro הום, Chald. & Syr. הון, vocali Pronominis retento.

2 קטלתם ex קטל & אתם pro אנכם, contracte כם, & ſuperſtite in Æthiopico קטלכמו occidiſtis.

1

* קטלנו ex קטל & אנחנו, contractè נו.

Futurum

Singularis

1 אקטל ex אני & קטל

2 תקטל ex אתה & קטל

3 יקטל ex הוא, ו in י mutato (cujus tamen fervati veftigia nec defunt, e. g. Jef. 5: 29. ושאג pro ישאג, Pf. 10: 10. ודכה pro ידכה Hez. 46: 15. ועשו pro יעשו, cap. 44: 24. ושפטהו pro ישפטהו) & קטל.

Pluralis.

1 נקטל ex אנו & קטל

2 תקטלו ex אתם & קטל

3 יקטלו ex הום (ו ut Singulariter in י mutato) & קטל.

adjectō in fine ו ut Pluralis a Singulari diftingueretur.

Mafculini Generis hæc imago. Neque non Communis, ut Nomina & Pronomina, fic & Verba olim fuere, Et plenus exemplorum Sa-

Sacer Codex. 1 Sam. 25: 27. Ruth. 1: 8. Jes. 57: 8. Deut. 22: 23. Cant. 2: 7. Judic. 21: 21. 1 Sam. 25: 34. Jer. 49: 11. Dan. 8: 22. Feminini discrimen postea additum. Et in morem Masculini, accedente sui sexus Pronomine, id effectum fuit.

Formis autem Præteriti & Futuri repertis, quæ supererat Præsentis, eam exprimere licuit, commode Participio, quod, ut supra monui, omnium est temporum, nec incommode Futuro, quod Præsentis momenta excipit & continuat. Tamen (quæ venia vetustati data fuit) varia hæc Temporum potestas: & ea præcipue est mixta, ubi orationis contextu satis cautum fuit, ne unius pro altero positi vis propria intelligeretur.

Generatum sic Verbum Hebraice: neque aliter Persice & Turcice. Et similia comparare, rei obscuræ lucem præferret: quod vero negotium suscipere otii hujus ratio prohibet.

Nihil jam, nisi, quæ rude opus poliret, lima deerat. Et quæ per Tempora & Personas, Genera & Numeros flectendi verba ratio

tio nonnisi una initio fuit, ea septem praecipue species paullatim peperit. Scilicet, auctis ideis, augere earum significationes placuit. Sic plures ortæ Conjugationes. Et unius ejusdemque verbi tam diverse conjugandi ingenium necessitas fecit. Nam Præpositiones, quarum maxima in fingendis notionibus vis est, non suppetebant. Cui defectui etiam aliunde consultum est. Et res vicinas ut cogitatione, sic sermone gens ingeniosa facile copulavit. Propriorum hinc significatuum varia immutatio. Neque vocibus, propter similitudinem vel conjunctionem translatis, alia lingua copiosior. Nascentem magna inopia circumstetit. Et a poëtis inter pecora, non a philosophis in opaco educata est. Ex quo evenit, ut umbras magis, quam solida consectari in amore fuerit. Et adolevit oratio, quæ vim humanitatemque universæ naturæ, caussas rerum earumque progressiones & casus, non frigide & definite, sed vivide & figurate nudat rationi & ostendit.

Hæc de conformatione linguæ Hebrææ, quam brevissime potui: non ut omnia, quæ plurima, sed ut maxime necessaria scriberem.

XIII. DE LINGUA GRÆCA HODIERNA.

§. I.

Lubet fata Linguæ Græcæ prima & media, antequam ejus ultima, huic libello præcipue destinata, componam, angustiori termino conscribere. Nam uberrimam rerum materiam, lætam, tristem, ample & pro dignitate persequi, ut infirmitatem scribentis, sic patientiam legentis obrueret. Igitur stilo ad meam facultatem & aliorum sensum accommodato, summa quæque compendiose & more sæculi attingam, & resecta omni pompa præfationis, initium a Græcorum petam origine, quæ si utpote obscura & incerta aliunde non constet, penes ipsam gentem sit præjudicium. Si Romanis licuit, suum suique conditoris parentem Martem potissimum ferre, hæc quoque venia Græcis, in quorum cunabulis Romani ali debuerint, detur, ut suas origines ad Hellenem, Deucalionis filium, &

Thessaliæ regem, sine invidia & obtrectatione referant a). Qui autem natales si ambigui videntur, æquo animo patiamur, homines tantæ famæ & ambitionis, quibus præstat nasci, quam effici nobiles, non minus posterorum fabulis, quam majorum factis inclarescere. His tamen, quæ affirmare vel refellere in animo non est, aliquid veritatis & fidei addere videtur Moses, qui gentes a Javan ortas

a) Strabo Geogr. Lib. IX. His accedit J. Grammaticus, qui in scriptis, quæ τεχνικα inscribuntur, refert, hunc Hellenem, quem Græci conditorem sui nominis celebrant, Jovis (nomen Javan facile agnoscas) fuisse filium, cognomine Deucalionis, cujus filii deinde Græcis dialectis suas imagines fecerunt. Adhæc Thucydides memoriæ prodidit (Lib. 1.), Hellenem ejusque liberos, rerum in Phthiotide potitos, cæteris Thessaliæ populis primum opem adversus vicinum hostem tulisse, & deinde suum dedisse nomen, quod tamen nonnisi longo post tempore ad omnes Græciæ populos pervenit, siquidem Homerus, longe post Trojanum bellum natus, eos tantum Hellenes, qui cum Achille ex Phthiotide Thessaliæ venerant, appellat Il. I. v. 439, & Phthiotiden & Helladen conjungit Il. B. v. 683.

tas enumerans, Græcis, a filio ejus Elisa (Hellas regio & Elis urbs in Peloponeso sponte se offerunt) nomen & originem ducentibus, & Hebraice Javân, Syriace Jaunoje, & Arabice Jaunan appellatis, utpote celeberrimæ in posterum nationi, primum locum vindicavit b). Utcumque hæc res se habeat, certum est, Græcis antiquitus propriam fuisse linguam c), & si eorum monumentis ultra credere licet, nec incertum erit, qui variis ejus deinceps dialectis occasionem & titulum dederint. Hoc factum indigenæ tribuunt filiis Hellenis, qui, patriis focis per ambitionem vel necessitatem relictis, colonias in cæteras Græciæ provincias, magnis in posterum fingendis ingeniis opportunas, Xuthus in Atticam, Dorus in Peloponesum & loca circa Parnassum, duxisse memorantur, Æolo, tertio Hellenis filio, in Thessalia remanente, sed cujus posteri,

b) Gen. 10: 4. Dan. 8: 21. 10: 20. 11: 2. Jes. 66: 19. Zach. 9: 13.

c) Hac vetusta & Hellenica lingua usi existimantur Orpheus, Musæus, Pherecydes & Hellanicus, quorum nonnulla testimonia, in paucis Jonicæ, in plerisque Communis Dialecti indicia, citat Cl. Alexandrinus Lib. VI.

posteri, duce Endymione, etiam in Peloponesum migrasse dicuntur d). Ut autem herbæ solo cœloque mutato suam vim & speciem variant, ita & hi coloni Pelasgis e), aliisque tunc temporis Græciæ incolis, quibus ad ultimum suum nomen, linguam & mores dederunt, jure hospitii vel belli mixti, suam vocem ad barbarorum vultum magis magisque componere cœperunt, donec Jones, a Jone Xuthi filio & Hellenis nepote appellati, quibus recentius nomen fuit Attici, in Attica suam seorsim, & Dores atque Æoles in Peloponeso suam conjunctim dialectum effinxerunt f). Ubi vero pars Jonum & Æoles propter locorum angustiam hominumque multitudinem, in Asiam minorem, am-

d) Strabo Lib. VIII. & Joh. Grammaticus lib. cit.

e) Pelasgi, antiqua gens, per universam Græciam dispersa, huc & illuc errans, manu fortis, maxime inter Æoles Thessaliæ clara, & Homero sæpius celebrata. Thucydides Lib. I. & Strabo Lib. V.

f) Antiquitus enim eadem erat Attica & Jonica dialectus. Idem de Æolica & Dorica dictum velim. Strabo Lib. VIII.

pliorem & fertiliorem terram, concesserunt, multas ibi urbes, novis tum regnis per propria arma, tum dialectis per extera commercia futuras sedes, condiderunt g). Hinc vetus Thessalorum lingua, per sæcula & regiones longe lateque diffusa, contactu barbarorum primum duas in Europa, Atticam & Doricam, & deinde totidem in Asia, Jonicam & Æolicam, dialectos sui & inter se haud parum dissimiles, peperit. Muta & liquida, longa & brevia, canora & subsurda, aspera & lenia, dura & mollia, candida & fusca, plena & exilia, diffusa & contracta, suavia & præpinguia, remissa & intenta, acuta & obtusa, gravia & circumflexa in litteris, syllabis & vocibus turbata vel permixta sunt, tamen non sine discrimine; Pelasgis nonnihil in Atticam, Scythis multum in Jonicam, Phrygibus plus in Æolicam, & Cadmæis Phœnicibus plurimum in Doricam sævientibus h). Adeo Attica minus,

---

g) Jones, regionibus Carum, & Lelegum occupatis, XII. civitates, quibus Joniæ, & Æoles, Phrygia expugnata, X urbes, quibus Æoliæ nomen inditum est, condiderunt. Strabo Lib. VIII. XIII.

h) Sic Attici, etsi plus quam cæteri antiquæ linguæ retinentissimi, dixerunt ξυμβαλλω

minus, quam reliquæ, a veteri & Hellenica dicendi consuetudine descivit; quod Atticorum regioni, quantum montosæ, tantum ab alienis illecebris remotæ, tribuendum putem. Scilicet hæc Attica,

cæ.e.

---

pro συμβαλλω, γλωττα pro γλωσσα &c., quæ a Pelasgis aliisque, quorum consuetudine utebantur, acceperunt. Sic Jones pronuntiarunt απαιρεσθαι pro αφαιρεσθαι, quæ a Caribus & Lelegibus didicerunt, Scytha apud Aristophanem παινεται pro φαινεται, κεταλη pro κεφαλη efferente. Sic Æoles, prævio barbarorum circa ripas Hellesponti colentium exemplo, non modo formam, sed etiam accentum vocum mutarunt, θύγατηρ pro θυγατηρ, κάλος pro καλὸς dicentes. Sic Dores, qui antiquam Hellenum linguam maxime omnium corruperunt, adventibus & hospitiis Cadmæorum Phœnicum mixti, in morem Syrorum, verba sua lato oris hiatu proferentium, dixerunt αικα, τοκα, οκα, σελανα, ἁβα &c. pro ειϰε, τοτε, ὁτε, σεληνη, ἡβη, hospite apud ipsum Theocritum hoc vitium Syracusanis mulieribus objiciente Idyll. XV. v. 88, nec Aristophane in suis Comœdiis id Doribus excusante.

cæteris licentiæ oris passim relictis, diu casta & generosa mansit, sui patrimonii finibus coërcita, libertatis legibus gubernata, ad rostri regulas revocata, ingeniorum pretiis excitata operumque præmiis ad fastigium evecta. Sed domesticis discordiis & externis armis per vices tentata & concussa, magis magisque præceps ire cœpit, donec ad hæc tempora pervenit, quibus nec vitia nec remedia pati potest. Primum, tyrannide a Philippo domi constituta, & ab Alexandro longe lateque foris propagata, multum rigidi & præpinguis in oriente contraxit, victore victorum fortunam ex aperto, victis victoris sermonem ex occulto corrumpentibus: cujus exemplo nobis erit lingua Hellenistica, Hebræas vel Syriacas dicendi consvetudines Græcis inferens. Deinde, sede imperii Romani Constantinopolin intempestive translata, per Latinorum hospitia & connubia sensim eorum verba accepit, & turmatim suis miscuit; omnibus exemplum principis intuentibus & imitantibus i). Ad ultimum per longam & flagitiosam Turcarum domi-

natio-

i) Testes locupletes sunt Scriptores Byzantini aliique, quo temporibus posteriores, eo vitiis linguæ Græcæ superiores.

natiónem, quibus Græcorum lingua æque invisa ac eorum gens suspecta est, in extremam perniciem ducta fuit. Nam Græci his temporibus, pari dominantium occulto odio & litterarum manifesta incuria, magis opimi quæstus occasioni per obscuras artes, quam sui sermonis castitati per honesta studia, inserviunt. Hinc nulla iis dicendi scribendique exempla, ad intuendum & imitandum in illustri posita: nulli auctores, a quibus verba jus sumunt: nulli sermonis principes, quorum comes invidia: nulla Grammatica, sermonis magistra, pueris necessaria, adolescentibus utilis, & senibus jucunda: nullæ nisi superstitiosæ fidei, cui gens mobilis ingenii per naturam & institutionem dedita est, institutæ scholæ, in quibus non facundiæ, quæ apud barbaros nihil valet, sed religioni, quæ miseris solatium præbet, tempus & studium a pueris tribuunt. Huc accedit, quod in morem pauperis æquam vitæ sustinendæ conditionem studio plurium linguarum in suæ præjudicium quærentis, Græci Turcis suis patronis blandiuntur, vicinosque populos suos negotiatores eludunt, ad illorum barbaras & minaces, atque horum disso-

nas

nas & peregrinas voces os suum fingentes. Ex quo factum est, ut in lingua Græcorum, olim facili, urbana & jucunda, rusticitas jam & peregrinitas resonet. Dum enim alieno sono indulgent, suum negligunt: vocales coëunt, consonantes dissimulantur: vocisque declinationes, verborum dignitas & sententiarum gravitas turbantur. Hinc lingua Græca hodierna, mutilata, contracta, orta est, Πεττη Pedestris vel Ρωμαικη Romamana dicta, tam ex veteri Græca, quam ex aliis linguis varie composita k), & in aliis plus, in aliis minus ab Attica, quam Itala a Latina discedens l). Quæ pro diversitate locorum diversas etiam habet dicen-

---

k) Scilicet per aphæresin, prosthesin epenthesin, crasin, apocopen, paragogen &c. e. g. δεν pro ουδεν, στα pro εις τα, δενω pro δεω, δενδρο pro δενδρον, σενατορος Ital. senatore &c.

l) Si nominum formationes & declinationes verborumque conjugationes spectes, major inter Neo-Græcam & veterem, quam inter Italam & Latinam linguam intercedit convenientia. Nam primum Neo-Græci antiquas nominum terminationes ut plurimum retinent, Italis eas adjicientibus, vel novas addentibus.

dicendi proprietates, quarum Constantinopolitanæ & Epiroticæ suus hucusque præ cæteris constitit honos.

§. II.

Sed etsi Græci per longam annorum seriem partim sua partim aliorum culpa suum sermonem vehementer corruperunt, tamen vetus tum scribendi tum pronuntiandi genus diligenter conservarunt. Quot litteræ antiquis, tot hodiernis sunt, eædemque sono vocalium, quod ex incorruptis rerum gestarum monumentis compertum est, ideoque nec diversæ consonantium valore, utpote qui mutationi minus obnoxius esse solet, existimentur. Utrisque eadem oris gratia, eadem linguæ suavitas, eademque vocum materia, licet varia earum for-

---

Tum illi nomina more veterum per casus; hi autem præmissis tantum articulis per numeros flectunt. Et deinde si in verbis tempora composita, antiquitus utrisque inusitata, quæ Neo-Græci plura, quam Itali habent, exceperis, illi quoad temporum, modorum numerorum & personarum formationem, minus a veteribus Græcis, quam hi a Latinis differunt.

forma. Nihil hic valuit diuturni temporis viciſſitudo, nihil proprii ingenii mobilitas, nihil alieni imperii gravitas, nihil exteri commercii auctoritas. In hoc Græci ſibi conſtantes, ſemperque iidem, ut vi cogitandi, ita modo pronunciandi fuerunt: Romanis olim, Turcis hodie Græco rerum gerendarum, non vocum dicendarum nervo imperitantibus. Nec hæc res admirationem habet. In quacumque enim lingua vis litterarum minus licentiæ oris, quam earum connexio, utpote incrementi vel decrementi pro arbitrio loquentis facile capax, expoſita eſt. Sic Græci hodierni η, ι, υ, ει, οι per ι, αι per æ, β per b Latinum molle, ad υ proxime accedens, δ per d Anglicum in that, θ per th Anglicum in think, & χ per ch aſpiratum Germanicum in Nacht efferunt. Cum vero memoratæ vocales & diphthongi eundem habuerint ſonum apud veteres, qui earum ſcriptionem & quantitatem, quam hodierni in ſcribendo & dicendo ſæpiſſime confundunt, in utroque diligentiſſime obſervaverint, nec nominatas conſonantes diverſum apud eosdem valorem habuiſſe, ad fidem pronum eſt. Sed non pari cura locum accentus tuentur, quem ſive acutum, ſive quod in vocum

con-

contractione maxime usu venit, circumflexum, etsi ultima longa fuerit, sæpe in antepenultima, & aliquando in præantepenultima collocant, e. g. αγιώτατη, sanctissima, ενύκτιασεν nox facta est, αἷμα μου sanguis meus, ειδατονε vidi illud.

§. III.

His præmissis, sequitur, ut de Articulis, Nominibus & Pronominibus Neo-Græcorum paucis differam. Neo Græcis nonnisi unus Articulus est in usu, & quidem Præpositivus, voce οποιος vel οπου vicem Postpositivi gerente. Hic habet in Singulari, ο, η, το, του, της, του, τον, την, το, ω, in Plurali, οι, αι, τα, των, τους, ταις, τα, ω. Tria hic probe notanda: primum Neo-Græcos, more Æolum, numerum non habere dualem, omnibus Græcis, teste Diomede, antiquitus ignotum, etsi apud Homerum sæpissime occurrentem, quod utrumque non facile conciliaveris, nisi Græcorum poëtas, hoc numero frequentius utentes, eum a Chaldaico sive Syro-Phœnicio similiter terminato accepisse, & Prosaicis quoque scriptoribus, eum rarius adhibentibus, dedisse, tibi persua-

 seris:

ſeris: tum apud Neo Græcos non dari Dativum; qui etſi in eorum ſcriptis, ſacris, profanis, aliquando obvius eſt, tamen uſitatius pro eo Accuſativus cum vel ſine præpoſitione εις adhibetur: & deinde, licentia loquentium & ſcribentium, promiſcue uſurpari in Pl. Nom. αι vel η, & Acc. ταις vel της (nec forma veteri τας penitus excluſa), quorum illud, quod frequentius, Atticum, hoc, quod rarius, Jonicum dixeris.

Articulum excipiunt Declinationes, quas, cum Neo Græci contracta veterum nomina non habeant, vere & commode tres facimus, viam Velleri, quam in antiquis diſcenti arduam & recordanti lubricam judicamus, in his novis uti maxime compendiariam ſecuti. Quemadmodum apud veteres, ita apud hodiernos Græcos Prima habet terminationes α, η Fœm., & ας, ης Maſc., Secunda ος, ον, quibus etiam ο, ι, ex neutris ον, ιον ortas adjicias, & Tertia α, ι, υ, ω, ν, ξ, ρ, ψ, & per caſus præter Dativum, quo carent, atque numeros ſic quæque inflectitur: Prima α, ας, αν, α vel η, ης, ην, η, Pl. αις, ων, αις, αις. Maſculina in ας, ης, eodem modo, præter Genetivum, qui

in

in ȣ definit, declinantur. Secunda Masc. Sing. ος, ȣ, ῳ, ε, Plur. ο, ων, ȣς, οι. Hujus Neutra tres habent Casus similes N. A. & V., nempe in Sing. ον, ο, ι, & in Pl. α, ια. Quod ad Tertiam attinet, Neo-Græci nomina ejus ex Accusativo nunc singulari nunc plurali veterum Græcorum, quorum terminationes in Nominativo supra allatas subinde in formandis suis casibus sequuntur, plerumque formant, e. g. τριχα capillus, μηδενας nemo, γραφοντας scribens. Igitur peculiaria hujus declinationis paradigmata ne exspectes, cujus regularia Quintam veterum, anomala vero jam unam in singulari, jam alteram in plurali sequuntur, e. g. μαθητης I decl. in sing., μαθητάδες III decl. in plur., ανθος II decl. in in sing., ανθη III decl. in plur., quæ confusio barbariem sane sapit. Adeo usus hic consulendus est, & ratio partim veteris partim novæ Gr. linguæ habenda.

Nominum declinatione per casus & numeros jam visa, eorum motio per genera, & comparatio per gradus consideranda est. Motio adjectivorum a veteri Græcismo fere nihil, substantivorum parum

rum differt. Nam ut olim ανασσα ab αναξ, & δεσποινα a δεσποτης, ita hodie κυρα a κυρις & προφητισσα a προφητης formatur. Nec hodierna adjectivorum comparatio a veteri multum discrepat, qua comparativus & superlativus regulariter additis positivo τερος & τατος terminationibus, & per anomaliam præmissis vocibus, positivo μεγαλητερος, & superlativo μεγαλωτατος, vel particulis λιαν & κατα πολλα aliisque comparandi & intendendi adverbiis, formatur.

Sequuntur Pronomina, a veteri Græcismo haud parum degenerata, quæ sunt vel Primitiva, eaque I:æ personæ εγω, μϋ, εμενα & με, εμας, εμων, & μας, εμας & μας. II:æ εσυ, σϋ, εσενα & σε, εσεις, εσας & σας, εσας & σας, & III:æ τϋ, τον, των, τϋς, cæteris τϋτος, αυτος aliisque declinationem adjectivorum per numeros & casus sequentibus: vel Composita & Possessiva, ab ιδικος proprius per genera, numeros & casus, & a Genetivo Pronominum I:æ. II:æ & III:æ personæ, (in morem hodierni Arabismi, كتاب حقي liber juris mei f. meus proprius pro كتابي liber meus, & fic cum

cæ

cæteris etiam ſuffixis, præcipue Meccæ ponentis) orta, ut *εδικοσμȣ-σȣ* &c. *εδικημȣ-σȣ* &c. & *εδικουȣ-σȣ* &c. Reliqua, ex veteri Græcismo æſtimanda, prætereo.

§. IV.

Conſiderata Nominis & Pronominis declinatione, ſequitur Verbi conjugatio per N u m e r o s, Singularem & Pluralem, non Dualem, quo Neo-Græci etiam in hac orationis parte, ad Æolum exemplum, carent, P e r ſ o n a s, primam, ſecundam & tertiam, M o d o s, Indicativum, Imperativum, Optativum & Conjunctivum, qui & loco Infinitivi uſurpatur, T e m p o r a cum S i m p l i c i a, quæ ex ſolo verbi themate, ut Præſens, Imperfectum & Perfectum, tum C o m p o ſ i t a, quæ ex themate & aliquo verborum auxiliarium fiunt, ut Plusquamperfectum &c., & F o r m a m A c t i v a m & P a s ſ i v a m, non M e d i a m, quam Neo-Græci ſi unquam notione, nunquam tamen flectione agnoſcunt: ubi ſtatim naſcitur quæſtio, quot Neo-Græcis ſunt conjugationes? Numerantur commode quatuor B a r y t o n æ, quarum P r i m a *βω*, *βγω*, *πα*, *φω*, *φτω* in Præſ., & *ψα* in Perf.,

Secunda γω, κω, κνω, κτω, χω, χτω, σσω, ζω in Præſ., & ξα in Perf., Tertia δω, θω, ω purum vel antecedente ν, in Præſ., & σα in Perf., & Quarta λω, μω, νω, ρω in Præſ., & λα, μα, να, ρα in Perf., terminationes habet; & duæ Circumflexæ, primæ & ſecundæ veterum Contractorum reſpondentes, quarum altera in Præſ. in εις, & in Perf. in ησα vel εσα, altera autem in Præſ. in ας, & in Perf. in ησα vel ασα deſinit. Tertiam contractorum & verba in μι compenſant Neo-Græci, concurſum vocalium æque atque veteres non patientes, novis Barytonis in ενω, ηνω, ινω, υνω & ωνω terminatis, quæ Præſens & Imperfectum regulariter, reliqua autem tempora plerumque ab antiquis & ſuæ originis verbis in εω, αω & οω, rarius a Barytonis mutuantur, δινω, pro διδωμι & αφινω pro αφιημι dicentes. Quod autem ad veterum verba in μι attinet, ſunt, qui hanc aliasque eorum inuſitatas terminationes ex lingua Scythica repetant. Nec his omnis deeſt ſuæ ſententiæ auctoritas. Nam in lingua Perſica, quæ memoratæ linguæ ſuam originem debere creditur, & cum ea multa communia habet, ſyllaba مى mi verbis præmiſſa Præſens

&

& Imperfectum format, e. g. می رسید mi resid pervenit s. perveniebat. Augmentum Neo Græcorum si spectes, iis unicum est in usu, & quidem Syllabicum, quod fere veterum analogiam sequitur, nisi quod verbis ex præpositione compositis ordinarie ab initio additur, e. g. εκαταδεχȣμȣν dignabar.

Superest, ut paradigmata verborum, primum triplicis Auxiliaris, ειμαι, εχω & θελω tum Barytoni γραφω & deinde utriusque Circumflexi πατῶ & αγαπῶ exhibeam. Sed cum proposita hujus libelli brevitas totum non permittat, pars sufficiat, & quidem solum Barytoni exemplum, iis, quibus Langii Philologiam Barbaro Græcam videndi non est occasio, ad judicium de linguæ Græcæ veteris & hodiernæ etiam hac in re discrimine ferendum, nec ingratum nec inutile futurum.

Activum.

Indic.
- Præs. γραφω-εις-ει-ομεν-ετε-ȣσι s. ȣνε.
- Imp. εγραφα-ες-ε-ομεν-ετε-ασι s. ανε.
- Perf. εγραψα-ες-ε-αμεν-ατε-ασι s. ανε.
- Plusq. ειχα-ες-ε-αμεν-ατε-ασι s. ανε γραψει.
- Fut. θελω-εις-ει-ομεν-ετε-ȣσι s. ȣνε γραψει.

Imp.

Imp. (γραψε, ας, γραψη, γραψετε, ας, γραψουσι.

Opt. { Præſ. ας να γραψω-ης-η-ωμεν-ετε-ουσι.
Imp. ηθελα-ες-ε-αμεν-ετε-ασι γραψει.

Conj. (Præſ. να γραφω ſ. γραψω-ης-η-ωμεν-ετε-ουσι.

Reliqua tempora eadem ſunt, quæ in Indicativo, additis particulis να, vel ἁς να vel αν &c. Loco infinitivi adhibetur Conjunctivus. Participium γραφοντας omnis generis & numeri.

Pasſivum.

Ind. {
Præſ. γραφομαι-εσαι-εται-ομεθα-εσθε-ενται.
Imp. εγραφουμουν-ουσου-ουτουν-ουμεσθεν-ουσθε-ουντο.
P:f. εγραφθην-ης-η-ημεν-ητε-ησαν. ſ. εγραφθηκα &c.
Plusq. ειχα γραφθη &c. Fut. θελω γραφθη &c.

Imp. (γραψου, ας, γραφθη-ουμεν-ητε-ουσι ſ. ουνε.
Opt. (Præſ. ηθελα γραφθη &c. Conj. να γραφθω &c.

Reliqua hujus utriusque modi tempora Indicativo ſimilia ſunt, præmiſſis particulis ſupra memoratis. Infinitivus idem cum Conjunctivo. Participium γραμμενος-η-ον.

Hæc

Hæc habui, quæ de Græca lingua hodierna dicerem. Qui plura desideraverit, ei in hoc argumento J. M. Langii Philologia Barbaro-Græca cumulate satisfaciet. Hoc tamen superesse videtur, ut iis, quæ supra disputavi, specimen hujus linguæ tum prosaicum tum poëticum adjungam, curioso utriusque conveniens & profuturum.

Ex Novo Testamento Barbaro-Græco Matth. II. 1 - 11. Και ωσαν εγεννηθη ὁ Ιησȣς εις την Βηθλεεμ της Ιȣδαιας εις ταις ημεραις Ηρωδȣ τȣ βασιλεως, να και ηλθαν μαγοι απο την ανατολην εις τα Ιεροσολυμα λεγοντες, πȣ ειναι ὁ βασιλευς των Ιȣδαιων, οπȣ εγεννηθη, διατι εμεις ιδαμεν τον αςεςατȣ εις την ανατολην και ηλθαμεν να τον προσκυνησωμεν. Και ὁ βασιλευς Ηρωδης ωσαν το ακȣσεν εσυγχισθη, και ολα τα Ιεροσολυμα μαζι μεταυτον. Και μαζωννοντας ολȣς τȣς αρχιερεις και τȣς γραμματεις τȣ λαȣ τȣς ερωταις, πȣ γενναται ο Χριςος; και εκεινοι τω ειπαν, εις την Βηθλεεμ της Ιȣδαιας, διατι ετζι εγραφη δια μεσȣ τȣ προφητȣ. Και συ Βηθλεεμ γη τȣ Ιȣδα, καθολȣ δεν εισαι μικροτατη αναμεσον εις τȣς ηγεμονας τȣ Ιȣδα.

Διατι απο σενα θελει ευγει ηγεμενος ὁ οποιος θελει ποιμανει τον λαον με τον Ισραηλ. Τοτε ὁ Ηρωδης κραζοντας κρυφα τες μαγες εξεταζε ακριβα απ᾽ αυτες τον καιρον τε αςερος ὁ πε εφανη. Και πεμποντας τες εις την Βηθλεεμ τες ειπε. συρτε και εξεταξατε καταλεπτως δια το παιδιον, και ωσαν το ευρειτε δοτε με ειδησιν δια να παγω και εγω να το προσκυνησω. Και: εκεινοι ωσαν ηκεσαν τα λογια τε βασιλεως εδιεβησαν, και να, παλιν ὁ αςερας οπε ιδαν εις την ανατολην και επιγενεν εμπρςατες, εως οπε ηλθε, και εςαθη εκει οπε ητον το παιδιον. Και ωσαν ιδαν οι μαγοι τον αςερα, εχαρησαν χαραν μεγαλην κατα πολλα. Και εσωντας να ελθεσεν εις το σπιτι, ευρηκαν το παιδιον μαζι με την Μαριαμ την μανατε και επεσαν και το επροσκυνησαν και ανοιξαντες τες θησαυρεστων τε εφεραν χαρισματα, χρυσαφι και λιβανον και σμυρναν.

In Homeri Batrachomyomachia, a Demetrio Zeno Zacynthio in vulgarem linguam Græcam rhythmice converſa, cum Latina M. Cruſii verſione hæc ab initio habentur:

Φιλε-

Φιλομαθης και βιβλιοπωλης.

Φιλο. Μη ναχεις τιποτες βιβλιο νεο, να μȣ
πȣλησης.

Βιβλιο. Ναι, εχω ενα ευμορφο κειδες το ανορισης.

Φιλο. Ειπες μȣ, πως το λεγȣτι; τωρα δεν αδιαζω.
Εχω δȣλια σπȣδακτικη: δεν ϛεκω, να
διαβαζω.

Βιβλιο. Ομηρȣ τȣ σοφοτατȣ βατραχομυομαχια.

Φιλο. Δεν καμνη τȣτο γιατεμε οτι μιλει βαθεια.

Βιβλιο. Μαλλον μηλει απλȣϛατα, γιατι εμετα-
γλωττηθη:
Και απο ϛιχον εμμετρον τωρα ερρημαριωθη.

Φιλο. Σερημα εϛαι; το λοιπον δος μȣ το, μη
ναργησης:
Και επαρεμȣ εις αυτο ειτι εσυ ορισης.
Αλλα ετȣτο σερωτω παρακαλωσε, πετο:
Τις εις την ρημα τοβαλε και μετα-
γλωττισε το;

Βιβλιο. Ξευρεις τον, και γνωριζεις τον: φιλος σȣ
εναι κεινος.
Εναι απο την ζακυνθον Δημητριος ὁ Ζηνος.

STU-

STUDIOSUS ET BIBLIOPOLA.

Stud. Num habes aliquid libelli novi, ut mihi vendas?

Bibliop. Ita, habeo quendam pulchrum: inspice, si vis.

Stud. Dic mihi, quomodo nominatur? quia nunc non est mihi otium. Habeo negotium serium, festinatione indigens, non maneo, ut legam.

Bibliop. Est Homeri Sapientissimi Ranarum & Murium pugna.

Stud. Non facit is ad meum usum, quia loquitur altè.

Bibliop. Imo loquitur simplicissime, quia est in nostram linguam translatus. Et è versu artificioso, nunc ad Rhythmos collatus.

Stud. In Rhythmis est? Ergo da mihi ipsum, nec cunctare, & accipe a me pro eo, quodcunque pretium tu constitueris. Verum hoc te interrogo, oro te, dic hoc: Quis ad Rhythmos illum contulit, & interpretatus est?

Bibliop. Scis ipsum, nosti ipsum: amicus tuus est ille. Est e Zacyntho, nempe Demetrius Zenus.

XIV. DE CONFORMATIONE LINGUÆ GRÆCÆ.

Linguæ Græcæ, ut ceterarum, propter vetuſtatem, incertæ origines. Neque illius incultæ quis habitus fuerit, ex Homero, Scriptore antiquiſſimo, cognoſcere licet. Sui enim oris, quæ gratia eſt, ſi minus adultæ, tamen floridæ ætatis ſpeciem refert. Hujus vero linguæ recens natæ lineamenta plane diverſa fuiſſe opinioni locus eſt. Rude omne initium. Atque majores Græcorum, Pelasgi & Hellenes, natura & moribus, ſermone & ſtudiis, barbari fuerunt. Senſim vero, & inſtar diei, clareſcente ingenio, etiam oratio in amplitudinem & nitorem evaluit. Quin & aliena virtus in ſuam verſa. Schytarum vocibus circumſonabant aures: & Phœnicum æque in dicendo ac in ſcribendo imitatores fuiſſe Græcos, compertum eſt: quo modo etiam aliquid peregrini a Perſis contractum fuiſſe, nec documenta deſunt. Hæc fuit Græca

dicen-

dicendi materia, quam multam & variam discernere non vacat. Qua vero via & ratione conformata fuerit, investigare in voto est.

Investigandi autem duplex erit cura: quarum una dictionum qualitatem, altera flexionem spectabit. Qualitate nomina sunt vel Substantiva vel Adjectiva. Illa autem his ortu posteriora non fuisse, facile concedet, qui Subjecti ut ideam, sic & appellatioem tempore priorem esse noverit. Atque figura ubi in considerationem venerit, nec dubitabitur, quin prima omnium monosyllaba fuerit. Humanis dicendi primordiis hæc communis. Argumento sunt Interjectiones, quæ ubicunque terrarum brevissimæ sunt. Quarum ad similitudinem cetera etiam vocabula, quæ necessitas aut utilitas expressit, conformata fuisse, credibile est. Sic & prima nomina Hebræorum monosyllaba fuere, quibus etiam abundasse Dores, qui βραχυλόγοι vocantur a), memoria est. Facilitati autem loquendi voluptatique audiendi pedetentim fuit consultum. Et ut

a) Vossius de Poëmatum cantu p. 44. & Salmasius de Lingua Hellenistica p. 390.

ut apud Hæbræos, ſic apud Græcos b) disſyllaba poſthæc polyſyllaba, adjectis paſſim litteris, vocalibus aut conſonis, acceſſerunt.

Vocabula vero ſubſtantive uſurpata, adjective uſurpare, more Hebræorum c), etiam Græcos cœpiſſe, vero ſimillimum eſt, e. g. πολις πενθητης, Φωνη σημαντωρ, alia exempla ut taceam. Sed cum poteſtate etiam forma mutata eſt: & πενθικος, σημαντικος dictum.

Sed inchoata longius provecta: ita ut & Subſtantiva & Adjectiva per Genera & Gradus, Numeros & Caſus flectere decurſu temporis, quod ſapere docet, Græci didicerint. Atque in his, ut in ceteris, natura dicendi magiſtra fuit. Nam primum omnium, ſpectato Genere, olim non niſi unum id fuiſſe puto. E. g. Communis ut Hebr. גמל, שור, ſic & Græce καμηλος, βους, fuerunt. Feminini tandem diſcrimine quæſito, id in Hebræa ejus terminatione ה repertum videtur. Sic e. g. λυκαινα pro λυκος invaluit. Cujus vero terminationis vicem præſtiit

b) Dissertatio de Conf. L. Hebr.
c) Dissertatio cit.

tit æque facile apud Græcos η, e. g. αγαθη, ac apud Arabes ة (Hebr. ה) e. g. مدينة, promiſcue **medina** & **medine** (urbs) pronuntiatum. Tamen in multis, quæ antiqua forma fuit, ſuperſtes.

Ad **Motionem per Gradus** quod attinet, perinde ambigam, annon a Perſis, antiquiſſima & Græcis contermina gente, accepta hæc ars fuerit. Nam motum eſt, ut Perſice بد, بدتر, بدترين, **bed**, **bedter**, **bedterin** (malus, pejor, peſſimus), ſic Græce σοφος, σοφωτερος, σοφωτατος, Perſica terminatione **terin** in τατος euphonice mutata.

Sic etiam **Numeri Pluralis** & **Dualis** habita ratione, ſuspicioni dabitur venia, unum & alterum ad Phœnicii exemplum conformatum fuiſſe. Nam dictum eſt, ut Phœnice **pluraliter** מלכין a מלך (rex) & **dualiter** קרנין a קרן (cornu), ſic Græce **pluraliter** μηνες, & **dualiter** μηνοιν, mutato ין in ις vel ες, & ַין in οιν. Ex qua terminatione **Plurali**, ſublato σ, quod **Quintæ Declinationi** proprium eſt, ſupereſt ι, quod ceteræ cuique commune eſt.

Caſuum

Casuum varietas, quæ subtilior, non minus Græce, quam Persice, præpositionibus primum præpositis, deinde postpositis, expressa videtur. Nam declinatum, ut olim Persice, برادر brader (frater), Singulariter.

N. برادر G. از برادر D. به برادر Ac. مر برادر
brader, ez brader, be brader, mer brader.

sic forte etiam Græce μην,

N. μην G. εξ i. e. εκς μην D. επι μην A. ανα μην.

Ut autem recentius Persice

N. برادر G. برادررا D. برادررا A. برادررا
brader, braderra, braderra, braderra.

particula mer, quam antiquitus etiam Genetivo, & Dativo interdum præmittere in more fuit, postposita, & in ra mutata,

sic etiam Græce

N. μην G. μην-ος D. μην-ι A. μην-α

Præpositionibus εκς, επι, ανα suffixis & recisis,

Pluraliter

N. μηνες G. μηνων pro μηνες-ος D. μησι pro μηνες-ι. A. μηνας pro μηνες-α, facta ob euphoniam hac mutatione.

Prima omnium hæc Declinatio: ex qua, ut stirpe altæ indolis, ceteræ natæ. Nam auctis vocum formis, etiam auctæ earum flexiones sunt. Atque ex. g. ατμη vel ατμος pro ατμις dici cœpto, Secunda & Tertia obtinuerunt. Quo factum est, ut hujus utriusque haud pauca Nomina ad exemplum Quintæ terminata, nec vero vicissim, quæ Quintæ fuerint, in morem Secundæ & Tertiæ declinata occurrant: exceptis quibusdam, quorum Genetivus Singularis aliam in formam contrahi potuit. Tamen & ut discriminarentur Genera, quamquam magna anomalia eorum apud Græcos est, σ in Masculini, ν in Neutrius notam addere placuit. Quæ vero litteræ, in Nominativo obviæ, ceteris in casibus exciderunt. Atque sic per contractionem Quintæ exstitit

Secunda Declinatio

S. N. μηνη G. μηνη-ος Ct. μηνης D. μηνη-ι Ctr. μηνῃ A. μηνη-α, ob concursum Vocalium μηνη-να, Ctr. μηνην.

P. N. μηνη-ι addito ι Plurali, unde μηναι, mutate η in α, G. μηναιων Ctr. μηνων D. μηναι-σι Ctr. μηναις A. μηναι-ς Ctr. μηνας, &

& Tertia Declinatio

S. N. λογος G. λογ-ος ftr. λογου D. λογο-ι ftr. λογῳ, A. λογι-α, ob vocalium concurſum λογο-να ftr. λογον.

P. N. λογο-ι, addito ι Plurali, G. λογοι-ων, ftr. λογων (ſic παλαος pro παλαιος Æol.) D. λογοι-σι Jon. ftr. λογοις, A. λογοι-ας ftr. λογȣς, ut μειζȣς pro μειζοας & μȣσα pro μοισα.

Pari modo **Pronomina**, quæ acutius & **abſtracte** loco Nominum reperta ſunt. Tria tamen in his peculiaria. Primum, qui **Primæ Perſonæ** Nominativus εγω eſt d), ille recentius increbuit pro antiquo εμι, cujus veſtigium in ceteris caſicus εμȣ, εμοι, εμε, item in **verbis** in μι e. g. διδωμι, & in **Modo Optativo** e. g. τυπτοιμι manet. Tum, qui **Secundæ Perſonæ** Numerus Pluralis eſſet συες, ille vocalium ob concurſum, primum in συμης, deinde in ὑμεις muta-

---

d) A Phœnico אנך **anok**, mutato k in γ, quomodo, Arabice ك ſonum litteræ ג haud raro accipit, e. g. كذب non **kedeb**, ſed **ghedeb** (mendax fuit) pronuntiatur.

mutatus fuit. Denique quæ Tertiæ Personæ forma σφεις habetur, ea antiquitus in Singulari σφι fuit, cujus apud Poëtas vestigia occurrunt.

Nominum Pronominumque hæc conformatio. Horum vero nexu Verba orta sunt. Quæ autem compages, in Hebraicis manifesta, neque in Græcis aciem oculorum fugiet. Atque ubi in incertum implicata videbitur, mollissimæ, & quam instar ceræ ad arbitrium fingere licuit, linguæ hæc ambiguitas tribuetur. Magnopere itaque refert glomerati in orbem fili extremum quærere. Et pretium operæ erit, primi elementa verbi in Pronomine Personali quærere. Neque non Substantivi id Verbi apud Hebræos vim habuit. Sic ab εμι, συ, σφι &c. ειμι, εις, εςι &c. formare erat facile. Unde nec difficilius fuit, ducere Indicative ην, Imperativè ει (quod in παρει superest), Optative ειην, jam formato ην præposita optandi particula ει, ad morem Turcici سورسم severfem, contracti ex sever (amars), se (si, utinam), & im (sum), Infinitive, ειναι, εμεναι, εμεν, & Participialiter Active εων, Æol. εις, Passive εμενος, quæ terminatio in εσομενος superest.

Ver-

Verbi Subſtantivi una & ab εμι, Pronomine gentilitio, formata hæc ſpecies. Altera & εσκω ab εγω, Pronomine Phœnicio, petita videtur. Cujus reliquias, ſimpliciter in Indicativo εσκον &c. εον, & in Subjunctivo εω, conjuncte autem in τυπτεσκον, τυψασκεν legere datum eſt. Quæ vero duæ formæ explicandis Temporum ceteris ſufficient. Inde enim tam commode, ſublato σ, character Perfecti κ, quam, ſublato κ, character Futuri σ exſtitit, Uterque autem ſubinde reciſus: & ut ηα pro ηκα, & τετυπα pro τετυπκα, ſic τυπȣμαι pro τυπσομαι dictum fuit. Atque eadem ex radice εσκω nec incommode terminationes Paſſivas, cum Infinitive εσθαι &c. θαι, tum Participialiter εσθεις &c. θεις deductas putaverim.

Ope autem Pronominis ut verbum Subſtantivum, ſic Participiis hoc auxiliante, quodvis aliud verbum fuerit, compoſitum eſt, ſcilicet ut Perſice dictum رسم reſem ex رسا reſa perveniens & ام em ſum, atque Turcice سورم ſeverim ex ſever amans & ام im ſum, ſic etiam Græce e. g. τιθημι *). Acti-

(*. Antiquius vero & ſimplicius, ope tantum Pronominis, Verbum Græce ut Hebraice conformatum fu-

Activum

Verbo Subſtantivo ειμι junctis Participiis Activæ terminationis, τιθεις, τεθεικως, θηκας, θεις, θησων.

Indicativus Pr. τιθημι ex τιθεις & ειμι, Imp. ετιθην ex τιθεις & ην, Perf. τεθεικα ex τεθεικως & ηκα, Plusq. ετεθεικειν ex τεθεικας & ειν Poët. pro ην, Aor. 1. εθηκα formatum ex τεθεικα, Aor. 2. εθην contr. ex ετιθην, Fut. θησω ex θησων & εω pro ειμι,

Imperativus Pr. & Imp. τιθετι ex τιθεις & ει, mutato σ in τ,

Optativus Pr. & Imp. τιθειην ex τιθεις & ειην,

Infinitivus Pr. & Imp. τιθεναι ex τιθεις & ειναι. Quomodo & cetera tempora a ſuo ſingula Participio & verbo Subſtantivo formata videbis,

Passivum

Verbo Subſtantivo junctis Participiis paſſivæ terminationis τιθε-μενος, τεθει-μενος, τεθεις pro θε-θεις, mutato propter κακοφωνιαν repeti-

isse, Rudimenta linguæ Græcæ, Lond. Goth. publicata, ostendent.

petitæ ejusdem Aspiratæ θε in τε, & addito Aoristi 1 Paff. θ charactere, θη-σομενος, τε-θησομενος & τε-θεισομενος. Passivi hanc fuisse originem cognoscitur ex 3 Perf. Pl. Perf. τετυμμενοι εισι, quæ commode ut ceteræ quibusdam in verbis contrahi non potuit. Sic etiam in Græca lingua vulgari Passive dicitur τυπτομενος ειμι verberor.

Indicativus Pr. τιθεμαι-σαι-ται-εμεθα-εσθε-ενται ex τιθεμενος-ειμι-εσσι Dor. εντι Dor. εσμεν-εστε-εντι Dor., sublato μ ante σ & τ. Imp. ετιθεμην Gr. εθεμην ex τιθεμενος & ην. Perf. τεθει-μαι ex τεθειμενος & ειμι, Plusq. ετεθειμην ex τεθειμενος & ην. Aor. 1. ετεθην ex τεθεισ & ην, Fut. Præsentis θησομαι ex θησομενος & ειμι, Fut. Perfecti τετεισομαι ex τεθεισομενος & ειμι, Fut. Aoristi τεθησομαι ex τεθησομενος & ειμι.

Imperativus Pr. & Im. τιθεσο ex τιθεις & εσο Passive & Medie pro ει. Aor. 1. ταθητι ex τεθεις & ει, mutato σ in τ.

Optativus Præs. & Imp. τιθειμην ex τιθεμενος & ειην &c.

Sub-

Subjunctivus Pr. & Imp. τιθωμαι ex τιθεμενος & εωμαι, Medie pro εω, ficut εσωμαι Medie pro fimpliciter inufitato εσω. Aor. 1. τεθω ex τεθεις & εω.

Infinitivus Præf. & Imp. τιθεθαι ex τιθεις & εσθαι, quemadmodum quæ reliqua funt tempora a fuo quodque Participio & Verbo Subft. ortum duxerunt. Sic unum idemque Participium active, ubi verbo Subftantivo Activo junctum fuerit, pasfive, ubi Paffivo, valet. Quare τιθεις cum ειναι i. e. τιθεναι ponere, cum εσθαι i. e. τιθεσθαι poni fignificat. Neque aliter Perfice. Nam رسنده refide perveniens cum بودن buden (effe) junctum pervenire, cum vero شودن fchuden (fieri) perveniri notat. Operi demum multi temporis acceffit cumulus verborum in ω, quæ Barytona appellantur. Dici enim cœpto εγω pro εμι, inde etiam effecta fuit nova verbi & Barytoni dicti forma in ω.

Activa.

Indicat. Præf. τιω ex τιων εσκω ftr. ω, Imp. ετιον ex τιων εσκον ftr. εον, Perf. 1. τετικα ex

ex τιων εσκα, ſublato σ, unde Perf. 2. τετια ſublato κ. Plusq. ετετιειν ex τιων ειν. Aor. 1. ετισα ex τιων εσκα, ſublato κ, Aor. 2. ετυπον ex Imp. ετυπτον contractus. Fut. τισω ex τιων εσω active formato ex Paſſivo εσομαι.

Imperativus τιε ex τιων & ει, ſublato ι ut ſæpe alias &c.

Optativus. Pr. & Imp. τιοιμι ex τιων-ειμι, &c.

Subjunctivus. Pr. & Imp. τιω ex τιων-ω &c.

Infinitivus. Pr. & Imp. τιειν ex τιων-εναι &c.

Passiva.

Cujus eadem, quæ verborum in μι, conformatio eſt.

Supereſt forma Media: quæ a Paſſiva non niſi in Ariſto. 1 & 2 differt. Quæ vero utriusque forma obvia eſt, a ſuo quæque Participio activo, pasſive terminato, deducta fuit. Atque inde Reciprocæ ejus poteſtati origo. E g. Aor. 1. ετυψαμην ex τυψαμενος (ex τυψας

& μενος) atque εἰμί. Aor. 2. ἐτυπόμην ex τυπόμενος (ex τυπων & μενος) atque εἰμί. Indicativus hic Modus.

Cujus ad exemplum ceteri conformati sunt; & quidem Imperativus (ut hunc addam) τυψαι ex τυψασ- & σαι, terminatione II:dæ pers. pass., procul dubio ex σω orta.

In re vetusta & perobscura si quid peccatum fuerit, non tenuem id veniam habebit.

XV. DE ORIGINE LINGUÆ GRÆCÆ.

Ab ultima origine stirpis postdiluvianæ generata gens Græca fuit. Et argumento est ipsum nomen. Verum & antiquum erat Javan: atque hoc sui conditoris (Japheti is filius) proprium. Additum vero recentius, & cui locum orbis terrarum in Europæum & Asiaticum dehiscens fecit a), Peleg.

a) Dissert. de Orbe terrarum dehiscente.

leg. Et homines, quibus non alii priores in Græcia cogniti sunt, hoc monstrati. Generi autem congruens sermo: & hic idem, qui posteris Noachi vernaculus fuit. Tamen utcumque altæ indolis, ille degener, nec minus, quam sui vultus populi, mutabilis. Descivit mature in Aramæum, qui Labanis, & in Arabicum, qui Jobi ætatem æquavit aut superavit. Et qui traditus fuit Patriarchis, & Hebræus ab Æber appellatus est, diu quidem ille incolumis. Pari enim fide & sanctitate in solitudine Palæstinæ cultus fuit. Sic etiam in recessu Ægypti & sinu Goschen is sui securus. Quomodo nec ipsi deinceps periculosa Judæorum libertas aut dominatio fuit; dicendi scribendique exemplo semper Mose proposito. Genti autem, quæ nec obedire nec servire voluit, Deo irato, in verba perinde quam in corpora sævitum fuit. Et invisus primo Chaldaismus postremo amatus est.

Hæc fata Hebraismi Asiatica. Sed pejora, quæ illius Europæa fuerunt. Quæ enim lingua mitiori sub cœlo torpuit, ea sub graviori riguit. Suo primo in Græciam adventu propria & sincera erat Hebræa; quæ vero alienum in sonum

cor-

corrupta paullatim eſt. Irrepſit enim indies avitæ religionis oblivio: & quæ ſui cuſtos vox erat, magis magisque obſolevit. Sic autem abſona hæc facta, etiam diſſona evaluit; diviſis tributim vel oppidatim Hebræis, qui Græciam coloniis occupaverant. Et exinde natæ plures loquendi conſvetudines: ſui autem loci ingenio ſingulæ reſpondentes. Quæ enim Dorica in Theſſalia adolevit, regionis montoſæ repercuſſu ea plenior. Floruit viciſſim patriæ ſuæ faucibus in brevius preſſa Attica. Et Jonica in campis Aſiæ Minoris fuſa & ſvavior, ut Æolica in Siciliæ æquo ſummiſſa & lenior conſenuit. Quas itaque cum ſuis cognatis & Orientalibus conferre ſi libet, ut Doricam Chaldaicæ & Æolicam Syriacæ, ſic Arabicæ veteri Jonicam, & recentiori Atticam comparare licet. Nam elocutio, cum primæ comparis clarior & ſecundæ obſcurior, tum tertiæ diductior & quartæ adſtrictior eſt b).

Tanta

b) Quemadmodum uſu frequens eſt vocalis a Chaldæis & Doribus, o autem Syris & Æolibus, ſic vocalior lingua Jonica & quæ Arabum antiqua fuit, quam Attica & quæ Arabum hodierna eſt.

Tanta Hebraismi & Græcismi necessitudo est. Intercedit tamen magna dissimilitudo: quæ autem diversi generis opinionem non faciet. Compertum est, os sui parentis prolem non semper penitus referre. Et qui utriusque linguæ vultus intuenti ex longinquo dissimilis, ille propius adeunti similis videbitur.

Tripartita autem cura erit, quæ hac in re versabitur; primamque ejus partem elementa vocum sibi vindicabunt. Vocum vero ut animam vocales, sic corpus consonantes quasi constituunt. Quemcumque enim sonum per auras illæ reddiderint, hæ conformant. Et inde vox quævis, velut chorda ad tactum aut tanquam fistula his vel illis foraminibus præclusis, articulatim respondet. Sed vocales, ut aëriæ, sic leves. Quas vero quæ consonantes modulantur, eæ constantiores. Quæ tamen nec ipsæ vicissitudini exemtæ. Et in his præcipue gutturales; quippe quæ omnes sunt spiritus, gradu tantum differentes, remissi aut intenti. Atque ut א exilis, & ה plenior, sic ח ab imo pectore ductus, & ע raucus est. Quarum itaque literarum transitus in vim vocalium facilis fuit, ut Samaritane & Galilæe, sic & Græce, e. g.

חנך

חנק αγχω, חרג ειργω, ענה ανιαω: hoc solum discrimine, quod in cujusque locum consonans sui similis interdum successit, e. g. אהב αγαπαω, חרק κεϱχω, עטרת σιδαϱις. Sic etiam, ut Aramææ, ita Græce occurrunt literæ, vel in cognatas mutatæ, e. g. בר πυϱος, גבה καυχη שור θεωϱεω, vel invicem translatæ, e. g. חמץ ζυμη, לטף θαλπω, צום νηϛευω. Sed Græcismo proprium est, quod literæ subinde sine omni compensatione perierunt, e. g. עבר πειϱω, עמרה ειϱος, חסיד οσιος. Quod ipsum licentiæ vetustatis aut studio brevitatis tribuendum videtur.

Sic Hebræa Græcismi materia varie subacta & mollita fuit. Quæ tamen ab omni admistione libera non censenda est. Germani fuerunt, Javan, qui Græcam gentem, & Gomer, qui Persicam condidit c). Atque adeo cur ore lingua utriusque tantopere consentiat, quæstio facile excipitur, e. g. پدر peder πατηϱ, مادر mader μητηϱ, دختر dochter θυγατηϱ. Cæterisne vero ex po-

c) Dissert. de **Origine Germanorum apud Tacitum.**

populis; quibus pari modo origines suas consecrare licet, aliquid peregrini immigraverit, id ego, ut incompertum, in medium relinquam.

Ex natura autem fuit, ut cujus linguæ indolem, illius quoque habitum moremque Græca referret. Qui vero, uterque ut integer suisque originibus haud dispar esset, prætendere nimium foret. Plurimum tempus, plurimum inconstantia humana valuit. Et rei suæ quantum dignitatis & gravitatis illinc vetustas detraxit, tantum venustatis & facilitatis hinc lima adjecit. Sed comparate melius judicabitur.

Si forma spectetur, vocabula pari modo aucta fuerunt:

Nomina abstracta

Hebr. גנבה, Ch. גנובא ex גנב

Græc. κλοπη v. κλεπος ex κλωψ

(mutato ה v. א in η, v. ο cum ς parag.)

Hebr. דעת, Ch. דעתא ex ידע

Græc. εἰδησις ex εἰδεω.

(mutato ת v. תא in cognatum σι cum ς parag., qua pro terminatione etiam σια frequens est).

Nomi-

Nomina concreta.

Chal. מצעיא ex מצע.

Græc. μεσιτης ex μεσος.

(mutato Ch. יא, Hebr. י charactere concreti, in η cum ς parag., & τ præposito ob concursum vocalium).

Verba activa.

Hebr. הורה ex ירה, שלח ex שלח.

Græc. αειδω, ex ειδω, στελλω ex στελω.

(pari utrimque prosthesi aut diplasiasmo).

Verba passiva.

Hebr. התידע ex ירע & הת

Græc. ειδεται ex ειδε & ται.

(hinc, inde eodem objecti charactere ת, τ).

Peculiaris autem est, ut Hebraismo prosthesis literæ נ (etiam hæc objecti nota), sic Græcismo epenthesis literæ τ v. ϑ & paragoge literæ γ v. ζ. E. g. אפה οπταω, עם εϑνος, בוא βαινω, תמה ϑαυμαζω. Quarum ultima vim significandi intendit: ceteris euphoniæ causa additis.

Si

Si flexio consideretur,
Nomina similiter & moventur & declinantur:

Hebr. גביר, גבירה, גבירים, גבירות.

Græc. *κυριος*, *κυρια*, *κυριοι*, *κυριαι*.

(sublata pluraliter literâ, M. ם, F. ת, hujusque vocali ו in *αι*, mutata.)

In exprimenda Casuum varietate tantum variatur: particulis, eorum characteribus, suo Nomini Hebraice præpositis, sed Græce postpositis. Quod etiam de comparatione per gradus valet. Quamquam non dubito, quin in una & altera re Hebræos, suos majores, Græci antiquitus imitati fuerint. Etenim ad utriusque inventionem, utcumque tali modo & duce natura in medio positam, si minus ingenio, tamen tempore opus fuit. Flectitur vero Nomen per gradus, ut Persice, sic Græce. E. g. به beh (bonus) *σοφος*.

Pers. به beh, بهتر behter, بهترين behterin.
Gr. *σοφος*, *σοφωτερος*, *σοφωτατος*.
(terminatione terin in *τατος* conformata).

Quod ipsum Persicæ etiam admistionis documentum est.

 Nec

Nec Verba dissimiliter conjugantur: Primum idem est habitus Personarum.

Qui eo solum differt, quod character Præteriti pronominalis Græce auctus fuit præposita literâ ε, stirpe Verbi Subst. ειμι. Sed Hebraice ille nudus, nec nisi ipsum Pronomen est. Quo etiam accedit, quod qui pronominalis tertiam Personam Sing. Num. Græce exprimit, is in ea Hebraice latet. E. g.

Hebr. קטל pro קטל־הו (Pronomine omisso)

Græc. κτεινει ex κτειν & ει (Hebr. הו).

Tum par numerus Temporum. Neque enim major, qui Verborum in μι olim fuit. Et vicem Præsentis ut Futurum apud Hebræos, sic Futuri Præsens apud Græcos sustinuit. Quæ reliqua sunt, iis ex Verbis in ω origo. Et orta hæc sunt, reperto Verbo Subst. εσκω pro ειμι: unde character tam Fut. σω & Aor. σα, quam Præt. κα & Plusqu. κειν ductus fuit d).

Deinde nec impar numerus Modorum. Nam qui Græcis est Optativus, unde contrac-tus

d) Dissert. de Verbo Subst. lingu. Græcæ.

tus Subjunctivus, (quo utroque Hebræi carent), generatus fuit, inserta voci particula optandi *ει*, Gr. 1, quæ antiquius & simplicius, ut sua stirps Hebræa אם, sublato ם, ei præmissa erat e). Et qui discors Participii, ille concors facile redditur. Nam quæ sua est terminatio *ες* (pro *ενς*, unde *ων* deinceps formata fuit), ea ex Pron. Aram. הנא, (Hebr. הן, subjecti nota f), originem duxit. Quæ autem Infinitivi in *ναι* (unde *ειν*) habetur, ea instar Persicæ ten v. den, & Turcicæ mek v. mak, paragogica (ex ان quod, cum futuro sive præterito notans Latinorum Infinitivum, ex. gr. يباب ان يكتب recusat scribere) putetur.

Sic active. Neque aliter passive. Quod enim Verbi genus utrimque discriminatum fuit eodem charactere, ת, ϑ v. *τ* (ex את objecti nota), Hebraice præposito, Græce postposito. Quamvis hic in prima & secunda persona Sing. Num. propter euphoniam abjectus fuerit. Neque eum nisi in superstite sua vocali indagare lice-

e) l. c.

f) Dissert. de Verbo ling. Hebrææ.

licebit. E. g. εἰδεμαι, εἰδεσαι pro εἰδεμθαι, εἰδε-σθαι, ut Pluraliter εἰδεμεθα, εἰδεσθε. Et quæ Participii duplex est terminatio, θεις & μενος, ut illa eadem est, quæ active εις, interposito θ passive, ita hæc ex altera Hebr. passivi nota נ conformata videtur. Quomodo quæ etiam Infinitivi duplex est σθαι & μεναι, quæque characterem passivi θ v. ν habet.

Qui vero Verborum, qua eorum attributa, concentus ut melius noscatur, exempli loco proponatur:

Hebr. קרא קראת קראתי
ex — קרא־את קרא־אני
(Pron. הו tertiæ personæ implicito).

Græc. καλημι, καλης, καλησι
ex καλε_ειμι, καλε_ης, καλε_εσι.
(Hebr. ת 2 p. in ς, & הו in ι mutato).

Et vim Præteriti obtinet, ut Futurum præposito היה Hebraice, sic Præsens præposito ε (ex היה) Græce. E. g.

Hebr. וַיִּקְרָא ex וְהָיָה־יִקְרָא
Græc. εκαλη ex ε_καλη.

Sic

Sic etiam pasfive, addito ſuo charaƈtere, ut ſupra expoſitum eſt.

Perſonas, quæ Numeri Pluralis ſuperſunt, & alia, quæ ſententiam noſtram amplius firmarent & illuſtrarent, longius perſequi utcumque tanti ratio negotii jubet, tamen quæ noſtri eſt otii prohibet.

XVI. DE VERBIS NUDIS ET AUCTIS GRÆCORUM.

De Verbis Græcorum ſubtiliusne quam vere ſcriptum fuerit, haud nihil ambigam. Ita res traƈtata fuit, quaſi abdita & abſtruſa eſſet. Tamen ea in medio poſita. Neque enim Philoſophi auctores loquendi fuerunt. Vulgi literarum rudis hoc opus. Quod itaque noſcere, ſtudii magis, quam ingenii, negotium fuerit. Atque exinde, cum ego mei etiam animi formam reddere deberem, mihi talem ſcribendi materiam convenire judicavi. Com-

Communis fuit opinio, linguam Græcam a ſe natam eſſe. Quæ autem ſefellit. Nam Hebræam ſui parentem hæc habuit. Ipſa vero (tanta fuit indoles) nobilitata. Neque enim defuerunt ingenia, quæ rigorem aviti oris mollirent. Et tali modo Græca dicendi conſvetudo discors Hebrææ facta eſt. Tamen, utcumque numeri modique inflexi fuerunt, antiquus tenor ſuperſtes. Et ille ſimplex, atque talis, qualem ipſa natura eſſe voluit. Quo autem non cognito, nec, qui inde per artem compoſitus fuit concentus, facile is explicabitur.

Verba Græca, ut Hebræa, vel nuda vel aucta ſunt. Nuda vero, quæ ſolas literas habent radicales, pauca. Et pauciora, quæ integra, e. g. *γλαφω* גלף, *γινομαι* כון, *καιω* כוה, *καρφω* קרף, *ξυρεω* גזר. Nam pleraque, ne quid dictu vel auditu grave occurreret, acciſa aut mutata. Et id factum.

Vel aphæreſi, e. g. *αυγη* נגה, *λαλεω* מלל, *ριζοω* שרש, *σαττω* (pro *σαγω*) Ar. ושק.

Vel ſyncope, e. g. *εταζω* דרש, *κολυω* Ch. גרם v. גזם, *κυρεω* גבר, *νηφω* Syr. נכף, *οιχομαι* ילך.

Vel

Vel apocope, e. g. ημυω מוט, θερω Ch. טרם, λαμπω לפר (media radicali per μ, ex more Chald., aucta), μυθεω משל.

Vel metathesi, e. g. ασχαλλω כשל, θαλπω לטף, λεγω קול, νηςευω צום.

Vel antithesi, e. g. δινεω דור, θεωρεω שור, βασιλευω משל, βλεπω Ar. ולף, κυλιω גול, καλεω קרא, κτεινω קטל.

Vicissitudini autem non aliæ magis, quam Gutturales obnoxiæ fuerunt. Nam pronuntiatu hæ difficillimæ. Et iis etiam impares demum facti sunt Galilæi & Samaritani. Quibus adeo cur nec Græci suffecerint, facile intelligitur. Et quas itaque vel transire, vel tanquam vocales proferre, perinde his quam illis licuit. E. g. λυω חל, πειρω עבר, ρεπω Ar. חרף, γελαω גלע, ειδω ידע, αγχω חנק, αδεω חדה, ορω עור. Quarum tamen loco consonantes, sono ipsis proximæ, interdum positæ fuerunt. E. g. αγαπαω אהב, κερχομαι חרק, καλυπτω עלף: quemadmodum LXX interpretes עמורה Γομοῤῥα expresserunt.

Aucta viciſſim, quæ unam alteramve literam vel radicalium repetitam, vel ceterarum his adjectam habent, plurima. Et hæc, Hebræorum in modum, amplificata:

Vel proſtheſi, e. g. αειδω הורה, αειρω העיר, απαταω הפתה.

Vel anadiploſi, e. g. αλλομαι Ch. חלחל, καυχαομαι גבה, γαργειρω גלגל, μερμεριζω Ch. מרמר.

Vel diplaſiasmo, e. g. θαλλω טלה, τελλω Ch. טלע, ϛελλω שלח, σφαλλω סלה, νεμεσαω נסס (media radicali σ, more Chaldaiſmi, per μ geminata, ut etiam in ιαμβιζω יבב, & ρεμβω רבב).

Vel paragoge literæ, ſive ν, e. g. βαινω בוא, ζευγνυμι זוג, ομνυμι Ch. ימא, ut Hebr. רענן, שאנן; ſive τ vel θ, e. g. ακολουθεω אחר, θρυπτω טרף, κλεπτω גנב, κοπτω Ch. קפח, οπταω אפה, οχθεω עוק, τυπτω Ch. טף, ut Chaldaice (præpoſita autem literâ ש, τ v. θ cognata) שעבר ex עבר, שחלף ex חלף.

Propria

Propria autem Græcismo sunt; quæ aucta per ζ, ex ζα particula intensiva, & ducta ab Hebr. Pronomine זה, rem vel personam demonstrante vel intendente. E. g. ὀρίζω הור.

Aucta sic Verba in Præsenti & Imperfecto, non autem, & id quidem euphoniæ causa, in cæteris Temporibus. Male enim sonarent τυπτσω, ετυπτσα, τετυπτφα. Quod idem de βαινσω &c., & ὀρίζσω &c. valet. Sic etiam hæ literæ ν & ζ, ubi radicales fuerint, ob eandem causam abjectæ, e. g. κτεινω (קטר) εκτακα, φραζω (פרש) πεφρακα. Et pari modo nec Verba in Mi nisi in Præsenti & Imperfecto reduplicata fuerunt. Cetera enim Tempora aucta: vocali sua ultima radicali producta. E. g. δωσω pro διδοσω (ex ידה). Quæ vero vocalis passive brevis retenta est. E. g. δοθησομαι, εδοθην, δεδομαι. Etenim nimis ut longum διδοθησομαι, sic pingue δωθησομαι sonaret. Tamen poëtice διδωσω, διδρασω metri causa dictum est.

Ad vocales Verborum quod demum attinet, penultima Græce, ut Aramæe, plerumque periit,

e. g. κτειν-ω קְטֹל. Abjectæ tamen ultimæ etiam exempla suppetunt, e. g. καρφ-ω קָרַף: quemadmodum servatæ utriusque, quod autem rarius, nec desunt, e. g. καλυπτ-ω עָלַף.

Verborum Græcorum hic vultus, rugosus aut fucatus. Qui itaque male ex sua specie æstimatur. Compositus ille, &, tanquam qui suæ gentis fuit, fallax. Et ambigam, difficiliusne sit, investigare, quid priscæ dignitatis detractum, quam distingvere, quid novæ venustatis adjectum fuerit. Multos itaque, qui illitus est color, elusit. Et vereor, ne in eorum numero Cl. Trendelenburg collocandus sit. Qui, auctore suo ingenio, Verba Græca sic exposuit, ut eorum nec materiam, quæ rudis, nec formam, quæ elaborata, distingvere liceat. Mista sui elementa & lineamenta. Et quot palmites, tot radices. Qua autem in silva, opaca & sarmentosa, errare facile fuerit. Nos vicissim, & quidem duce Hebraismo, pateface e viam, quæ saxa non habeat, sine gratia & ambitione voluimus. Et aut fallimur, aut Verbi Græci conjugandi, id est, radicis suæ cum Pronomine Personali conjungendæ una & vera hæc ratio est; Ver-

Verbum in Mi

	Nudum		Auctum	
	Act.	Pass.	Act.	Pass.
Ind. Præs.	δωμι (obs.)	δομαι (obs.)	διδωμι	διδομαι
Impf.	εδων	εδομην	εδιδων	εδιδομην
Imp. Pr. & Imp.	δος (pro δοθι)	δοσο (Att. δου)	διδοθι	διδοσο
Opt. Pr. & Imp.	δοιην (Att. δωην)	δοιμην	διδοιην	διδοιμην
Subj. Pr. & Imp.	δω	δωμαι	διδω	διδωμαι
Inf. Pr. & Imp.	δουναι	δοσθαι	διδουναι	διδοσθαι
Part. Pr. & Imp.	δους	δομενος	διδους	διδομενος

Cætera Tempora cum Verbo in O communia habet.

Verbum in O

	Nudum		Auctum	
	Act.	Pass.	Act.	Pass.
Pr.	τυπω,	τυπομαι	τυπτω	τυπτομαι
Imp.	ετυπον,	ετυπομην	ετυπτον,	ετυπτομην
P.	τετυφα,	τετυμμαι (pro τετυπφα, τετυπμαι)		
	Att. ετετυπα,			
Pl.	ετετυφειν,	ετετυμμην (pro ετετυπφειν, ετετυπμην)		
	ant. ετετυπειν			
Aor.	ετυπσα,	ετυφθην		

F,

F. τυπσω / Att. τυπῶ { ex Præſ. τυπσομαι, Att. τυπȣ̃μαι
ex Aor. τυφθησομαι,
ex Perf. τετυπσομαι

Aoriſtus mediæ & formæ & notionis ετυπσαμην. Sed ετυπην, τυπησομαι habent formam Verbi in Mi.

XVII. DE ORIGINE LITERARUM GRÆCARUM.

Græcarum literarum qui numerum, veterem, præſentem inierit, imparem cognoſcet. Et ratio in aperto. Illuſtre quidem gentis ingenium: quo autem modo in alia quavis arte, ſic & in ea, quæ titulum ſcribendi præfert, nonniſi paullatim id enituit. Sed per gradus ad faſtigium perventum eſt. Ita initio non plures quam ſexdecim literas habuiſſe Græcos, memoria eſt. Et hæ fuerunt: Α, Β, Γ, Δ, Ε, Ι, Κ, Λ, Μ, Ν, Ο, Π, Ρ, Σ, Τ, Υ. Quas ſi per Cadmum, genere Cananæum, multo tempore ante Trojam captam Græcos accepiſſe dixeris, nihil ſane a teſtimoniis clariſſimorum viro-

virorum, Plinii, Dionysii & Plutarchi discedes. Reliquae octo, quae Alphabetum Graecorum jam conficiunt, deinceps additae sunt, & quidem, ut etiam fama est, Trajani spatio belli a Simonide & Palamede. Atque omnes Hebraeae stirpis. Scilicet ut ex Graecia in Latium, sic ex Phoenicia in Graeciam ars scribendi illata dicitur. Quae vero si origini suae dissimilis cognita fuerit, haec dissimilitudo tribuenda est partim diuturnitati temporis, qua nihil non mutatur, partim ingenio utriusque gentis, quarum alteri a dextra ad sinistram, alteri a sinistra ad dextram scribere placuit. Tamen minor ea videbitur, instituta comparatione Alphabeti, quod suum cuique genti fuit, inde Hebraici aut (quod antiquius) Samaritani, hinc Graeci, vetustis in monumentis obvii. Cadmeas vero literas Hebraicae esse originis fidem facit, quae convenientia non solum nominis & formae, sed etiam loci est. Utrimque idem ordo. Neque hic perturbatus fuit, nisi positu Ypsilon literae, quae, quomodo Hebr. Vau, unde sumta fuit, non intermedia literarum, sed extrema Cadmearum conspicitur; ita ut ambigam, an Cadmea haec dicenda sit. Cadmea ex contrario, & quidem Hebraicae Het respon-

fpondens, Eta videtur; quippe quæ ei ut appellatione, fic etiam ferie (nam inter ε & ι quomodo ח inter ה & י pofita eft) congruit. Neque fpecies H repugnat. Qui etiam character in vetuftis Græcorum monumentis vim fpiritus H habuit. Decurfu vero temporis fuit diffectus, & ita quidem, ut ⊢ denfiorem fonum, ⊣ tenuiorem notaret. Atque inde duplici Græcorum fpiritui, Afpero & Leni initia. Sic primum fcribebatur HKATON, deinde ⊢KATON & tandem ἑκατον. Rediit vero prifca ejus forma, auctore Simonide: qui tamen non fpiritus H valorem, fed vocalis ι vel ε longi poteftatem ei addidit. His de Cadmi literis in commune difputatis, jam fingulas perfequemur.

Literæ Cadmi.

A Alpha, Hebr. א, imago 1:o corniferi bovis, 2:o fui nominis אלף Aleph, 3:o primæ nominis literæ A longi, brevis.

B Beta, Sam. ᗺ, forma 1:o tecti orientalis, non faftigio acclivis, fed plani cum cancellis, 2:o fui nominis בית Bet, 3:o primæ fui nominis literæ B,

B, & quidem soni Latini, teste Cicerone, qui *βιτα* bini scripsit, tamen mollis & ad v consonum accedentis. Quæ itaque litera recentius a Græcis, sicut B Latinum ab Italis, instar v consonantis, pronuntiari cœpta est.

Γ Gamma, Hebr. ג, effigies 1:o gibbi cameli, 2:o sui nominis גמל Gimel, 3:o primæ sui nominis literæ G.

Δ Delta, Sam. 4, species 1:o januæ tentorii, 2:o sui nominis דלת Dalet, 3:o primæ sui nominis literæ D, blæsi vero, & ذ Arabicum vel th Anglicum in that sono referentis.

E Epsilon, Phoen. E in Palæst. nummis, imago 1:o spiraculi, quasi fenestrati, inde هوي spiravit, 2:o sui nominis, Hebraici היא He, Græci vero, sublata aspiratione, E brevis, ideoque ψιλον, Nudum, Tenue vocati.

H Eta, Sam. 日, character 1:o clavæ aut mallei, unde חתת contudit, contrivit, 2:o sui nominis חת Het, 3:o primæ sui nominis literæ H, in speciem spiritus asperi (c), ut supra dictum est, græce tandem conformatæ.

I Jota, Hebr. י, effigies 1:o manus digitalis, 2:o sui nominis יד Jod, 3:o primæ sui nominis literæ I.

K Kappa, Sam. , nota 1:o volæ incurvæ & digitalis, 2:o sui nominis כף kaph, 3:o primæ sui nominis literæ K.

Λ Lamda, Hebr. ל, simulacrum 1:o stimuli boum, 2:o sui nominis למד, in Cod. Hebr. מלמד, 3:o primæ sui nominis literæ L.

M My, Sam. , effigies 1:o aquæ, ad auram fluctuantis, 2:o sui nominis מים Mim contracte pro Maim, 3:o primæ sui nominis literæ M.

N Ny, Phoen. in Palæst. numminis , character 1:o piscis, 2:o sui nominis נון Nun, Syriace ܢܘܢܐ Nuno, 3:o primæ sui nominis literæ N.

O Omicron, Phoen. in Palæst, numminis O, figura 1:o oculi vel fontis, 2:o sui nominis עין Ain, 3:o primæ sui nominis literæ, apud Hebræos A gutturalis, apud Græcos O brevis, ideoque μικρον Parvum appellatæ.

Π Pi, Hebr. פ, ſpecies 1:o oris, 2:o ſui nominis פה Peh, Chaldaice pronuntiati, 3:o primæ ſui nominis literæ P.

P Ro, Sam. ᑫ, forma 1:o capitis, trunco inſidentis, 2:o ſui nominis ריש Reſch, Syriace ܪܫ, Riſcho, 3:o primæ ſui nominis literæ R.

Σ Sigma, Sam. ᖰ, Syr. ܣ figura 1:o ſedis, 2:o ſui nominis סמך, unde סמך inſedit, 3:o primæ ſui nominis literæ S ſibili, & viperini a Græcis vocati ſoni.

T Tau, Phœn. † in Palæſt. nummis, ſignum 1:o crucis, 2:o ſui nominis תו Tau, 3:o primæ ſui nominis literæ T.

Υ Ypſilon, Phoen. Ɣ in Malt. inſcriptionibus, figura 1:o unci vel paxilli, 2:o ſui nominis וו Vau, 3:o primæ ſui nominis literæ V, apud Hebræos & conſonæ & vocalis, apud Græcos ſemper vocalis, inſtar ü Germanorum ſonantis.

Literæ Simonidis & Palamedis.

Tres earum ſpecies, quarum rationem accipe:

In Cadmi Alphabeto vocales α, ε, ι, ο, υ, ancipites erant. Itaque η pro gemino ε five e longo, & ω pro gemino o five o longo addita eft. Quidni adhibitæ etiam figuræ, quæ α, ι, υ longas fignificarent? Caufa fuit, ex mente Prifciani, quod folæ ε & ο tunc temporis in quibusdam vocibus producte, in quibusdam breviter proferebantur. At α, ι, υ in quibusvis dictionibus promifcue ancipites fuerunt, e. g. Hom II. αρες αρες βροτολοιγε. Apud Hebræos vero cum nullæ fint vocales ancipites, aut quæ in aliis vocibus non producantur, in aliis non corripiantur, illis fignificandis decem notæ, non fono fed quantitate diverfæ, adjectæ fuerunt.

Et comperto, Sigma in eadem fyllaba conjunctum cum quibusdam literis haud raro occurrere, compendia funt inventa, quibus geminæ literæ uno ductu fcriberentur, fcil. Z, Ξ, Ψ, quæ literæ exinde Duplices dictæ.

Atque obfervato demum tribus literis Π, K, T fpiritum Afperum (ʽ) fæpe interponi, tres etiam charactere, quibus illæ diftinguerentur, reperti funt, fcil. φ, X, Θ, quæ literæ ideo Afpiratæ vocatæ. Vo-

Vocales longæ η, ω.

H Eta, quæ litera in Cadmi Alphabeto, ut supra significatum est, primum integra spiritum Græcorum H, deinde dissecta illum Asperum & Lenem valuit, pro gemino ε, e longo usurpari demum cœpta, locum inter Græcorum literas ut vocalis, non ut consonans, obtinuit. Quæ vero vocalium Zere & Chirek longi apud Hebræos, eadem vocalium Eta & Jota apud Græcos erat affinitas, ut facile inter se permutatæ fuerint. Idem valet de e & i Suecano: quarum vocalium ubi altera e pronuntiata fuerit, alterius i voce personant aures eorum, qui (e. g. Itali) illud e non habent. Sic etiam apud Græcos, teste Platone in Cratylo, pro ι, qua vocali usi sunt veteres, sua ætate η vel e longum in usum venit. Atque inde a Latinis i plurimis vocibus per e translata est, e. g. Δεμοςενης Demosthenes, κρατηρ crater. Prisca vero ejus pronuntiatio paullatim rediit, & quidem mature. Nam in N. T. Quirinus κυρηνιος, & in antiquissima versione tam Lxxvirali V. T. סירון Σηων, quam Syriaca N. T. διαθηκη diathiki exprimitur, alia ut infinita

auctorum exempla taceam. Quæstioni itaque, quis sonus fuerit vocalis η, respondetur: Ante & Post-Platonicus fuit i longi, Platonicus vero e longi, Zere Hebraici vel e Svecani. Quæ utraque pronuntiatio parum dissona, pro suo quæque tempore & legentis lubitu recta erit.

Ω, Omega, Hebr. Cholem, o longum, & quasi ex duplici o conflatum, ideoque μεγα Magnum appellatum, ut ab Omicron, o brevi distingueretur.

Literæ Duplices.

Z Zeta, Heb. צ, effigies 1:o instrumenti venatorii, 2:o sui nominis צאדי, unde צוד venatus est, 3:o primæ sui nominis literæ Ds, non Sd; etsi Dorice dicitur σδριτδω pro συριζω, quod per metathesin literarum, me judice, factum est. Etenim primum debet esse eadem literarum duplicium analogia. Ceteræ vero non valent σπ, σκ, sed πσ, κσ. Deinde duarum consonantium, in themate occurrentium, prior est illius characteristica, quæ in Præterito Medio & Aoristo 11 servatur. Sic εφραδον, πεφραδα ostendunt, thema φραζω valere φραδσω, non φρασδω.

Ξ Xi, Hebr. ז, figura 1:o apicis, 2:o sui nominis Chaldaice זין Zain, 3:o primæ sui nominis literæ X, Græce prægnantis, & κσ, γσ, χσ valentis, teste obliquorum casuum analogia, e. g. φοινικος, αρπαγος, θριχος ex φοινιξ, αρπαξ, θριξ.

Ψ Psi, Phoen.  in Palaest. nummis, imago 1:o dentis, 2:o sui nominis שן Schen vel Schin 3:o primæ sui nominis literæ, Sch apud Hebræos, Ps vel Bs apud Græcos, qui sonum Sch loquendo assequi nequeunt.

Literæ Aspiratæ.

Θ Theta, Hebr. ט, species 1:o serpentis, 2:o sui nominis טית Thet contracte pro Arabico طيط Thait, quomodo בית Bet pro בַּיִת Bait domus, 3:o primæ sui nominis literæ Th, Græce ut th in Anglico think sonantis.

Φ Phi, figura incertæ originis, forte Hebraicæ ף seu potius Zendicæ , cui etiam Runica inversa  F originem debere videtur.

X Chi, Hebr. P, Sam. , forma 1:o capitis foraminisque acus, 2:o sui nominis קוף, Chal-

Chaldaice קופא kufa, 3:o primæ ſui nominis literæ K vel potius Kh, apud Hebræos dure & quaſi gh, quomodo apud Arabes Beduinos, apud Græcos vero leniter & cum aſpiratione, ut ch apud Germanos, ſonantis.

XVIII. DE IDEALI VETERUM GRÆCORUM IN ARTIBUS INGENUIS PULCHRITUDINE.

Quel charme pour l'imagination, quand elle se transporte dans ce païs des arts & de l'esprit!

Le Comte de CAYLUS.

§. I.

Tribuendum eſſe imaginationi præcipuum humanæ præſtantiæ & felicitatis titulum, obſervarunt Philoſophi, experiuntur omnes. Brevis eſt

vo-

voluptas, quæ ſenſu percipitur: jucundior autem & diuturnior, quæ imaginationi debetur. Hæc enim ſemper nobiscum eſt, peregrinatur, ruſticatur; omnes res, præſentes & abſentes, complectitur, præteritas recordatione revocans, futuras ſpe antevertens. Sed ut genus humanum, nōn data hac animi facultate, fere infra ſortem rerum inanimantium deprimeretur, ita, illa accepta, ſupra faſtigium animantium adſcendit, ſublimia petit ſuumque ingenium non conſæpto fori aut curiæ parietibus clauditur, ſed ipſius rerum fingendi vis in ceteris rebus latiſſime, tum in diſciplinis & artibus maxime patet. Cœleſti hujus vi & numine, quidquid in verbis & ſententiis magnificum, vel in picturis & figuris venuſtum eſt, in admirationem, amorem & imitationem inchoatum eſt & perfectum.

Ut autem homines ad præſtantiſſima ingenii & artis opera, quibus nihil vel cogitatione grandius vel conſpectu pulchrius eſſet, pervenirent, diverſam viam & rationem ingreſſi ſunt. Alii naturam, veram & integram, caſtam & ſacram, qua nihil vel materia uberius, vel ſpecie formoſius eſt, in mentis imaginibus orisque lineamentis probe effingendis, ſolum ſibi exemplum intuendum

dum & imitandum propoſuerunt. Alii pulchritudinis quam ſimilitudinis amantiores, quum gignendi alendique poteſtatem cum natura communem non haberent, fingendi pingendique arte eam ſuperare voluerunt, rebusque novas ſpecies ex ingenio addere ſtuduerunt. De hoc ambitioſo & audaci, non de illo timido & fideli artis ſtudio nobis ſermo erit, cum in Idealis pulchritudinis characteribus noſtra qualiscunque opera verſabitur.

§. II.

Quidquid non ad ſimplicis naturæ imitamentum, ſed ad ſpecioſæ phantaſiæ exemplum effictum fuerit, id ad Ideale factum vocant ingenuarum artium præceptores. Ex quo Ideale formam rei, vi imaginationis compoſitam & ingenio auctoris expreſſam, definire licet a). Si autem magni eſt

a) De significatu hujus vocis, nostro primum sæculo in ingenuarum artium Theoria receptæ vid. SULZER Allgemeine Theorie der schönen Künste, vocab. Ideal. — Ipsam autem Idealis Artificii notionem optimam habuisse veteres, vel ex hoc CICERONIS effato

eſt ingenii, formas rerum, ſenſu & mente perceptarum, in novas & plurimas ſpecies, quæ a natura diverſæ ſunt, ſeparando conjungendoque apte componere; majoris erit, illas in ejusmodi imagines, quæ ipſam naturam gratia & nitore ſuperent, meditando cogitandoque effingere. Idealis itaque pulchritudinis argumentum ex hoc petatur pretio, quod ei a peritis æſtimatoribus ſtatuitur. Profecto quantum laudis ille meretur, qui ſimilitudinem obviæ & pulcherrimæ naturæ ex vero effingere valet, tantum admirationis habet ille, qui novi quaſi orbis conditor, abſtruſa illius & ignota oculis mortalium cernenda exponere poterit. Ex quo ingenium illius humanum eſſe, hujus divinum facile quis dixerit. Ne autem diffiteri videamur, naturam primum eſſe, ampliſſimum & ſanctiſſimum imitandi exemplum, ita ut quo propius quis ad

 eam

collegimus: Nec vero ille Artifex (Phidias), dum faceret Jovis formam aut Minervæ, contemplabatur aliquem, e quo similitudinem duceret: sed ipsius in mente insidebat species pulchritudinis eximia quædam, quam intuens & in ea defixus ad illius similitudinem artem & manum dirigebat. Orat. Cap. 2.

eam accesserit, eo perfectior illius futura sit imago b); paucis dicere juvat, qua ratione ideali pulchritudini tantum honoris & præstantiæ tribuatur. Arctissimus rerum nexus, quo omnes earum partes, suo quæque modo, aliæ ad robur & compagem, aliæ ad speciem & honestatem totius efficiendam consentiunt & concurruut, impedimento est, quominus singulæ suum locum & munus deferere, & aliena & pulcherrima sequi possint. Quæ autem venia datur artifici c). Hic enim ingenio

---

b) Le genie est comme la terre, qui ne produit rien, dont elle n'en ait reçu la semence. Et cette comparaison, bien loin d'appauvrir les Artistes, ne sert qu'à leur faire connoitre la source & l'etendue de leurs veritables richesses, qui par-là sont immenses; puisque toutes les connoissances, que l'esprit peut aquerir dans la nature, devenant le germe de ses productions dans les Arts, le genie n'a d'autres bornes, du coté de son objet, que celles de l'univers. BATTEUX, Cours de Belles Lettres Tom. 1. p. 10.

c) Er (der Künstler) wird also den Idealischen Schönheiten näher kommen können, als die Natur in diesem oder jenem Theile gekommen ist, weil ihn keine höhere Absichten zu

genio erectus & arbitrio liber, spatia mundi, cœli templum & terræ domicilium sine obstaculo percurrit, omnia videt, singula probat, & optima ex plurimis, velut apes ex floribus, colligit, ita ut, si exempli loco statuam ponere velit, eam pulcherrima specie & ex optima materia, unius sanguine & viribus, alterius ore & habitu, tertii gratia & venustate componere & effingere possit. Nulla vena argentum aurumve purum gignit. Qui hæc pretia rerum & metalla alienis, quibus mixta sunt, particulis per artem liberat, opus naturæ non corrigit, sed selectis, quæ in amore habet, cetera relinquit. Idem de artifice valeat judicium: cujus vel præstantissima opera, si per-fec-

Abweichungen veranlassen. Was sie in verschiedenen Gegenständen zerstreuet hat, versammelt er in einem einzigen Gesichtspunkte, bildet sich ein ganzes daraus und bemühet sich es so vorzustellen, wie es die Natur vorgestellt haben würde, wenn die Shönheit dieses begränzten Gegenstandes ihre einzige Absicht gewäsen wäre. MOSES MENDELSSOHN, über die Hauptgrundsäze der schönen Künste und Wissenschaften; in suis Philosophische Schriften, 2 Th. p. 115.

fectio spectetur, minus dignitatis, sin finis, plus venustatis, quam natura, habent. Ceterum innumeri sunt casus, loci vel temporis, qui efficiunt, ut natura, in formando tuendoque suo opere, omnem gratiam, quæ mente humana fingi possit, consequi nequeat d). Sic nemo mortalium tam fautrici natura vel fortuna usus est, quin statura illius, forma vel species, per multiplices rerum humanarum casus, cœli solique mutationes vel animi corporisque infirmitates aliquo vitii contactu non læsa fuerit. Si itaque in simplici genere nihil concordia & specie partium plane perfectum reperitur, ille, qui opus, quod omnes omnium venustates habeat, formare velit, animum ad universi contemplationem, judicium ad optimi delectum, & operam ad pulcherrimi effigiem conferre debet. Hæc cura, hic labor fuit illius, qui ima-

d) Vid. MENGS Gedanken über die Schönheit p. 12. — En myra förvillar växten af ett masttiäd: ett Climat stadnade naturens färdiggörelse, vekliga lefnaden förtog Skönhet, brist på lycka gjorde spelöjet och den låga åthäfvan. EHRENSVERD, Fria Konsters Philosophie, p. 11.

imaginem pulcherrimæ mulieris expressurus, plurium venustates virginum conquisivit, & ex iis unam excellentem conformavit e).

Sed Ideale compositum quoque erit, non modo quidquid figuram corporis, sed etiam formam mentis marmore vel ære effictam exhibebit; ita ut æque unius atque alterius bona vel mala, vitia vel virtutes oculis cernere possimus. Hi characteres ex multorum vultu habituque, vita & moribus quæsiti, & colorum varietate & magnificentia expressi, qui picturam multo sublimiorem effi-

e) Zeuxes Helenæ simulacrum Crotoniatis picturus, quinque formosissimas virgines elegisse traditur, quarum præstantissimis cujusque gratiis in unum coactis, excellentem muliebris formæ pulchritudinem muta in se imago continuit. — Neque enim putavit, omnia, quæ quæreret ad venustatem, uno in corpore se reperire posse, ideo quod nihil simplici in genere omnibus ex partibus perfectum natura expolivit. Itaque tamquam ceteris non sit habitura, quid largiatur, si uni cuncta concesserit, aliud alii commodi, aliquo adjuncto incommodo, muneratur. CICERO de Inventione Cap 2.

efficiunt, veritatis non quidem faciem, tamen imaginem præ se ferunt f). Et ne quidem male. Nam ut verum Philosopho & Historico supre- ma lex est, ita Poëtæ & Artifici verisimile. Ut illi, quod simplex & sincerum est, ita hi, quod speciosum & formosum, ex natura petunt: quod si fingendo majus & melius effecerint, non ideo naturæ repugnasse, sed eam superasse existimentur. Nihil enim tam pulchrum & jucundum est, nihil tam deforme & horrendum, cui vis imaginandi plus aut gratiæ aut fœditatis addere non possit. Hujus itaque ope efficitur id, quod liberarum ar- tium

f) Quand Moliere voulut peindre la Misanthropie, il ne chercha point dans Paris un roiginal, dont sa piece fut un copie exacte; il n'ent fait qu'une histoire, qu'un portrait il n'eut instruit qu'a demi. Mais il receuillit tous les traits d'humeur noire, il y ajouta tout ce que l'effort de son genie put lui fournir dans le meme genre, & de tous ces traits rapprochés & assortis, il en ngura un caractere unique, qui ne fut pas la representation du vrai, mais celle du vraisemblable. BATTEUX Op. & Tom. cit. p. 20.

tium Magistri **mirabile** g) vocant, quod conditionem humanæ vitæ & legem universæ naturæ superare visum, animum vehementius, quam simplex rerum ordo, afficit & delectat. Semper cupit mens aliquid agere & moliri; & licet ratio præesse debeat, tamen affectibus velut rapido flumini obsequitur: qui perturbant, prævalent, imperant, persuadent. Sine his cetera sunt nuda, jejuna & infirma, & quo longiora a spiritu, eo propiora tædio. Et hæc est caussa, cur theatra plus delectent, quam bibliothecæ, plus habitus histrionum gestusque, quam communes rerum gestarum eventus, plus decoræ fabulæ, quam incorruptæ historiæ. Quæ enim finguntur mirabilia, in quamcunque partem fiat, animo vim afferunt; & quamquam veri solam adesse speciem bene compertum sit, suavis tamen fallacia placet.

§. III.

Ex hac, quam adumbravimus, idealis pulchritudinis imagine satis intelligitur, eam non in arti-

---

g) le Merveilleux. Vid. MARMONTEL; Poëtique Françoise Tom. 1. Chap. X, de la vraisemblance & du merveilleux dans la fiction.

artibus modo liberalibus, ſed in diſciplinis etiam elegantioribus locum obtinere poſſe: quæ hoc commune habent, ut vim ſentiendi cogitandique graviter & jucunde movere debeant. Nobis non de his, ſed illis, & quidem præcipue ſtatuaria arte & pictura, diſſerere animus eſt h). Ut autem Græci in ceteris, ita & in his ſtudiis ad famam ſui ingenii & admirationem generis humani excelluerunt. Sed nihil opere aut ingenio factum eſt, quod non vel vetuſtas conficere, vel invidia carpere, vel barbaries demoliri poſſit. Sic etiam ſtatuæ Græcorum & imagines æque fere mortales & imbecillæ fuerunt, atque ipſa hominum ora, quorum ſimulacra exhibuerunt. Tamen paucæ illæ, quæ ſuperſunt i), eam Auctoris artem quæ-
que

h) Darum schickt es (das Ideal) sich in den zeichnenden Künsten vornehmlich zu den Statuen, und zu den Gemählden, die wir Bilder nennen; weil es dabey nicht darum zu thun ist, wie die abgebildete Personen ausgesehen haben, sondern zu empfinden, was für ein Caracter sie gehabt haben. SULZER, loc. cit.

i) Nous pouvons bien comparer la Sculpture antique avec la notre; parce que nous som-

que & speciem produnt, ut, quamvis læsæ & fractæ, summam sui admirationem vel præstantissimis posteri ævi ingeniis fecerint. Si Artifex Artificis operæ & famæ detrahere solet, eo pluris facienda sunt MICHAëLIS ANGELI, BERNINII aliorumque summorum Artificum judicia, quibus suæ artis vel optima documenta, antiquis comparata, ne mediocria quidem visa sunt k). Ipsique Romani, qui sæculo AUGUSTI optimarum artium laude maxime florebant, Græcis sculpendi pingendique elegantiam, sibi imperandi scientiam vindicarunt:

"Excudent alii spirantia mollius æra;
"Credo equidem vivos ducent de marmore vultus.

 "Tu

mes certains d'avoir encore aujourd'hui les Chefs d'oeuvres de la seulpture Greque, c'est à dire, ce qui s'est fait le plus beau dans l'antiquité. DU BOS, Reflexions Critiques sur la poësie & sur la peinture. Tom. 1, p. 354.

k) Vid. JOH. BEN. CARPZOVII Epistola votiva ad Danielem Hacks de antiquæ & recentioris doctrinæ comparatione.

"Tu regere imperio populos, Romane, memento!
"Hæ tibi erunt artes" l).

Sed cum Græci in omni hoc ſcientiæ genere, tum vel maxime in ea ejus parte, quæ, nomine Statuariæ Æſtheticæ inſignis, non tam corporis figuram, quam ipſam mentis indolem & naturam oculis cernendam ſiſtit, excelluerunt. Quin hi homines, ut aliquid amplius & auguſtius rebus humanis explerent, Divinis intentionem fingendi adcommodarunt, & quidem ea ingenii felicitate, ut ipſa Numina majeſtate imitationis æquaſſe viderentur. In exprimendis animi affectibus eos miros fuiſſe artifices, documento fuit SILANIO, qui non hominem Apollodorum, ſed iracundiam ære finxit m). PHIDIAS id quod optimum & maximum Jovis Olympici in ſua ejus imagine ita expoſuit, ut illam nemo civium ſine ſacro ſui Numinis vel propitii honore vel irati horrore adire & intueri potuerit n). Sic etiam ut rebus efficiendis, quæ in hu-

l) VIRGILII Æneidos Lib. VI. v. 847.
m) PLINII Hist. Nat. Lib. XXXIV. C. 8.
n) Phidias Diis, quam hominibus efficiendis melior artifex traditur: in ebore vero longe citra æmulum, vel si nihil nisi Minervam A-

humano charactere eminebant, in animos civium sensusque eo magis influerent, in heroum & illustrium virorum statuis, non tam corporis dignitatem, quam animi magnitudinem ostendere studuerunt. Quæ autem in his operibus præstantissima idealis pulchritudinis exempla habeantur, infra dicetur.*

Quod ad picturam attinet, illius quoque apud Græcos cultæ & perfectæ adsunt gravissimi testes & maximi laudatores. Quia autem colores tempore & die facilius mutantur, quam marmora vi & ferro franguntur, vetusta hujus artis specimina inveniendi nihil vel pronum spei posteritati relictum est.

§. IV.

Magna autem est quæstio, cur Græci in hoc laudis genere omnia omnis temporis ingenia & studia præstiterint: cujus pondus excipere, nec meæ

---

thenis aut Olympium in Elide Jovem fecisset, cujus pulchritudo adjecisse aliquid etiam acceptæ religioni videtur: adeo majestas operis Deum æquavit. QUINTILIANI Instit. Orator. Lib. XII. Cap. 10.

meæ facultatis eſt, nec hujus voluminis. Tamen mei judicii periculum facere licebit: quod probatum vel excuſatum erit. Hiſtoria ingenii humani in hac cura, hac difficultate facem nobis præferet. Diverſa cœli ſolique temperies, major vel minor vis caloris & frigoris, montoſus vel campeſtris loci ſitus, & copioſior vel anguſtior agri ubertas, quod diſcriminis in herbis, idem in ingeniis gignendis & alendis efficere poterint o). Quæ autem cauſſæ cum ſingulæ multum per ſe valeant, & varia

o) Les differentes idées sont comme des plantes, & des fleurs, qui ne viennent pas egalement bien en toutes sortes de Climats. Peut-etre notre terroir de France n'est il pas propre pour les raisonnemens, que font les Egyptiens, non plus que pour leurs palmiers: & sans aller si loin, peut-etre que les orangers, qui ne viennent pas ici aussi facilement qu'en Italie, marquent-ils qu'on a en Italie un certain tour d'esprit, que l'on n'a pas tout-à-fait semblable en France. Il est toujours sûr, que par l'enchainement & la dependance reciproque, qui est entre toutes les parties du monde materiel, les differences de Climats, qui se font sentir dans les plantes, doivent s'etein-

ria populorum instituta, sacra & profana, propriam iis vim adjiciant, singulare quoddam existere debet, cum omnia coierint. Fidem faciunt clarissimi viri, qui itinera per Græciam susceperunt, animum nullo magis loco vel ad lætas cogitationes patescere, vel ad magnas inardescere. Montes, cœlo contigui & Divino quam humano cultui propiores, veteri & præalta nive obruti, vel lævi & tabida acie lubrici, animum spectatoris magna & sublimi imaginum vi & varietate percellunt, & supra fastigium humanum quasi pennis extollunt. Accedit, quod ex his jugis, continuis, intermissis, aquæ ruere potius quam defluere videntur, quæ miro alvei vel radiantis adspectu, vel præcipitantis strepitu, prætereuntem miraculo & cunctatione defixum tenent. Quo autem sublimius humana mens in his locis, eo hilarius in interceptis & effusis planitiebus versatur, quarum amœnitate & ubertate, velut flamma sarmentis, alitur & clarescit. Atque imaginationi tot tantisque rebus excitatæ vim & celeritatem addunt sævitur-

dre jusque aux cerveaux & y faire quelque effet. DE FONTENELLE, Digressions sur les Anciens, p. 72.

turbines, in his terris frequentes, qui quo magis anfractu & faucibus vallium pressi, eo infestius erumpunt, & terrorem incolis, naufragium nautis, ruinam tectis minitantur. Unde & tam stupendæ naturæ potius, quam humanæ arti, originem suam fictiones Poëtarum de Olympo, Jovis sede, de Pindo, Musarum palatio, de campis Elyseis, inferorum beatis locis, debere videntur p). Adhæc quæ incitamenta bene dicendi, eadem quoque fingendi esse solent. Magna est utriusque hujus artis similitudo. Ut orator formam mentis colore verborum & pondere sententiarum, ita sculptor figuram corporis conformatione membrorum & similitudine lineamentorum exprimit. Par in utroque honos ingenii & necessitas. Hinc utrique nascitur invidia, præcipuum magnæ virtutis & cogitationis incitamentum; ita ut, quantum honoris alter svavitate oris & vocis, tantum laudis alter gratia suæ artis consequi studeat. Sic si certum est, Oratoria Græcorum ingenia, per ambitum nobilium & populi invidiam inclaruisse, eo probabilius etiam vide-

p) Cfr. EDONIS NEUHUSII Theatrum ingenii humani, Lib. I. Cap. 18.

videbitur, statuaria eorum studia anxia talium æmulatione incaluisse. Profecto in quacunque civitate, ubi dicere, quæ velis, & agere, quæ sentias, licet, præclara omnis generis opera, ut optime æstimantur, ita facillime oriuntur. Fides est ex eventu. Nullo magis tempore Romæ & Athenis liberales & elegantes artes floruerunt, quam dum libertas & licentia omnia agebant & ferebant. Nec tamen hodiernis Græcis decora ingenia desunt q): res miranda, cum iis, ad servitutem natis & institutis, nullæ spes ad opes vel honores propositæ sint. Elinguis est curia, mutum rostrum, & solitudo in foro; ita ut suffragia populi, gratiam orbis & memoriam posteritatis facunde captandi & gloriose ineundi nullus sit locus, nulla venia. Pontifex in conscientiam, legatus in vitam, gubernator in bona sævit. Quamquam vero Barbarus fortunæ Græcorum, quæ vaga & inconstans est, tamen non eorum naturæ, quæ post fata libertatis in nepotibus superest, imperitat. Sacrilega manus simulacra quidem vultus & imagines virtutis, quæ mor-

q) Cfr. GUYS, Voyage Litteraire de la Grece &c. T. I. p. 94.

mortales fuerunt, non autem characterem gentis & formam mentis, quae aeterna est, violare & delere potuit. Certe qui nostris temporibus nomine & sanguine Graeci sunt, majorum similitudinem & dignitatem animo, sermone, habitu, superstitione & moribus referunt. Sic ex hodiernis & pressis de antiquis & liberis Graecorum ingeniis facile erit judicium. — Nec parum ad vim imaginationis regimenque affectuum profuisse putetur liber & temperatus coeli spiritus r). Ut Arabes, propter vehementiam caloris, immodico tumore turgescunt, figuris crebri magis & audaces, quam sententiis apti & jucundi s); ita Graecis, propter coeli temperiem, modus est & ratio, judicium & inventio, nitor & compositio. In dicendi fingendique arte & genere, magna,

r) Cfr. DU BOS Op. Cit. Tom. 2. p. 286.

s) Quare etiam Graecorum vel optima poëmata in linguam Arabicam translata, enervata prorsus debitisque ornamentis destituta huic populo videbantur.

Veteres Ægyptios etiam in operibus suis audacissimae phantasiae indulsisse, testes sunt stupenda illa artis molimina, quae edacitati temporis aeternam fere materiem praebuerunt:

magna, non nimia, plena, non tumida, fortia, non temeraria, læta, non luxuriosa, sublimia, non abrupta, proferunt, animosque naturali voluptate movent & ducunt. — Nec inconsulta fuerit hæc opinio, Græcos, utpote figura corporis commendabiles, vultu hilares, ore svaves, & gestu habituque decentes, pulcherrimas quoque mentis imagines in imitamentum artificis & stimulum provocasse & auxisse t). — Duo adhuc supersunt momenta, quæ vim imaginandi maxime inflammasse videntur. Licuit Artifici ludis gymnasticis audacisque lasciviæ spectaculis interesse: & pretium spectantis fuit phantasia habitu gestuque juvenum nude certantium excitata. Quin & aditus ei patuit ad templum Veneris aliorumque locorum limina, in quibus frequens mulierum turba, exuto omni muliebri ornatu, de præmio formæ certamen

Pyramides, Sphinx aliaque, de quibus vid. De l'origine des loix, des arts & des sciences & de leurs progrès chès les anciens peuples Tom. 2. p. 245.

t) Vid. LAVATER, Physiognomische Fragmente. 3 Band, 4 Fragment.

men inivit u). Hæc omnia, quæ phantasiam fortissime & varie affecerunt, animum tandem artificis, per pulchri cum pulchriori comparationem ad idealem pulcherrimi imaginem duxisse existimamus v).

Si vero rerum humanarum species, multo magis divinarum imagines animnm ad sublime, cœlum & sidera, sustulerunt. Superstitiosa Deorum opinio, quantum usui rationis absurda, tantum altitudini imaginationis apta fuit. Semper hæc venia imbecillitati humanæ data est, ut maxima minimis, divina humanis componat, nomina ac

---

u) Fuit insuper in Græcia, præcipue καλλαις ημων Αθηναις, ad institutum sapientis Solonis, mulierum multitudo, quæ venustatis suæ pretio neque Artificem prohibuerunt. Harum venustissima Lais honori sibi duxit, quasvis suas gratias Pictori effingendas sistere. (ATHENÆUS, Lib. XIII. cap. 3.) — Est quoque apud XENOPHONTEM, Theodotam, Alcibiadis amore celebrem, οσα καλως εχοι, Artifices non celasse.

v) Cfr. WIELAND, Gedanken über die Ideale der Alten, § V.

ac nötiones mortalium ad immortalium numina & auſpicia referat, & quidquid perfecti & excellentis animo capere poſſit, Divinæ naturæ ut ſummum & optimum tribuat. Sic ſimulacrum Jovis exemplar ſummæ majeſtatis, & ſtatua Veneris imago pulcherrimæ formæ fuit, ad ideale utraque conformata. Neque Poëta vel Artifex ſenſus hominum animosque movere poterit, niſi ſuas imagines ad humanam ſortem accommodaverit. Si HOMERUS voto CICERONIS: Humana ad Deos transtulit; Divina mallem ad nos, ſatisfeciſſet, Iliadis tabula ſublimis foret, ſed abesſent ſpectatores x). Polytheiſmi vero perſuaſio, ut Poëtarum, ita Artificis ingenio uberem & decoram fingendi materiam ſuppeditavit. Blandimenta quoque ambitioni genuit conſcientia, quod cives in ejus opere cœleſte Numen venerarentur: neque minorem ſtimulum addidit perſuaſio, tam pium erga Deos officium non ſine gratia, honore & præmio in præſenti & altera vita futurum fuiſſe.

§. V.

x) Nous ne nous attachons aux Etres surnaturels, que par les memes liens, qui les attachent à notre nature. MARMONTEL l. c.

§. V.

His de ideali pulchritudine, quam in veterum Græcorum ingeniis & ſtudiis miramur, generatim diſputatis, ſequitur, ut nonnulla & in illuſtri poſita ejus exempla, quæ dictis fidem & lucem faciant, in medium proferamus. PHIDIAS, Athenienſis & clariſſimus Artifex, qui Diis quam hominibus efficiendis melior viſus eſt, ſimulacrum Jovis Olympici fecit, quod ſupra omnem æmulantium invidiam evectum, ſui ſimile non habuit y). Auctoritas Dei altitonantis tam feliciter expreſſa erat, ut oculis ingredientium, peritorum, vulgi, miraculo & religioni fuerit. Ipſum enim Jovem, non ejus imaginem, manifeſtum quaſi & præſentem collocavit. Par materiæ erat nitor & formæ dignitas. Scilicet ex magnitudine cœleſti putavit Artifex, imaginem Jovis, in throno ſedentis, non minorem LX pedibus, quanta ſacrati Olympiæ domicilii altitudo erat, ebore nitidam & auro ſplen-

y) CICERO, Orat. cap. 2. PLINIUS, Lib. XXXIV. c. 8. QUINTILIANUS, l. c., LIVIUS, Lib. XLV, c. 20 aliique, ubi ſimulacri hujus mentio fit, communi omnes admirationi perlitant.

ſplendentem effingere, ut dicatæ Ædis faſtigium, quaſi cœli templum, ſublimi ſuo vertice contingere poſſet. Ab utroque autem latere ſtabant cetera Numina, humili poſitione & minori ſtatura, utraque in ſupremæ majeſtatis verecundiam expreſſa. Baſisque ſimulacri græcis ſignata erat litteris, quæ ſimili verborum pudore nomen Artificis dixerunt: φιδιας χαρμιδε υιος Αθηναιος μ' εποιησε z).

Hiſtoriam tanti auctoris operisque breviter tradere juvat. PHIDIAS ad ſuam artem Athenis, florentiſſima literis hominibusque urbe, natus, & ab optimis magiſtris, futuris mox diſcipulis, inſtitutus erat. Rudimentaque ingenii & operæ in amplitudine M i n e r v æ poſuit a), tam egregie, ut hoc factum haud dubium majoris & futuri omen acceptum fuerit. Sed quanto plus poſthæc ingenio & arte in ornanda urbe valuit, tanto plus favoris apud Principem, auctoritatis apud patres, & nominis apud cives conſecutus eſt. Ut autem umbra eſt corpo-

z) Cfr. GRONOVII Theſaurus Græcarum Antiquitatum, Volum. IV p. 59 lit. D.

a) Minervæ hujus deſcriptionem invenies apud PLINIUM, Hiſt. Nat. Lib. XXXVI C. 5.

poris, ita invidia, commune infirmitatis humanæ vitium, gloriæ comes eſt; cujus tamen prima & aperta molimina, diſcipulo Menone crimen furti ſtruente, ille eluſit. Hinc inimicis novæ & obſcuræ illius opprimendi artes natæ. Ut autem eo gravius periret, crimen majeſtatis ex ejus arte petebatur, & quidem ex duplici imagine, in ſcuto Minervæ, cœlato Amazonum prœlii opere, effigiata, altera militis, PERICLI ſimilis, altera ſenis, calvo capite juxta poſiti, lapidemque illi militi intentantis, nec PHIDIÆ diſſimilis. Quo etiam damnatus, primum in vincula ductus, & deinde in exſilium actus eſt. Elidem mox petiit, miraculo ſuæ artis & ſimulacro Jovis nobilitandam b). Locoque hoc ſecum cogitans, ſecum loquens, hominum inter ancipitia clareſcere, Divinam majeſtatem in humanam ſpeciem transfigurandi

b) Sunt, qui existiment, Phidiam divino hoc opere natalis urbis injurias ulcisci voluisse, Minervæ statuam, quam summum artis fastigium venditabant Athenienses, novi artificii lumine obscurando. Si ita sit, nescio, utrum injuria major, an vindicta hæc præclarior fuerit. — Vid. MILLOT, Elemens d'Histoire Generale Tom. 2. pag. 99.

di Jovisque imaginem faciendi consilium suscepit. Quæ autem magna sunt, forte casuque fieri solent. Sic accidit, ut cum in foro urbis ambulans, hos HOMERI versus

Η και κυανεησιν επ' οφρυσι νευσε Κρονιων
Αμβροσιαι δ' αρα χαιται επερρωσαντο ανακτος
Κρατος απ' αθανατοιο· μεγαν δ' ελελιξεν Ολυμπον c)

audiret, eorum sublimitate maxime commotus, speciem cœlestis Numinis mente conceperit: quam deinde supra fidem humanam opere imitatus est. Scilicet, cum in proposita sibi Jovis imagine, proceritatem corporis, honorem capitis, dignitatem oris, & gravitatem frontis exprimeret, ad exemplum HOMERI se totum composuit, & eminentia supercilia Deo addidit: quorum contractione & remissione, manifestis sui nutus & arbitrii signis, Deorum hominumque Pater, qui giganteo triumpho clarus erat, cuncta movere ac regere videretur d).

§. VI.

---

c) Illadis Lib. I. v. 528. Ita in VIRGILII Æneid. Lib. X. v. 115.

Annuit, & totum nutu tremefecit Olympum:

d) Narratio hæc, cui nihil auctoritatis detrahit, quod Hypercritico illi SCALIGERO ridicula

§. VI.

Artifices, quos jam nominabo, ut ordine, ita celebritate PHIDIÆ cedunt. Si PHIDIAS rebus Divinis, certe POLYCLETUS humanis effingendis omnium præstantissimus fuit e). Statua illa, Canon appellata f), qua formam & pulchritudinem hominis figuravit, plurimum artis & famæ habuit. Ut autem membris mortalium plus decoris, quam debuit, affingere voluisse, ita lineamentis Deorum minus majestatis, quam decet, addere potuisse existimatur. Ceteræ imagines, e. g. Diadumeni molliter Juvenis & Doryphori viriliter pueri, quæ hunc auctorem habue-

---

visa fuerit, ut & reliqua, quam attulimus, Phidianæ historiæ particula STRABONIS, VALERII MAXIMI & MACROBII testimoniis nititur.

e) Vid. QVNITILIANUS l. c.

f) Nomine hoc ideo insignita fuit, quod lineamenta artis, optimam formam hamanam expondituri, Artifices ex Statua hac, velut a lege quadam, peterent: quapropter apud PLINIUM solus hominum artem ipsam fecisse artis opere judicatur. Lib. XXXIV Cap. 8.

habuerunt, indicare videntur, ingenium vel animum ad augustius & amplius audendum, Jovisque vultum, hilarem & serenum, minacem & severum, salubri temperamento signandum, defuisse.

Memoria etiam dignus est marmoreus Cupido, quem PRAXITELES, venustate Phrynæ incensus, mira arte fecit; quem vero hæc mulier, habitu illius majori quam humano viso commota, in religionem vertit & celebri Thespiis templo consecravit. Tanta erat hujus simulacri gratia & dignitas, ut, cum reliqua memorati oppidi signa MUMMIUS tolleret, manus ei inferre, sacrilegium duxerit g). Pulchritudinis quoque exemplum erit carmen, quod SIMONIDES isti imagini græce inscripsit, GROTIUS vero latine vertit:

"Quam bene Praxiteles finxit, quem sensit, amorem!
"De corde exemplum sumserat ille suo.
"Meque, mei pretium, Phrynæ dedit: inde sagittis
"Nil opus est; videar si modo, sat ferio."

Nobilissima quoque fuit ejusdem Artificis Gnidia Venus, cujus venustas non admiratio-

g) Vid. CICERONIS Orat. IX in Verrem c. 2.

nem modo, sed ipsum etiam amoris sensum, per effictas in marmore gratias injecisse h), quin & PHIDIÆ Lemniam Venerem & Hortensem (ἐν κήποις) ALCAMENIS indole & arte superasse dicitur i). In hujus imaginis laudem ANTIPATER,

h) Opera ejus (Praxitelis) sunt Athenis in Ceramico: sed ante omnia & non solum Praxitelis, verum & in toto orbe terrarum, Venus, quam ut viderent, multi navigarunt Gnidum. Duas fecerat simulque vendebat: alteram velata specie, quam ob id prætulerunt, optione, quorum conditio erat, Coi, cum alteram etiam in eodem pretio detulisset, severum id ac pudicum arbitrantes. Rejectam Gnidii emerunt, immensa differentia famæ. Voluit eam postea Gnidiis mercari Rex Nicomedes, totum æs civitatis alienum, quod erat ingens, dissoluturum se promittens. Omnia perpeti maluerunt, nec immerito. Illo enim signo Praxiteles nobilitavit Gnidum. Ædicula ejus tota aperitur, ut conspici queat undique effigies Deæ, favente ipsa, ut creditur, facto. Nec minor ex utraque parte admiratio &c. PLINII Lib. XXXVI cap. 5.

i) LUCIANUS in Imagin. 6.

TER, ratione illius & præstantia captus, hoc epigramma composuit k):

Τις λιθον εμψυχωσε; τις εν χθονι κυπριν εσειδεν;
Ιμερον εν πετρη τις τοσον ειργασατο;

LYSIPPUS SICYONIUS, opere ingenii, quam favore ALEXANDRI notior, ut superbiæ hujus Regis, qui Filium Jovis se appellari & credi jussit, fœde adularetur, illius simulacrum ad immortalium & mortalium exemplar conformavit. Divina enim humanis miscens, tamen ad similitudinem Principis proxime accedens, ori auctoritatem Numinis & virtutem herois adjecit, ita ut duplici quasi arte idealem victricis fortitudinis imaginem in facie ALEXANDRI expressisse dicatur. In cœlum vero suspiciebat Statua, quasi hominibus se eximens, vel Diis se æquans, Jovique dicens: "Terram mihi subjicio; tu vero, Jupiter, Olympum retine!" ut Poëta ad illius basin cecinit:

Au-

---

k) Anthologiæ lib. 4. — WIELAND in opere cit. versus hos germanice ita vertit:
Wer beseelte den Fels? wer sah dich, Cypris, auf Erden?
Gab dem fühllosen Stein diesen allmächtigen Reiz?

Αυδασαντι δ' εοικεν ὁ χαλκεος ες Δια λευσσων·
Γαν επ' εμε τιθεμαι, Ζευ συ δ' Ολυμπον εχε l).

Nemesin quoque AGORACRITI ut optimum artis & ingenii specimen VARRO laudavit. Magnumque fuit hujus Artificis & ALCAMENIS in facienda Venere certamen; quæ etiam ut in horto Uraniæ poneretur, votum fuit Athenienſium & animus. Vicit vero ALCAMENES, non opere, ſed ſuffragiis civitatis; hujusque judicii iniquitatem quia AGORACRITUS ægre tulit, ſuum ſignum ea lege vendidit, ne Athenis unquam tolleretur, ideoque nomen Nemeſis ei dictum fuit m).

Sed optima quævis Græcorum Artificum opera enumerare neque hujus opuſculi eſt, nec noſtri conſilii. Idealis Pulchritudinis characteres ſi vere, & ſi laudes ſummorum Artificum non inepte dicendo aſſecuti ſimus, ſpei noſtræ & ambitioni ſatisfactum eſt. Cui contigerit, vetuſta artium monumenta intueri, uberius dicere; cui artium arcana cognoſcere, eruditius poterit. Nos ex.

l) Vid. GRONOVII opus cit. Vol. IV. pag. 62. lit. C.

m) PLINIUS l. c.

excuſabit temporis anguſtia; commendabit inſtituti nobilitas n).

XIX. DE INGENIO DEMOSTHENIS.

§. I.

Græcis ut non decora ingenia, ita nec magna ſtudia defuerunt. Felicique naſcendi ſorte & cogitandi cura humaniſſimæ litteræ & artes apud eos non ſolum inventæ, ſed etiam perfectæ ſunt. Quæ glo-

n) Die schönen Künsten und Wissenschaften sind für den Virtuosen eine Beschäftigung, für den Liebhaber eine Qwelle des Vergnügens und für den Weltweisen eine Schule des Unterrichts. In den Regeln der Schönheit, die das Genie des Künstlers empfindet, und der Kunstrichter in Vernunftschlüsse auflöset, liegen die tiefsten Geheimnisse unserer Seele verborgen. Jede Regel der Schönheit ist zugleich eine Entdeckung in der Seelen-Lehre. MOSES MENDELSSOHN l. c. p. 97.

gloria tanto major, quanto difficilius eſt, nova ex ſuo ingenio effingere, quantoque ſplendidius, ea optima efficere. L. Craſſus, Romanæ eloquentiæ ante Ciceronem princeps, apud hunc ipſum oratorem non modo fatetur, ſe, quidquid in dicendo potuerit, Græcis debere, ſed etiam adoleſcentes hortatur ut ex iis potiſſimum eloquentiam petant. Sic & Cicero, non contentus facundia ſæculi ſui, totum ſe ad imitationem Græcorum compoſuit, ut quod in quoque optimum eſſet, ſubtilitatem Lyſiæ, acumen Hyperidis, ſplendorem Æſchinis, ſuavitatem Iſocratis & gratiam Xenophontis conſequeretur. In his autem Demoſthenem, qui omnes omnium in dicendi arte virtutes complexus videbatur, præcipue ſibi æmulandum propoſuit. Imaginem vero tanti viri exprimere conſtitui; formamque ſui animi, ſuique oris habitum ex ſimili reddere ſi potuerim, conſilii me non pœnitebit.

§. II.

Debet hoc officium, hanc pietatem quævis ætas poſteritati, ut, cum magnus aliquis & nobilis vir cæteros ſui temporis ingenio ingeniique operibus ſuperaverit, memoriam illius componat. Nec

eſt,

eſt, quod in noſtro argumento Græcos inertiæ arguas, ſi quædam, quæ ad Demoſtheneæ ſtirpis originem & antiquitatem pertinent, prout minus comperta exceperis, niſi dixeris, ignorantiam generis æquo animo ferri poſſe, ubi quæſtio eſt de viro, quem per ingenii animique virtutes effici, quam per avorum atavorumque imagines naſci nobilem maluit occulta fatorum lex & poteſtas. De patre duplex eſt fama: alii eum ſummo loco natum, claſſisque præfectum fuiſſe, tradunt: alii, illum obſcuris ortum majoribus eſſe, panemque diurnum gladiis vendendis quæſiiſſe a). Ad poſteriorem ſententiam, quæ pluribus & gravioribus teſtibus confirmatur, inclinat animus. Nec de anno natali conſentiunt eruditorum voces: qui tamen propter veriſimiles rationes ſupra trecenteſimum & octogeſimum ante orbem redemtum repetendus videtur. Mater fuit Cleobule, barbara genere, & filia Gylonis, qui Athenis natus, crimine autem proditionis accuſatus, & in Scythia exſul, uxorem ibi duxit b): quod autem vere, an per mendacium de

a) Lucian. & Plutar. vit. Demoſt.
b) Plutar. l. c.

de materno genere dixerit Æſchines, Demoſtheneæ eloquentiæ anxius æſtimator, haud affirmaverim. Sed his fatis debebatur tanti origo viri, ſummique poſt hominum memoriam oratoris, qui artibus Philippi Macedonumque viribus Athenienſe ingenium & Scythicam virtutem opponeret. Admodum gravi ætatis initio uſus eſt. Pater mature deceſſit: tutelaque triumvirali res avita, quæ parum a quindecim talentis abfuit, puero ſtetit. Hoc autem patrimonium, quo amplius erat, eo plus cupiditatis attulit illius curatoribus: qui ne juvenis quidem præceptori pactam mercedem dederunt: callido conſilio, ut magiſter in erudiendo negligentius ageret, & diſcipulus in vindicando ſuo jure rudius ſe gereret c). Sic ſuis opibus & alienis præceptis in lubrico ætatis privatus, ipſe ſibi exſtitit, in ſtudiis ſvaſor & auctor, in moribus dux & ſocius. Sublimi autem & erecto ingenio ſtimulum & artem addidit Calliſtratus, cauſſam Oropiam acturus. Magnaque erat illius judicii exſpectatio, cum propter oratoris facultatem, tum propter ipſius rei celebritatem: cui & Demoſthe-

c) Plutarc. l. c.

mosthenes interfuit, locum in prætorio per preces nactus, summaque cum attentione in occulto sedens Tanta in puero indoles erat. Cum vero feliciter perorasset Callistratus, Demosthenes & speciem oratoris, quem deduci a multitudine videbat, & vim eloquentiæ, quam telo fortius propugnare pariter & incessere cognoverat, admiratus, totum se studiis orationum & caussarum dedit: in qua etiam re optimis dicendi magistris, Isæo, Isocrate & Platone usus est d). Ad hoc tamen genus doctrinæ minus esse aptus videbatur a natura, quam quidem in tribuendis animi dotibus fautricem, in fingendo autem corpore & ipsius eloquentiæ instrumento maleficam expertus est. Nam præterquam quod primam illius artis, cui se vindicavit, litteram pronuntiare non poterat, ea laterum imbecillitate laborabat, ut perferendis animi laboribus impar videretur e). Ubi autem mala, ibi quoque remedia: quæ item Demosthenes propter altam indolem facillime invenit & optime adhibuit. Cum enim natus esset balbus, meditando effecit, ut hoc naturæ

d) Lucian. & Plutar. l. c.

e) Cicero de Oratore lib. I.

turæ impedimentum ſtudio vicerit. Scilicet conjectis in os calculis hunc verſum Homeri, Ροχθει γαρ μεγα κυμα ποτι ξερον ηπειροιο, repetebat, donec litteræ Rho difficultatem plana & expreſſa pronuntiatione aſſequi poſſet: eaque facultate lætus, per fora & ædes properando, Athenienſibus dixit: ηκω φερων υμιν το ρ κατα ερητορευμενον f). Et cum anguſtiores ſoni meatus ductusque, qui ſplendidam & ſonantem vocem impedirent, ſibi a natura eſſe dátos videret, oleo in os immiſſo, & per celerem acclivium locorum adſcenſum ad nares alliſo, eos amplificavit, mollivit & claræ pronuntiationi idoneos reddidit g). Sed anguſtiori ſpiritu & increbreſcente anhelitu adhuc laborans, continenda etiam anima in dicendo id aſſecutus eſt, ut una continuatione verborum binæ ei contentiones vocis & remiſſiones continerentur h).

§. III.

Cum tali modo vitia oris, balbutiem linguæ vocisque obſcuritatem, viciſſet, tribus tutoribus, qui

f) Zosimi vit. Demost.

g) Cresoll. Lib. III. c. VI.

h) Cicero l. c.

qui in suam pecuniam, plenam & præclaram, per scelus invaserant, diem dixit, & orationem in eos habuit: datoque judicio, quamvis adhuc juvenis, superior excessit; haud ambiguo omine, eum talem futurum, qualis postea cognitus est i). Qua autem orandi agendique felicitate erectus, majora concupiscere & illustriora sperare cœpit; nomenque, clientelas, comitatus, & salutationum frequentiam gloria orationum & forensi labore ut sibi pararet, omne tempus & studium ad virilem & gravem eloquentiam contulit. Corpus erat infirmum, tamen laboris & vigiliarum patientissimum. Parum enim temporis quieti datum: & ea non molli strato arcessita, sed angusto lecto incommoda fuit, ut statim a multa nocte surgendi caussa, stiloque se reddendi occasio esset. Cum vero orationem, vel aliam rem majoris momenti conficeret, silentium & solitudinem suis studiis quæsivit. Et ut a vocibus hominum strepituque dierum, ingenii turbamentis, procul abesset, cellam subterraneam, magnæ cogitationi & semotæ dictioni sedem, condendam curavit. Atque quicquid hoc sacro & innoxio loco elucubravit, cum

---

i) Plut. l. c.

cum generosis metallis id commune habet, ut in recessu & latebris generatum, per sæcula & regiones longe lateque magni æstimetur. Ne autem species hujus domicilii fastidium sui & litterarum pareret, necessitatem voluntati imposuit, & inæqualem capiti tonsuram adhibuit. Sic pudore societatis humanæ in obscuro tenebatur, donec ambitiose elaborasset, quod in lucem orbis & famam sui prodiret. Et quidem ut etiam in turba secretum sibi faceret, nec in medio foro, circumstantibus tot jurgiis & fortuitis clamoribus, dicendo turbaretur, in littore ventis & undis strepente, secum cogitans, secum loquens, non expavescere concionum fluctus consvescebat. Quoniam vero & ratione & experientia compertum habebat, non tam referre, qualia sint, quæ quis intra se composuerit, quam quæ dixerit, & affectus languescere, nisi ore, vultu, habituque totius corporis inardescant, voci & gestui tam diligenter apud Andronicum Hypocriten studuit, ut, admirantibus ejus orationem pro Corona Rhodiis, Æschines dixerit: quid si ipsum audisfetis? Ideoque grande quoddam speculum, formæ & decoris nobilem arbitrum, intuens, componere quoque actionem sole-

solebat. Et quandoquidem indecora est oratori in dextrum & lævum latus vacillatio humerorumque jactatio, hoc vitium, quod & sibi a natura tributum habuit Demosthenes, ita emendasse dicitur, ut, cum in angusto quodam pulpito stans diceret, suspensa hasta humero immineret; cujus ictu, si impetu dicendi oblique egisset, recti & honesti status commoneretur k).

§. IV.

Cum ad Rempublicam accessisset, consiliis & studiis, quod non alius castris & armis, consecutus est. Nullo unquam tempore gladius vel murus plus potuit in bello, quam illius eloquentia sive in judicio, sive in senatu, sive apud populum: qua periclitantibus & amicis patrocinatus est, provincias & nationes adscivit, & invidos ac inimicos terruit. Patriæ autem libertate nihil ei videbatur vel ad vitæ dignitatem amplius, vel ad urbis famam pulchrius, vel ad totius Græciæ utilitatem fructuosius. Quam itaque, vel cum offensionis & vitæ periculo, pari fide & eloquentia defendit. Videlicet,

k) Lucian. Plutar. l. c. Quint. Inst. Orat. lib. X. c. III. lib. XI. c. III.

cet, cum nimiō plus, quam ſatis tutum eſſet accolis, rem Macedonum creſcere putaret, omnes Græciæ civitates ſpe & metu ſollicitavit, & plerasque adverſus Philippum Athenienſibus multa dicendi arte conciliavit. Unde cauſſa & origo fuit orationibus, dictis Philippicis, a quibus Cicero exemplum & nomen ſuarum in Antonium petiit, & quas ad odium tyranni & invidiam habuit: quæ quantum voti & animi ſociis, tantum metus & terroris Philippo attulerunt, adeo quidem, ut hic princeps palam diceret: "Nemo adverſus orationes Demoſthenis "tropæum proſuerit" m). Sed neſcio, quo cœco & iniquo caſu vox Demoſthenis, conſilia ſenatus, obſequia populi & ſecuritas Græci orbis ad irritum ceciderunt. Multa prodigia, & triſtia oracula nuntiabantur, futurorum præſagia: quæ Demoſthenes interpretando vel ut ſuſpenſa & incerta eluſit, vel ut pro auro data & accepta contemſit, Thebanos, Epaminondæ, Athenienſes Periclis commonefaciendo. Præliumque apud Chæroneam male conſertum: quo etiam Demoſthenes turpiſſime fugit, abjecto irreverenter clypeo, cui aureis ver-

m) Lucian. & Plutar. l. c.

verbis insculptum erat: αγαθη τυχη. Philippus vicissim hac victoria ebrius vinoque demens, strata cæsorum corpora feroci pede calcabat & avido oculo lustrabat. Cum autem ab hoc furore ad animum rediisset, Demosthenis horruit eloquentiam, qua discrimen principatus & capitis in parva unius diei parte adire potuisset. Atqui oratores adversæ factionis Demosthenem, tam infausti certaminis consiliatorem, tacita invidia palam criminabantur. Aderat tamen favor plebis, eum rogantis, ut cæsos pro rostris laudaret, & curam reipublicæ de integro susciperet. Neque non peropportuna Philippi mors & Alexandri juventus animos ad spem liberalioris fortunæ fecit. Atque urbe in vota & lætitiam effusa, sacrisque factis, Demosthenes splendida veste & corona insignis in medium prodiit. Princepsque hic fori, & auctoritate domi forisque plurimum valens, Persas litteris & Græcos sermonibus deinde impulit, ut, junctis iris & viribus, arma & pericula adversus prævalentem Macedonem capesserent. Cum autem sic in patria ingenii animique bonis maxime floreret, invidia potentium, suspicione largitionis, & Macedonum adversus eum odio, bis exsul egit. Quam

tamen

tamen calamitatem si minus, ut viro dignum erat, tulit, profecto mortem forti animo subiit; quam, cum ab Antipatri satellite ex Neptuni in insula Calauria templo traheretur, oppetivit, hausto veneno, & his supremæ eloquentiæ verbis: "age ducas "hoc cadaver ad Antipatrum; Demosthenem autem "non duces." Sed Athenienses sui facti pœnituit, & confestim notæ virtutis desiderium consecutum est. Communi consensu & decreto, in foro, ubi sæpe, quanta nulla unquam humana vox, cum admiratione eloquentiæ auditus fuerat, statua ære ficta ei ponebatur, hac inscriptione:

Ειπερ ισην ρωμην γνωμη Δημοσθενες ειχες,
Ουποτ' αν Ελληνων ηρξεν Αρης Μακεδων.

Quæ glora eo major fuit, quod testarum suffragia, quibus damnatus erat, vis Macedonum, hanc autem imaginem, quæ simulacrum oris in perpetuum referret, amor civium expresserat n).

§. V.

Opinionem vero, quam ex iis, quæ de ingenio Demosthenis disputata sunt, concepimus, confirma-

n) Lucian. Plutar. & Zosimus l. c.

firmabunt ea, quæ jam de ejus operibus dicemus. Cum ille, qui notis & bene collocatis verbis rem tradit, magis vitio obſcuritatis caret, quam virtute aliqua excellit, tum perſpicuitatem Demoſthenis non prædicaverim, ne in dicendis tanti viri laudibus parva cumulare videar. Magis memoratu digna eſt illa evidentiæ vis & facultas, qua omnes rei partes acutiſſime animadvertit, & quæ abſunt, ita coram collocavit, ut te non audire, ſed videre, non legere, ſed intereſſe putes. Si autem hæc virtus laudem, admirationem ſane habet illa ſublimitas, quam Demoſthenes prono ingenii ductu expreſſit, & diligente Thucydidis imitatione auxit & ornavit. Generoſæ illius ſententiæ, ſplendida compoſitio, & grandiora verba tantam habent vim in docendo, lenitatem in conciliando, & in movendo gravitatem, ut in intimos hominum ſenſus influant & incurrant. Suo ingenii flumine, ſuaque dicendi vi & copia impedimenta rerum tollit & evertit, & animos hominum ſecum rapit & aufert. Cum de vita & fama, de fortuna & ſalute, de republica & libertate loquitur, non tam lenia & continua longis & æqualibus membris, quam gravia & abrupta inciſis profert.

Nec ignarus fuit, hominem inter excelſa & periculoſa facillime innoteſcere: quocirca nova interdum & inaudita promit, tamen modeſte & caute. Contra cum delectando docere cupit, ſignificandi aut ornandi gratia, orationem figuris & translationibus modice & opportune diſtinguit. Et ne illius concinnitas quæſita & contra fidem, ſed diſſimulata & honeſta videatur, in ſua compoſitione non artem & oſtentationem affectat, ſed naturam & elegantiam ſequitur.

§. VI.

Hæc autem ſcribens, nihil dico, niſi quod comprobavit judicium generis humani, auctoritas vetuſtatis, & recentioris ævi conſenſus & humanitas. Cicero: "Plane perfectum oratorem, & cui "nihil admodum deſit, Demoſthenem facile dixe"ris. Nihil acute inveniri potuit in eis cauſſis, "quas ſcripſit, nihil, ut ita dicam, ſubdole, nihil "verſute, quod ille non viderit, nihil ſubtiliter "dici, nihil preſſe, nihil enucleate, quo fieri poſ"ſit aliquid limatius; nihil contra grande, nihil "incitatum, nihil ornatum vel verborum gravitate

vel

"vel ſententiarum, quo quidquam eſſet elatius" o). Quintilianus: "quid denique Demoſthenes? non "cunctos illos tenues & circumſpectos, ſublimitate, "vi, impetu, cultu, compoſitione ſuperavit? non "inſurgit locis? non figuris gaudet? non transla- "tionibus nitet? non oratione ficta dat tacentibus "vocem? non illud jusjurandum per cæſos in "Marathone ac Salamine propugnatores Reipubli- "cæ, ſatis manifeſto docet præceptorem ejus Pla- "tonem fuiſſe? Quem ipſum num Aſianum appel- "labimus, plerumque inſtinctis divino ſpiritu va- "tibus comparandum" p). D. Longinus: "De- "moſthenes, utrimque nobilis, hinc inſito altiſſimæ "& ad ſummum oratoriæ virtutis faſtigium per- "ductæ magniloquentiæ ſpiritu, animatis affectibus, "ubertate orationis, calliditate & celeritate, illinc, "quod præcipuum eſt, inacceſſa omnibus dicendi "gravitate & vi admiranda, his inquam velut di- "vinitus conceſſis muneribus (neque enim humana "ea appellare fas eſt) quæ confertim ad ſe attraxit, "atque iis, quas poſſidet, orandi virtutibus univer- "ſos ſemper vincit; & ne alii, quibus ipſe caret doti-

o) Brut. p) Lib. XII. c. X.

"dotibus, aliquid adversus eum valeant, facundiæ "suæ tonitru & fulgore attonitos reddit, & per"cellit omnes omnis ævi oratores; ita ut facilius "aliquis erumpentium nubibus fulminum ictus "apertis oculis excipere possit, quam densis illius "sibique supervenientibus affectibus immoto ani"mo obsistere" q).

§. VII.

Quam autem magnitudinem cogitationibus & gravitatem sententiis, & quem delectum verbis & ordinem rebus adhibuit, ipsi illius libri optimi sunt testes. Principio auditorem ad accipienda reliqua idoneum, modestia & pudore benevolum, & magnitudine ac compositione argumenti attentum & docilem reddit. Narratione lucida & credibili, distinctis personis, temporibus & locis, rem exponit, argumentis firmat, & sententiis illustrat, tam apte, ut nihil ibi superfluum cum *fastidio* compositum, nihil necessarium cum damno omissum esse videatur. Atrocia invidiose, tristia miserabiliter dicit, nec suspicionem facit, plus ab oratore, quam caussa profectum esse. Peroratione, quæ

q) de Sublimit.

quæ cōpiofius differuit, compendiofe repetit, & fi per fingula minus moverit, pondere totius valet, & affectus judicum magnifice, graviter & ornate concitat vel componit. Plurima funt exempla; maxima vero invenies in oratione pro Corona, quam Cicero, ut imaginem fummæ eloquentiæ effingeret, latine imitatus eft. Mira arte hanc compofuit Demofthenes. Eam difputationis partem, quæ leges fpectat, & in qua inferior accufatore effe credebatur, in mediam orationem conjecit; arte imperatoria, ignavis in medium, & fortiffimis ad extrema compulfis. Initio, ut ftudia & voluntatem judicum complectatur, de fuis confiliis factisque, reipublicæ femper honeftis & utilibus, fubmiffius fuaque laude erubefcens loquitur. Deinde, dum de legibus difputat, preffius & fimplicius differit. Poft fenfim incedens, ubi judices ardentes & faventes vidit, audacius exfultat & merita fua perfequitur. Quid hoc exordio ad benevolentiam & attentionem efficacius? quo fine gratia & ambitione, fine ira & ftudio, in concionem procedit, bonæ tantum confcientiæ & cauffæ pretio ductus, & religione numinis judicumque æquitate fecurus. Πρωτον μεν, ω ανδ᾽ρες αθηναιοι,

τοις

τοις θεοις ευχομαι πασι και πασαις, οσην ευνοιαν εχων εγω διατελω τη τε πολει και πασιν υμιν, τοσαυτην υπαρξαι μοι παρ' υμων εις τετονι τον αγωνα· επειθ', οπερ εστι μαλιστ' υπερ υμων και της υμετερας ευσεβειας τε και δοξης, τετο παραστησαι τες θεες υμιν, μη τον αντιδικον συμβελον ποιησασθαι, περι τε πως ακεειν υμας εμε δει· σχετλιον γαρ αν ειη τετο γε· αλλα τες νομες και τον ορκον, εν ω προς απασι τοις αλλοις δικαιοις και τετο γεγραπται, το ομοιως αμφοιν ακροασθαι. "Primum Deos & Deas om-"nes precor, Athenienſes, ut quantam ego bene-"volentiam erga & Rempublicam & vos univerſos "conſtanter habeo, tanta mihi a vobis in hoc ju-"dicio tribuatur. Deinde, ut Dii immortales (id "quod maxime vos veſtramque religionem & glo-"riam tuebitur) in eam vos ſententiam adducant, "ne adverſarium, quo ego pacto ſim audiendus, "in conſilium adhibeatis (nam id quidem iniquum "fuerit) ſed leges & jusjurandum: quo illud etiam "præter cætera, quæ plena ſunt æquitatis omnia, "continetur": EADEM RATIONE UTRUMQUE ESSE AUDIENDUM r). Quid hac narratione admirabilius? qua

r) Orat. pro Corona.

qua triſtem de capta a Philippo Elatia nuntium deſcribit: *εσπερα μεν γαρ ην, ηκε δ' αγγελλων τις ως τȣς πρυτανεις, ως Ελατεια κατειληπται.* "Veſpera erat: venit quidam ad conſules, Elatiam "eſſe captam nuntians" s). Quid hac verborum & ſententiarum conformatione grandius? qua, divino quaſi ſpiritu adflatus, per interfectos in Marathone & Salamine jurat, ut hoc ſacramento & exemplo memoriam ſummæ fortitudinis in judicum animis excitet, vim & rationem ſuæ cauſſæ in auguſtam ſublimitatem & jurisjurandi religionem convertat, & minori invidia acceptæ apud Chæroneam cladis laboret. *Ουκ εστιν οπως ημαρτετε, ανδρες Αθηναιοι, τον υπερ της απαντων ελευθεριας και σωτηριας κινδυνον αραμενοι· ȣ μα τȣς εν Μαραθωνι προκινδυνευσαντας των προγονων, και τȣς εν Πλαταιαις παραταξαμενȣς, και τȣς εν Σαλαμινι ναυμαχησαντας, και τȣς εν Αρτεμισιω, και πολλȣς ετερȣς τȣς εν τοις δημοσιοις μνημασι κειμενȣς αγαθȣς ανδρας, ȣς απαντας ομοιως η πολις, τησαυτης αξιωσασα τιμης εθαψεν, Αισχινη· ȣχι τȣς κρατησαντας μονȣς.*

Fieri

s) Loc. cit.

"Fieri non poteſt, Athenienſes, ut erraveritis, de-
"fenſione libertatis, & communis ſalutis cum pe-
"riculo ſuſcepta: non, teſtor majores noſtros, qui
"in Marathone pro aliis dimicarunt, & qui ad Pla-
"tæas in acie ſteterunt, & qui in Salamine navale
"prælium commiſerunt, & qui ad Artemiſium: &
"multos alios, qui in publicis monumentis ſepulti
"jacent, fortes viros, quos univerſos æque res-
"publica eodem dignata honore, ſepelivit, Æſchi-
"ne: non eos ſolos, qui rem bene geſſerunt" t).
Quid hac figurarum congerie ad vim perſvadendi fortius? qua per varias, cumulatas & ſe invicem ſine ordine ſequentes imagines, perturbati animi ſigna, animos judicum percellit & confundit, & ex parte percuſſi corporis, ex vultu ferientis, ex habitu, ex voce, invidiam Midiæ, a quo in theatro pugnis cæſus fuerat, conflat. Πολλα γαρ αν ποιησειεν ὁ τυπτων, ω Ανδρες Αθηναιοι, ων παθων ενια ϗδ᾽ αν απαγγειλαι δυναιθ᾽ ετερω, τω σχηματι, τω βλεμματι, τη φωνη· οταν ως υβριζων, οταν ως εχθρος υπαρχων, οταν κονδυλοις, οταν επι κορρης, ταυτα κινει, ταυτα εξιςησιν ανθρω-
πους

t) Loc. cit.

πυς αυτων, αηθεις οντας τυ προπηλακιζεσθαι. ουδεις αν ταυτ' απαγγελλων, δυναιτο το δεινον παραστησαι τοις ακουουσιν ουτως, ως επι της αληθειας. "Multa enim is, qui verberat, Athenien-"ses, fecerit: quorum quædam, qui læsus est, "neque annuntiare poterit alii: gestu, adspectu, "voce, quum ut insultans, quum ut inimicus, "quum pugnis cædit, quum malæ alapam infligit: "hæc movent, hæc extra se constituunt homines, "ferendis contumeliis non adsvetos. Neque est, "qui hæc referens, acerbitatem rei gestæ auditori-"bus sic ostendere possit, sicut revera" u). Quid hoc schemate notabilius? quo oratio velut gradibus quibusdam in sublime abit? ουκ, ειπον μεν ταυτα, ουκ εγραψα δε· ουδ' εγραψα μεν, ουκ επρεσβευσα δε· ουδ' επρεσβευσα μεν, ουκ επεισα δε θηβαιους. "Et non dixi hæc quidem, "non autem scripsi: nec scripsi quidem, non pro-"fectus sum autem ad legationem: nec profectus "quidem, non persvasi autem Thebanis" v). Sic Cicero pro Milone: "neque vero se populo so-"lum, sed etiam senatui commisit: nec senatui

u) Orat. in Midiam. v) Orat. pro Corona.

modo, ſed etiam publicis præſidiis & armis; ne„que his tantum, ſed etiam ejus poteſtati, cui ſe„natus totam Rempublicam commiſit." Quid hoc enthymemate excellentius? quo per propoſitum diſſimile vel contrarium ratio magnifice ſubjungitur. Ου γαρ, ει τι πωποτε μη κατα τες νομες επραχθη, συ δε τετ' εμιμησω, δια τετ' αποφυγοις αν δικαιως, αλλα πολλω μαλλον αλισκοιο. ωσπερ γαρ ει τις εκεινων πρεηλω, συ ταδ' εκ αν εγραψας, ετως αν συ νυν δικην δως, αλλος ε γραψει. "Non enim ſi quid unquam contra "leges factum eſt, idque tu es imitatus, idcirco te "convenit pœna liberari: quin e contrario damna"ri multo magis. Nam ut ſi quis eorum dam"natus eſſet, tu hæc non ſcripſiſſes: ita damnatus "tu ſi fueris, non ſcribet alius" x).

§. VIII.

Tantam verò eloquentiam, qua nihil gravius, nihil prudentius, nihil temperatius eſt, commendat etiam bonitas oratoris. Rempublicam non ſolum ſua dicendi facultate, quod glorioſum fuit & honeſtum, ſed etiam ſua pecunia, quod liberale & in-

x) Orat. in Androtionem.

ingenuum, sublevavit & firmavit Demosthenes. Tam excelsi vero animi, quo amor patriæ plus apud eum quam sui ipsius valuit, hoc erit specimen, quod, cum post Chæronense prælium mœnibus urbis reficiendis curator esset, magnam eorum partem privatis suis sumtibus restituerit. Quod & factum, reipublicæ utile, ipsi honorificum, corona aurea, senatus consulto & plebiscito decreta, & in theatro oblata, secuta est. Quin etiam privatim in dando munificus erat, & in exigendo multa multis, non dicam amicis, sed inimicis, exempli gratia, avidis suis tutoribus, de suo jure cedens. Sic qui Demosthenis facundiam, qua consilia senatus rexit popularemque errorem ad meliora duxit, & illius fidem, quam nec cupiditas corrupit, nec gratia avertit, nec metus fregit, vere æstimaverit, eum & summum oratorem & optimum civem recte dixerit: cui judices facile crediderunt, & quem libenter audierunt.

XX. DE ÆSCHINE ORATORE.

§. I.

De Æſchine, qui ſecundum a Demoſthene locum tenuit, ſcribere quoque auſim. Licebit vero notiſſima eligere, & certare cum electis. Neque tanti oratoris vim & proprietatem aſſequi facile fuerit. Lineamentaque quædam ſui oris, pro mediocritate hujus quantulæcumque in ſcribendo facultatis, oſtendere ſatis mihi erit.

§. II.

Cum multæ ſunt oratoris virtutes, tum prima hæc eſt, ut nomina rerum propria & ſignificantia, nec neceſſariis plura aut pauciora adhibeat & apte diſponat. Qui antiquitatis aut novitatis valde ſtudioſus, fictis aut obſoletis vocibus utitur, in crimen inſolentiæ aut obſcuritatis incurrit. Qui rurſus nimiæ brevitatis cupidus, ſuas ſententias amputat & circumcidit, magnaſque cogitationes in verborum anguſtias detrudit, ille non facile intelligenda, quæ dicit, ſed ægre interpretanda, quæ cogi-

cogitat, audientibus proponit. Qui tandem copiæ plus justo æmulus, inani verborum cursu & sententiarum colore orationem extendit, otium & negligentiam concioni facit. Vitare hæc vitia, non clari oratoris pretium, sed omnis auctoris officium est. Alia est virtus, minus communis, & oratori magis propria, cui Græci ἐνάργειας, Latini evidentiæ nomen dixerunt. Rem absentem ut præsentem sibi repræsentare, quæ forma & species totius, quis ordo & modus partium, quid in quaque honestum aut turpe sit, celerrime videre, ab animo ad oculos transferre, & aliis ita effingere, ut se non audire, sed videre, non legere, sed interesse putent, hominis vere facundi est. Sed si quis alius, certe Æschines singularis & prope divinæ hujus facultatis famam inter cives paravit, & apud posteros retinuit. Operæ erit pretium, exempla afferre. Timarcho apud judices invidiam facturus prætorem & accusati patronum verbo tanquam digito ita demonstrat, ut illius non modo personam in turba agnoscas, sed etiam vanitatem & arrogantiam irrideas. Διαβήσεται δ' ἐν τῇ ἀπολογίᾳ καὶ τῶν στρατηγῶν, τις ὡς ἀκούω, ὑπτιάζων καὶ καταθεωρούμενος ἑαυτόν. p. 1246. Qui

hæc

hæc legit, illum hominem in tabula non pictum, ſed incedentem videre ſe arbitratur. Ultima quoque Thebanorum fata ita palam collocat, ut ea coram intueri nobis videamur: αλλ' επειδη τοις σωμασιν ȣ παρεγενεσθε, inquit orator, ταις γε διανοιαις αποβλεψατ' αυτων εις τας συμφορας, και νομιζατε οραν αλισκομενην την πολιν, τειχων κατασκαφας, εμπρησεις οικιων, αγομενας γυναικας, και παιδας εις δȣλειαν, πρεσβυτας ανθρωπȣς, πρεσβυτιδας γυναικας, οψεμεταμανθανοντας την ελευθεριαν, κλαιοντας, ικετευοντας υμας, οργιζομενȣς ȣ τοις τιμωρȣμενοις, αλλα τοις τȣτων αιτιοις p. 1247. Qui hæc ante oculos ponit, ille everſæ urbis non imaginem, ſed ipſam faciem ad animum refert, mœnia cum fragore dirui audit, incendium templa, ædes & tabernas pervagari videt, uxores in libidinem & liberos in ſervitutem auferri dolet, ætate provectos & provectas ſero ad libertatem inſtitui ægre patitur, miſeri illius populi ſenſus induit, miſeriæ vero auctoribus iraſcitur, alienam ſortem eſſe ſuam putat, & ad opem & remedia feſtinat.

§. III.

Si autem magna eſt laus, evidenter, maxima eſt, ſublimiter dicere. Quo paucioribus hæc facul-

cultas, quæ dicendo, delectando & commovendo non persvadet, sed imperat, a natura data est, eo majorem sui admirationem facit. Qui sublimia dicit, ille supra humanitatem adscendit, cœlo & sideribus se infert, & inaudita ac inopinata, altitudine sensuum, imitatione affectuum, aut splendore verborum miranda & divina, aperit & audat. Et qui sublimia audit, in iis tanquam in stagno aut speculo alias res & imagines, illustres & splendidas videt, novas species ac cogitationes, excelsas & stupendas, percipit, inexpertos animi motus, celeres & subitos, persentit, & miraculo defixus atque ore pallidus hæret. Cum Olympum nutu Jovis concuti sentit ignavus, cum defunctos in colloquium excitari videt fortis, & cum saxa & nemora voci respondere audit facundus, non potest non ille festinare, iste trepidare, & hic conticescere. In hoc autem oratoriæ virtutis genere quamquam Æschines vim & celeritatem Demosthenis non æquat, tamen ut æquare possit, cursu contendit. Et nescio, ingenio plus, an consilio hoc tribuendum sit. Demosthenes libertate totius Græciæ, judicio amplissimi Senatus, voce populi Atheniensis, & consensu generis humani excitatus

& ardens, sæpè verba & sententias ut nubes cogit, in foro & concione tonat, oculos ingesto splendidæ dictionis fulgore claudit, animos sublimis fulmine cogitationis percellit, & instar rapidi effuso imbre fluminis, circumstantem coronam, volentem, nolentem, secum rapit & aufert. Æschines autem, auro tyranni venalis, hoc servitutis crimine malaque conscientiæ pavidus, lubrico & periculis se committere non audet, sed ut a lapsu sit tutus, humi repit, callide & subdole agit, cunctando & per artem pugnat, & adversarium pellit aut superat. Sed quamquam illius oratio similis Nilo, per totum, per partes leni manat stagno, tamen, ejusdem more fluminis, aliquando ex improviso crescit, omnia impedimenta disjicit, & opem aut fugam antevertit. Accipe testimonia, & judica. Μη γαρ οιεσθε, ω Αθηναιοι, τας των αδικηματων αρχας απο θεων, αλλ' ȣχ ανθρωπων ασελγειας γινεσθαι· μηδε τȣς ησεβηκοτας, καθαπερ εν ταις τραγωδιαις, ποινας ελαυνειν και κολαζειν δασιν ημμεναις· αλλ' αι προπετεις τȣ σωματος ηδοναι, και το μηδεν ικανον ηγεισθαι, ταυτα πληροι τα λῃστηρια, ταυτ' εις τον επακτροκελητα εμβιβαζει, ταυτα εστιν εκαστω ποινη, ταυτα παρα-

εγκελευεται τοις νεοις, σφαττειν τους πολιτας, υπηρετειν τοις τυραννοις, συγκαταλυειν τον δημον. ου γαρ την αισχυνην, ουδ᾽, α πεισονται ληφθεντες, λογιζονται· αλλ᾽ εφ᾽ οις κατορθωσαντες ευφρανθησονται, τουτοις κεκηληνται· εξαιρειτ᾽ ουν, ω Αθηναιοι, τας τοιαυτας φυσεις, και τα των νεων ζηλωματα επ᾽ αρετην προτρεψασθε p. 1248. Quid hac ſententia grandius? "Neque putetis, "Athenienſes, facinorum initia a Diis, non ab "hominum petulantia proficiſci, aut impios, ut in "tragœdiis, a furiis agitari, & facibus ardentibus "puniri." Quid hac compoſitione ſplendidius? "Sed temerariæ corporis voluptates, & inexple"bilis cupiditatis ſitis, hæc latrocinia cumulant: "hæc in Myoparones piraticos impellunt: hæc "unumquemque cruciant: adoleſcentes ad occiden"dos cives, ad opem tyrannis ferendam, ad op"primendam rempublicam inducunt." Quid his verbis aut delectu melius, aut inventu felicius? Tanti hæc quoque fecit Cicero, ut ea imitanda aut vertenda ſibi propoſuerit. "Nolite enim "inquit, putare, quemadmodum in fabulis ſæpenu"mero videtis, eos, qui aliquid impie ſceleratequo "commiſerint, agitari & perterreri furiarum tædis

"ardentibus: sua quemque fraus & suus terror "maxime vexat: suum quemque scelus agitat, "amentiaque afficit, suæ malæ cogitationes consci- "entiaque animi terrent: hæ sunt impiis assiduæ "domesticæque furiæ, quæ dies noctesque parentum "pœnas a consceleratissimis filiis repetunt." (Pro Rosc. Amer.) Et cum diceret, cur nec Miltiadi, nec Themistocli, nec Aristidi magnæ virtutis insigne & coronam auream decreverint majores, id sublimi hac sententia fit: ου γαρ ωοντο δειν εν τοις γραμμασι τιμασθαι, αλλ᾽ εν τη μνημη των ευ παθοντων, η απ᾽ εκεινε τε χρονε μεχρι τησδε της ημερας αθανατος εσα διαμενει. Minor laus fuerit, his viris statuas & imagines ponere, quam cum Æschine dicere: "non (caducis) littera- "rum monumentis, sed immortali memoria homi- "nes honorari." Similia habet C. Tacitus, ex suo ingenio, aut ex dissimulata imitatione. "Ut vul- "tus hominum, ita simulacra vultus imbecilla ac "mortalia sunt: forma mentis æterna: quam tene- "re & exprimere, non per alienam materiam & "artem, sed tuis ipse moribus possis. Quicquid "ex Agricola amavimus, quicquid mirati sumus, "manet mansurumque est in animis hominum,

in

"in æternitate temporum, fama rerum." (Vitæ Agricolæ).

§. IV.

Sed ut de rebus magnis elate, ita de mediocribus moderate, & de parvis tenuiter dicere convenit. In hoc autem orationis genere copia & varietas, ordo & facilitas, gratia & delectus præcipue spectantur: quas etiam virtutes egregie miſcet & colligit Æſchines. Inter duo enim extrema æquabili rerum & verborum temperamento eminet: nec immodicus & effuſus, ut flumen orationis, ſine duce & rectore, quo velit, ruere, & auditores obruere magis, quam docere permittat: nec jejunus & avarus ut quæ ad fidem tantum neceſſaria ſint, adhibeat; ſed generoſus & liberalis, ut quæ ad delectationem quoque pertineant, proponat. Rerumque, quæ inter ſe ſunt diverſæ, luxuriæ & continentiæ, ſvavitatis & ſeveritatis, diſciplinæ & licentiæ magnus in eo eſt concentus. Eam habuit ingenii ſollertiam, ut omnia cauſæ momenta acutiſſime viderit, eam judicii magnitudinem, ut optima facillime elegerit, & eam animi prudentiam, ut ſingula contra invidum vel inimicum aptiſſime collocaverit.

Sive

Sive eadem res pluribus verbis significatur, sive eadem notio per partes & species exponitur, sive vis probandi similitudinum & exemplorum multitudine, locis communibus, digressionibus & interpositis dilatatur, nihil superfluere, quod demas, nihil deesse, quod addas, videtur. Cum a persona ad rem, a forti & modesto ad laudem fortitudinis & modestiæ orationem avocat, & de majorum in petendis honoribus pudore & in tribuendis parsimonia disserit, hæc eum non circa sed in causa & Demosthenis aurea corona reperiisse putas. Neque, ubi ardua & periculosa circumit, & in tutis atque lætis diu versatur, sequi & interesse pœnitet. Qui Lysiæ & Demosthenis orationes legit, brevitate earum & audacia, aperta vi, & sincera voce commotus, adversarium esse malum civem & improbum hominem judicat, dicentis virtutem laudat, innocentiam dolet, & causam veram pronuntiat. Qui vero Æschinem audit, ille longa principiorum præparatione, & repetitæ alte narrationis serie, his forensibus fallendi artibus callide circumventus, consilio & judicio trepidat, aliorum vultus & sententias circumspicit, inter subsellia interrogat, & veritatem ac mendacium æque in mali suspicionem

vocat.

vocat. Hujus in dicendo copiæ innumera ſunt exempla: unum memorabo. Cum Demoſthenis indolentiam in obitu filiæ augere cupit, definitionem pro nomine ponit, & dicit, vita exceſſiſſe "unicam, quæ ipſum patris nomine prima appellavit. (την μονην και πρωτην αυτον πατερα προσειπȣσαν).

§. V.

Quamquam vero Æſchines, ſibi & cauſæ diffidens, ambitu genua prenſat, caute & timide agit, & auditores per ſpatia orationis longe lateque circumducit, ut verborum lenociniis tanquam epularum illecebris conſenſum & ſuffragia ineat; tamen, ubi plus impetu & affectu quam perſvaſione & circuitu effici intelligit, animus ad audendum quoque paratus eſt. Et varie tum agere illi placet. Jam g r a v i s, perſonam timidi & humilis deponit, generoſi vero & fortis induit, & ad illuſtria virtutis exempla, intuenda & imitanda, hortatur. Jam v e h e m e n s, adverſario inſtat, congerie ſententiarum, quæ judices in aliena cauſa de republica, libertate, legibus, vita, opibus & honoribus timere faciunt, undique urget, ſono verborum,

borum, quæ aſpero vocalium & cõnſonantium concurſu magnitudinem periculi augent, perterret, & vi disjunctæ compoſitionis, quæ per proxima, abrupta, nec longis & æqualibus eloquentiæ membris dimenſa ducit, expugnat & proſternit. Exempla ſi vis, quid his gravius? "Ubi (Demoſthenes) "in fine orationis largitionum ſocios accerſierit "patronos, exiſtimate videre vos in eo ſuggeſtu, "in quo nunc ego ſtans loquor, viros de republi- "ca bene meritos, quaſi in acie contra iſtorum "improbitatem ſtantes, Solonem, qui pulcerrimis "legibus populare imperium exornavit, hominem "eruditum & legiſlatorem bonum, qui vos modeſte, "ut mos ejus ferebat, roget, ne Demoſthenis elo- "quentiam ullo modo pluris faciatis, quam jusju- "randum & leges: Ariſtidem, qui tributa deſcripſit "Græcis, cujus defuncti filias populus elocavit, qui "ignominioſam juſtitiæ tractationem graviter & "iniquo animo ferens, vos interroget, annon pu- "deat, cum veſtri patres Arthmium Zelitam, qui "e Media aurum in Græciam attulit, cum in ur- "bem veniſſet, quamvis hoſpes eſſet Athenienſis "populi, propemodum occidiſſent, præconio quidem "certe civitate exegerunt: vos Demoſthenem, qui

non

"non aurum ex Media attulit, sed munera accepta-"vit, eaque etiam nunc possidet, aurea corona or-"nare? Non putatis Themistoclem & eos, qui in "Marathone oppetierunt, & Platæis, atque ipsa "majorum sepulcra suspiratura, si is, qui se con-"junctum cum Barbaris, adversatum esse Græcis "fatetur, coronabitur"? (in fine Orat. contra Ctesiphontem). Si clarorum virorum exempla multum per se valent, plus ponderis & gravitatis habent, cum iis etiam vox, hortamina & preces tribuuntur. Quid his vehementius? "In tres partes di-"stribuitur dies, cum violatarum legum actio pro-"ponitur. Nam prima aqua accusatori & legibus "infunditur, ac libertati. Secunda aqua reo & iis, "qui in ipsam rem dicturi sunt. Quod si primo "suffragio non soluta fuerit legum violatio jam "tertia aqua infunditur æstimationi mulctæ, & mag-"nitudini vestræ iræ. Qui igitur in æstimanda "mulcta suffragium petit, is iram vestram depre-"catur. Qui autem prima oratione suffragium "petit, jusjurandum petit, legem petit, libertatem "petit: quas res nemini fas est vel petere, vel si "petitæ fuerint, concedere. Jubete igitur, ut vos "prima suffragia secundum leges ferre patiantur,

&

"& ad mulctæ æstimationem præsto sint". (Orat. contra Ctesiphontem). cum simplicius dici potuisset: "infunditur prima aqua accusatori, secunda "reo, tertia æstimationi mulctæ". Et rursus pro "jusjurandum petit. legem petit, libertatem petit" satis dictum fuisset, "iram vestram deprecatur". Ad hanc vehementiam proposita jurisjurandi, legum & libertatis memoria cumulum addit.

§. VI.

Sed non ingenio tantum & viribus, sed colore etiam & lineamentis se commendat oratio. Valide & sane, graviter & subtiliter dicere, tenue est pretium, nisi & honestus ornatus, & pro genere materiæ variatus, accesserit. Parum delectationis habet firmus paries, nisi idem marmore & auro niteat: & qui non fortibus solum, sed fulgentibus etiam armis utitur, plus commovet. Tamen modus & temperamentum non desit. Hians & dissoluta compositio auribus molesta, & intellectui obscura est: minuta & affectata concinnitas ostentationem & artem prodit, probabilitatem minuit, & satietatem affert. Nimiæ vera hujus negligentiæ aut diligentiæ vestigia apud Æschinem nulla aut

pauca

pauca reperies. Comparia & oppoſita ſimiliter concludere, argutiis & ſenſiculis ludere, fuco & levitate eminere, & purpura ac vanitate ſuperbire, puerile ei viſum eſt. Cultu autem habituque latere, & ſenſu atque effectu valere, hæc dignitas virilis, hoc noſtri oratoris judicium, hæc laus. Tamen, ne confragoſa & interrupta, aut jejuna & frigida eſſet oratio, eam non modo verbis, quæ litterarum & vocalium temperato concurſu & membrorum inciſorümque apta conjunctione lene & dulce ſonant, caute compoſuit, ſed etiam figuris, quæ ut ſcintillæ grandia, pulcra & honeſta diſtinguunt, tempeſtive illuminavit. Modicus eſt & manſurus, ſententiis popularis, verbis nitidus, imaginibus plauſibilis, & compoſitione elaboratus. Prooemiatur apte, narrat aperte, pugnat valide, ornat venuſte, perorat preſſe: docet, afficit, delectat, convincit. Ipſe autem ſui graviſſimus eſt teſtis, & maximus laudator.

XXI. DE INGENIO HOMERI.

Vatem egregium
Hunc qualem nequeo monstrare & sentio tantùm.

§. I.

Nondum Græcia in ore & fama esse cœperat, quum in suæ gentis admirationem & exterorum invidiam prodiit Homerus, poëtici ordinis jure meritoque princeps. De ingenio tanti viri, antiquitate & nomine juxta venerabilis, scribere constitui. Præfari vero de persona ejus, natalibus & moribus id congruum. Quid enim pulchrius aut scitu dignius est, quam vitam nosse eorum, quorum scripta, singularis exempli documenta, in illustri posita, intueri & æmulari pergratum erit posteritati. Homero vero id cum plerisque veterum, qui sua opera & aliena fata immortalitati tradiderunt, commune est, ut etsi fama in claro, tamen vita in obscuro sit. Semper enim locus, cui ortum debuit, ignotus erit, vitio ingratæ po-

steritatis, quæ memoriæ clarissimi hominis prospicere noluit. Sed in rebus antiquis atque obscuris, si, quæ similia veri sint, pro veris proponere liceat, satis habebo.

Patriam Homeri per varia & periculosa quærere, operæ pretium esset, si monumenta, quæ rei tam abditæ inveniendæ vel minimam spem fidemque addere possent, veteres tradidissent. Quis vero in tanta fabularum turba vera a falsis discernere potest? Adeo majorum incuria factum est, ut per varios casus rerumque discrimina, instar Herorum quos cecinit, huc & illuc jactatus, certam sedem non habeat ille, cui post mortem templa dicata sunt. Septem tamen celeberrimæ urbes Græciæ inter se contenderunt ambitiose de honore tantum vatem nasci vidisse: certamen tanto gravius, quanto ipsa res obscurior a). Homerus ipse nulla patriam suam indagandi vestigia reliquit, quasi majorem illius cognoscendæ cupiditatem hac dis-

a) Επτα πολεις διεριζουσι περι ριζαν Ομηρου Σμυρνα, Ροδος, Κολοφων, Σαλαμιν, Χιος, (l. Ιος,) Αργος, Αθηναι.

Varro apud Gell. III, 11.

dissimulatione facere voluisset. Tamen si quis res cum clarissimo Wood b) propius examinaverit, & ex veri similitudine pensarit, primordia vitae Smyrna praebuit, Joniae urbs, utrimque nobilis, vicinitate maris rurisque amoenitate, magni ingenii incitamentis.

Altera quaestio, qua aetate Homerus floruerit, non minus anceps est, scriptoribus Graecis & Latinis in diversa tendentibus. Quam pugnam eo difficilius erit dirimere, quo certius constat, Graecos, temporibus Homeri, fastorum aerarumque nomina ac commoda perinde ignorasse c). Si ex verbis, quibus res bello Trojano gestas perscripsit Homerus, conjecturas in opinionem temporis, quo vixerit, ducere liceat, eum bello ipsi interfuisse haud abnuerim. Neque rem justo altius repetiturum me credo, si ad idem quo Troja expugnabatur sae-

b) Robert Wood, Anglus sagaci praeditus ingenio, a secretis olim Cl. Pitt, status Anglici administri. Quantum de Homero meruerit, insigni documento est, inter alia: Versuch über das Original genie des Homers, aus dem Englischen. Francf. 1773. 8.

c) Id. lib. cit. p. 241. seq.

sæculum ejus vitam referam; adeo ut a senibus, qui cum Achille arma contulerunt, vel ab eorum liberis, rerum personarumque notitiam percipere potuerit.

De parentibus Homeri non minus distractæ sunt eruditorum sententiæ; humana cupidine, libentius obscura & incerta tradendi, quam recti ignorantiam profitendi. Antiquitas, divinis humana miscendi avida, a dæmone quodam originem divinæ stirpis Homero adseruit, tamquam per hanc sanguinis gloriam cæteris & rudibus sui temporis hominibus illum eximeret. Quam quidem opinionem ad majestatem vatis, quam fidem lectoris aptiorem esse putamus. Mihi verius videtur, quod Herodoto placet, Homerum patrem quidem incertum, matrem vero Chriteidem habuisse, quæ, furtivo amore gravida, filium peperit apud flumen Meletem, Smyrnam præterfluens, propriam, ut traditur, antiqui cognominis Melesigenis, Homero inditi, originem. Quoniam vero in carminibus Homeri, superstitis memoriæ fideli custode, altum de hac re silentium est, & fabulosa conquirere procul a gravitate operis esse credo, tutius vide-

videtur, eam ut incertam præterire, quam æque incertis cumulare.

Poſtquam paucis, ut in rebus obſcuris decet, oſtenſum eſt, quid de patria Homeri & origine varie fictum & facile creditum fuerit, de ingenio ejus jam eſt dicendum. Sed deſtinata rectius compoſuerim, ſi in hac parte operis paullo altius differuerim, qualis natura patriæ, quæ indoles religionis, quis morum habitus fuerit, ut non modo carmina poëtæ, quæ ubique laudantur, ſed fontes etiam & curſus rerum, in quibus verſatur ſcriptoris ingenium, noſcantur.

§. II.

De Ingenio Homeri, ſacro omnium poëtarum fonte, ſcripturus, ordinem ſervabo, ſi primum omnium de cœlo ſoloque, quo ſalubri & jucundo in ſui famam & totius orbis gratiam vixit viguitque hic vates, pauca præfari liceat. Nemo enim de carmine Homeri recte judicaverit, niſi ſuis aut alienis oculis ſitum & faciem earum viderit regionum, ubi pugnavit Achilles, ubi peregrinatus eſt Ulyſſes, ubi Homerus cecinit d). Igitur,

d) Le lieu de l'action jette de grandes lumie-

tur, etsi mei instituti non est, singulas earum regionum percensere virtutes & gratias, tamen nostri erit officii, unam atque alteram ex ingenti numero nominatim dicere.

Si verum est, de quo omnes consentiunt, cœli temperiem ingeniis suam induere formam, vigorem vel inertiam, credere quoque pronum est, Homerum suas animi dotes, magna ex parte, natali loco acceptas retulisse. Adeo apta est gignendis claris poëtis ora Asiæ minoris. Ut autem Græcia, ingeniorum & litterarum princeps, ita & Jonia, illius colonia & Homeri patria, undique fere mari & periculo circumdatur, crebrisque in vicem tempestatibus, maxime autem zephyro supra fidem vehementi turbatur. At non solum extrema ejus ora cæco volventi fluctu frequenter pulsatur, verum etiam plana & mediterranea loca torrentum fluminumque exundationibus interdum vastantur. Quapropter minime est mirandum, ze-phy-

res sur le recit d'un Historien & eclaircit le plan du Poëte. v. Les Voyageurs Modernes, traduit de l'Anglois, à Paris, 1760. Tom. prem. p. 321.

phyrum, non ut in multis aliis terris, placidum vaporesque salubri temperamento digerentem, sed procellosum, sævum & pertinacem ab Homero depingi. Hinc quoque facile patet, cur Poëta, imaginibus de medio sumtis plerumque utens, pugnas ardentes atque alias graves subitoque ingruentes calamitates in similitudinem tempestatum & exundantium aquarum toties effinxerit: ex quo plurimum evidentiæ, ponderis ac varietatis Poësis Homerica accepit e). Cæterum ut domesticis optime usus est, ita nec alienorum incuriosus, ab iis, quibuscum sui cives commercia exercuerunt, multa & magnifica in sui carminis robur & decus arripuit & expressit. Non vero his rebus contentus, ad quas domi natus vel institutus erat, nullo horridi maris metu, exteras regiones petebat, cupidine visen-

e) Exempla quum ubique occurrant, afferre supersederem, nisi in mentem mihi venissent duo: alterum quo Hectoris in Græcos impetum, sub imagine fluctuum, navem invadentium, nobis exhibet: Il. XV, 624 — 629. Alterum quo perniciosum Diomedis furorem, omnia vastanti diluvio similem vividissime pingit: Il. V, 87 — 94.

fendi novos fitus locorum & ingenia, mores cultusque hominum, & alia, oculis & aditu melius fpectanda, quam auditu & per alienam fidem cognofcenda. Nec mirandum eft, Homerum, erecti ingenii & altæ indolis juvenem, cui patria rudis & inops non fatisfecerat, ad altiora & majora tetendiffe, five ut neceffitatibus vitæ cumulatius fubveniret, five ut cupidini gloriæ ambitiofius pareret. His autem ftimulis ad ingrediendam longi itineris rationem commotus, nulli periculo & labori pepercit, ut optimis alieni orbis tum præceptis tum exemplis auctus domum rediret. Faciem itaque & indolem locorum hominumque diligenter examinavit, vim tempeftatum adcurate notavit, artemque nautarum prope infpexit. Experimentis enim compertum habebat, neminem fore excellentem poëtam, nifi qui omnem omnium artium varietatem conjunxerit. Sed & aliis floruit virtutibus patria & fæculum Homeri, quæ fi minus acuminis, plus tamen gratiæ ad ingenium ftudiumque varis attulerunt; mores, inquam, non corrupti, rufticitas, verecundia & frugalitas, prifcæ fimplicitatis & integritatis imago. At hæc fuo quæque loco referventur: nunc indolem religionis expediam.

§. III.

Quamquam id a natura homini tributum eſt, ut non modo caſus eventusque rerum videre, ſed etiam rationem cauſſasque noſcere poſſit; tamen neſcio, quo infirmitatis humanæ vitio factum ſit, ut hoc cœli templum, hunc terrarum orbem contemplando, originem utriusque & conſervationem ad plures libentius quam ad unum auctorem, unum DEUM, retulerit: antiquiſſimum malum, per ſæcula & regiones diffuſum. Sed ſi qua alia gens, profecto Græci, ingenio in ſuperſtitionem præcipites f), hoc polytheiſmi crimen contraxerunt. Homerique temporibus, innumeris ſe Diis circumdatos ſibi perſuaſerunt, nubibus ſua adeſſe numina, fluctibusque ſua, arbitrati. Quam vero judicii vel fidei levitatem ad audacem fingendi libidinem & vulgarem credendi facilitatem quis retulerit. Ita enim ingenia vulgi ſunt, ut cuique rei mirabili & formidoloſæ aliquid ineſſe ſanctum & venerabile putent, vel id ſibi ab aliis perſuaderi facile patiantur

f) Mirum quo procedat Græca credulitas. Plin. Hist. Nat. l. 8. c. 22. cfr. quoque Joh. Chryſoſtomum.

tur g). Hæc & his similia sacra, quæ vulgus, in rebus divinis temere credere quam vere cognoscere reverentius ratus, complectebatur & fovebat, Poëtæ, sacerdotes, ceterique sapientes non conservarunt modo, sed paullatim etiam auxerunt, ut sub ejusmodi fabularum integumentis aliena vitia & indoctam credulitatem in suam rem & virtutem verterent. Ita de Theologia Homeri est judicandum. Abundant quidem ejus carmina Diis factisque divinis, supra infimæ etiam plebis fidem positis, ut adulteriis, vulneribus, conviciis, stupris & id genus aliis; sed id erat gentilitium, patribus creditum & posteris sanctum, quod non sine sacrilegii crimine violari poterat. Et quis, quæso, ex rebus ab antiquitate traditis, consuetudine firmatis, vulgique assensu consecratis, quidquam commuta-

g) Hunc errorem plerisque gentibus familiarem fuisse, summos habeo auctores: Virg. Æn. VIII, 597. Tac. de mor. Germ. IX. Claud. de laudib. stil. lib. 1. Senec. Ep. XLI. Lib. Sapientiæ, XIII, 2. cfr. Geschichte der Israëliten vor dem Zeiten Jesu l. 14 cap. 1 & 2.

mutare sustinuerit h)? Aperiat verò, qui vera & abdita quærit, fabularum integumenta, & mox, quasi velo detracto, purum intus & sincerum numinis cultum videbit. Morem igitur suorum temporum secutus Homerus, suas imagines, ne aliæ scriptori & aliæ lectori viderentur, ex patriis religionibus & cærimoniis feliciter & magnifice transtulit, quibus quasi involucris quibusdam gravissimos sensus ostendit.

Utrum vero hanc figuratam sentiendi loquendique rationem, qua nihil in rerum natura ad sublimitatem, verborum pondus & sensuum vim ac majestatem, æque compositum est, a se ipso primus omnium arripuerit, an aliunde & ex remotiori aliquo fonte hauserit, nec magni momenti videtur disputatio, nec consilio nostro satis congrua. Dixisse tamen suffecerit, si ad situm regionis, naturam cœli, vitæque institutum adtendamus, non forte defutura esse argumenta, quæ tale scribendi ar-

h) Vous connoissez le peuple & savez ce qu'il ose,
Quand du ciel outragé pensant venger la cause,
Les yeux ceints du bandeau de la religion,
Il a rompé le frein de la soumission.
Volt. Henr. ch. II.

arbitrium his potius locis quam alibi esse conformatum, ne dicam confictum, probare videantur i).

At vero si quisquam miretur, cur ut ceteri poëtæ antiquissimi, sic vel maxime Noster sua sapientiæ præcepta imaginibus potius texerit, quam apertis vocibus exposuerit, is reputet modo secum, hoc ipsum, mente rerum futurarum provida, factum fuisse, ne veneranda arcana si proderentur, ab imperito vulgo, qui res divinas non probo judicio, sed cæca superstitione æstimat, ipsa facilitate parvi fierent k). Ita persuasum ratumque erat, populum, studiis & litteris rudem, quæ non intelligeret, veneraturum, sapientes vero, ad sensum & opinionem penetrantes, quæ indagassent, admiraturos. Ceterum non Historici sed Poëtæ Epici munus ille impleturus, multas quas effinxit res sub symbolis tradere opus habuit l).

tur

i) Satis hoc fuse evolvit Wood, l. c. p. 148. seq.

k) V. L. Küsteri Historia critica Homeri pars I. Sect. VI, 18.

l) Einleitung in die Schönen vissenscaften nach den Französischen des Herrn Batteux von K. W. Ramler, zveyt. band. XII Kap.

§. IV.

Nemo autem de ingenio Homeri recte judicaverit, nisi qui ejus mores cognoverit: quos igitur considerare oportet, ne nostro, ut fit, modulo aliena metiamur, sed Graecorum quasi oculis Graeca cernamus, eorumque opinionibus omnia aestimemus. Nec haec cura, etsi rem & temporum & locorum intervallo a nobis disjunctissimam spectat, difficilis nobis erit. Nam quantum ex carminibus Homeri potest colligi, consuetudo illius vivendique ratio ab ea, quae nostra etiam aetate apud plerosque Orientis populos viget & notissima est, abhorruisse non videtur. Si autem caussam tantae apud Orientales constantiae quaesieris, eam non tam in coeli solique ingenio, etsi id fingendis moribus non nullam necessitatem imponit, reperies, quam in ipsa vitae consuetudine, quae degustata otii, libertatis & licentiae dulcedine, in moratius vitae genus transformari nolit m). Aliam hujus rei *nobis* reddit rationem Montesquieu, summus vir; quam vero

m) Subit quippe etiam ipsius inertiae dulcedo: & invisa primo desidia postremo amatur. Tac. Vit. Agr. C. III.

vero confirmare vel refellere nec mei ingenii, nec propositi est. Eam scilicet contendit esse imbecillitatem illius gentis atque inertiam, ut nullius novi consilii factique capax, inveteratas animi imagines & cogitationes in alias & meliores mutare nequeat vel nolit n). Utcumque hæc æstimata erunt, constat tamen, varia in Arabibus hodiernis, præcipue Beduinis haud ambigua antiqui moris vestigia reperiri, quorum unum alterumque, ne exempla desint, persequemur.

Celebratum illud Heroicum & Pastorale vitæ genus, omnium vetustissimum, amplissimum & sanctissimum, quod ad formandum ingenium Homeri tantopere contulit, servant etiamnunc Beduini Arabesve migrantes. Hæc gens pro multitudine in plures tribus divisa est, quarum quæque suum habet Principem, vel ipsorum vocabulo Scheich, suadendi magis auctoritate, quam jubendi potestate validum & eminentem, cujus bonis auspiciis sedes sibi ac gregibus, ut fons, ut campus, ut pastus placuit, quærunt, mutant & tuentur o). Dominus-

n). Montesquieu, Esprit des loix Tom. II. p. 71.

o) Vid. Description de l'Arabie par M:r Nie-

nusque & servus, soli apud illos tituli honorum & gradus, procul ab urbium libidine & fastu, in tentoriis mapaliisque, sine apparatu, sine deliciis degunt, omni cura in pascendo pecore reposita. Hoc negotium eorum, hoc otium est: hæ solæ spes, hæ gratissimæ divitiæ. Cetera spreta aut ignota. Tam raræ vero temporum felicitati, quæ nihil peregrini & artis, sed plurimum naturæ & simplicitatis habet, originem suam debent crebriores illæ, quibus carmina splendent Homeri, rerum similitudines imaginesque, ex specie agrestis naturæ & vitæ pastoralis consuetndine sumtæ. Innumeris locis fortissimos bellatores Heroësque nobilissimos bestiis, forma, vi aut velocitate conspicuis, ut tauro, armenti gloriæ, arieti compacti velleris, gregem oberranti, leoni, stabulum intrepide subeunti, equo, ruptis vinculis vago, & erecta juba ad pascua festinanti, comparat p). Sic Ajacem, insequentium Trojanorum impetum & tela strenue sustinentem, asino confert pigro, qui in altam immis-

---

BUHR, p. 327. cfr. Les Voyageurs Modernes. Tom. II. p. 320.

p) Il. II, 480 — 483. III, 196 — 198. V, 136 — 142. VI, 506 — 511.

missus segetem, verbera fustesque puerorum nil moratur, nec prius quam cibi modum desiderio & voluptate finiverit, inde cogi se sinit, Il. XI, 557 — 561.

ως δ'οτ' ονος παρ' αρουραν ιων εβιησατο παιδας
νωθης, ω δη πολλα περι ροπαλ' αμφις εαγη,
κειρει τ'εισελθων βαθυ ληιον· οι δε τε παιδες
τυπτουσι ροπαλοισι· βιη δε τι νηπιη αυτων·
σπουδη τ'εξηλασσαν, επει τ'εκορεσσατο φορβης·

Hoc autem scripturæ genus, quo in contentionem passim utitur Homerus, iniquis ejus æstimatoribus peregrinum & pingue quoddam sonans, nec summi viri persona satis dignum videbitur. Sed hi erunt, qui humilia & ab honestate remota, quæ ipsorum institutis non congruant, existimabunt. Velim autem, qui sic judicant, spatium præteriti temporis respiciant. Nam inde usque repetentes facile recordabuntur, ut in factis, ita & in scriptis non eadem omnibus esse honesta & turpia, sed omnia legibus majorum & usu æstimari. Quod cum fecerint, non mirabuntur, Homerum in exponendis & ornandis Græcorum factis gestisque mores eorum secutum esse. Contra dabunt

bunt hanc veniam vetustati & nostro vati, ut arduis & sui temporis ac loci imaginibus libere utatur, modo res & personas fortius & significantius describat.

Subit autem hoc in loco animadvertere, hoc dicendi genus, summa figurarum varietate & copia distinctum, Sacris quoque vatibus valde placuisse. Ut Homerus, sic illi imaginibus de medio ductis utuntur, tam aptis & venustis, ut his nihil vel ad illustrandas res clarius vel ad amplificandas grandius concipi possit. Communis autem vitæ ratio Hebræis olim æque ac Græcis simplex fuit, gravis & naturæ conveniens, procul a luxu, levitate & superbia, quæ apud alias gentes humanissimæ artes jactatæ sunt. Hebræi legibus & sacris a cæteris diversi, satis habuerunt, colendis terris & curando pecori operam dare. Hinc mirum non est, eorum Scriptores ab aratro & stabulis innumera, quæ in oculis omnium & animo versabantur, in suam rem explicandam vel augendam transtulisse. Si quæ hujusmodi rerum species sordidæ & humiles videntur; id non illis scriptoribus, qui suis imaginibus, audacibus cum sum-

ma

ma dignitate utuntur, ſed nobis, quibus nihil rectum eſt, niſi quod noſtris moribus conveniat, tribuendum eſt. Multa quidem ſunt in Hebræorum monumentis exempla, quæ per ſe ſpectata multum demiſſi & obſcuri continent; ipſa autem imaginum congruentia & proprietate vim ſublimitatis ea habent. De his varie & copioſe agere, non mei eſt inſtituti; tamen ad rem illuſtrandam unum alterumque exemplum proponam q). Eſt apud Ieſaiam, omnium Prophetarum loco & dignitate principem, agreſtis vitæ imago, ex re levi & humili, areæ & trituræ modo, petita & expreſſa; quæ autem rei maximæ & graviſſimæ, iræ divinæ, impios conculcaturæ & profligaturæ, ſplendorem & pondus addit. Cap. XLI, 15, 16.

הנה שמתיך למורג
חרוץ חדש בעל פיפיות:
תדוש הרים ותדק
וגבעות כמץ תשים:

תזרם

q) De hac ut de ceteris stili Hebraici virtutibus satis fuse & pro dignitate disseruit Cl. Lowth in libro, qui de sacra Poësi Hebræorum inscribitur, lect. XII:a.

תזרם ורוח תשאם
וסערה תפיץ אתם:

"Ecce feci te traham; tribulum novum, in"structum dentibus; triturabis montes atque com"minues, & colles tanquam in glumam rediges; "ventitabis eos, ventusque auferret, & turbo eos "dissipabit." Ad effigiem hujus Hebrææ sublimitatis accedit vis & audacia comparationis Græcæ, ex area etiam & tribulo ductæ, qua Homerus equos Achillis, mortuos & clypeos conculcantes, cum domitis bobus, hordeum in area tribulantibus, contendit, Il. XX, 495 — 499.

ως δ' οτε τις ζευξη βοας αρσενας ευρυμετωπους,
τριβεμεναι κρι λευκον ευτροχαλω εν αλωη,
ριμφα τε λεπτ' εγενοντο βοων υπο ποσσ' εριμυκων.
ως υπ' Αχιλληος μεγαθυμου μωνυχες ιπποι
στειβον ομου νεκυας τε και ασπιδας· —

Innumera autem sunt apud Homerum in hoc genere, quæ in se spectata minus apta & decora videntur; multo tamen elatiora apparebunt, si cum iis rebus, quibus illustrandis inserviunt, animo simplicitatis & antiqnitatis memori conferantur, & tam-

tamquam tabulæ bene pictæ in bono lumine collocentur; quo facto laudata erunt vel excusata.

§. V.

De iis rebus, quæ Homerum nascentem circumsteterunt, ejusque ingenium & mores formarunt, supra memoravi a): jam restat, ut de lingua, qua suas naturæ & fortunæ dotes in rerum hominumque memoriam & laudem contulit, breviter & simpliciter disseram. Primordia Græci sermonis multi scriptores varie & dubitanter exposuerunt: nostra erit cura, proxima primordiis, quoad poterimus, tradere.

Nondum Græca lingua, libertate & eloquentia, per oratorum & poëtarum studia ac certamina, fastigium formæ & elegantiæ ceperat, quum Homerus, ingenio potius & vi naturæ, quam institutione & litteris, carmina conderet. Vetat autem rei vetustas faciem hujus linguæ, qualiscunque in ore vulgi, libera, nec legibus metri vincta, fuerit, clare intueri & recte cognoscere, licet ad fidem maxi-

a) Vide hujus Dissertationis particulam primam, anno proximo editam.

maxime pronum ſit, Homerum, ut Jonibus & civibus placeret, ſublimem ſuum ſpiritum ad communem eorum vocem accommodaſſe. In rebus tantæ antiquitatis conjecturæ locus erit & venia. Jonibus, ut ceteris Aſiæ incolis, ad ingenium & voluptatem natis, id a cœlo temperato divitique ſolo tributum erat, ut quæ ſenſui grata & judicio pulchra eſſent, facile perceperint & mature concupierint: ex qua felici naſcendi ſorte & vivendi conſuetudine id quoque habuerunt, ut lætiſſime cogitata ſuaviſſime eloquerentur b). Sic deſideria mentis vocesque oris tam varie & jucunde modulabantur, ut ſuavitatem cantus & leporem Muſices iis adjecerint. Quæ autem facultas in par commodum & ornamentum poëtis etiam ceſſit. Ut æra nos tinnitu & homines ſono diſtinguimus, ita Græcos jucundo & urbano ore dignoſcebant antiqui. Cum litteræ Romanorum, teſte Quinctiliano c), ſurdum quiddam & præpingue, horridum & triſte ſonant, tum eæ, quæ Græcorum ſunt, niſi vitium ex peregrino & barbaro ore acceſſerit, jucun-

---

b) v. Iselin über die Geschichte der Menschheit p. 1. pag. 396.

c) lib. XII. c. X.

eunde & hilariter spirant. Suavis est earum concursus, laudabile vocalium & consonantium temperamentum: asperam lenis, duram flexibilis, rigidam mollis sequitur. Ex quo facilis, clara & suavis pronuntiatio existit, ad aures & animos accommodata. Tantam vero sermonis gratiam, quam jure hæreditatis acceperat Homerus, cura & nitore ita temperavit, ut ipsos Græcos, homines subtilis judicii, suo carmine, velut quodam fascino, quocunque voluerit, impellere potuerit, in bibliothecis, in theatris, sive vera, sive ficta protulerit.

Ceterum vetustissimi mortalium, studiis & verbis rudes, nulla vana cupidine, sine luxu & libidine, sine gratia & ambitione agebant. Tantæ vero innocentiæ fiducia securi, sensa animorum, non verbis ornata, sed candoris plena, simpliciter & sine arte depromebant. Nam sui cuique mores ut fortunam, ita linguam fingunt d). Accessitque simplicitati magna quoque verborum, ut paupertas,

ita

---

d) En nations språk är en tafla som föeställer hela dess lefnads art och tänkesätt: ett sammanhang af alla dess begrepp, uttryckta med ljud eller ord. MURBERG, Inträd. Tal uti Svensk. Acad. 1787.

ita & proprietas, ad rerum intelligentiam, non hominum delectationem, conformata. Artes enim & disciplinæ, ut nondum novas res in amorem & usum casu vel consilio attulerant, ita nec novas verborum & sensuum formas in veterum fraudem permutando aut mutuando induxerant. Et si unquam, profecto illis temporibus, cum scribere nondum didicissent homines, simplici hoc dicendi genere, nec poëtice nec oratorie mutato, uti debuerint, ut cum significantius & decentius non possent, clarius & expressius suam mentem exprimerent. Si autem lingua, quæ plus naturæ quam artis habet, poëtam, naturæ interpretem, maxime decet, ætas Homeri in illa tempora, quæ priscam virtutem & simplicitatem referebant, optime incidit.

§. VI.

Nec desunt aliæ linguæ Græcæ virtutes, æque nobiles & æstimatæ, ingenio vatis æque utiles & paratæ, accentus inquam, litterarum tenores, quibus velut jucundo quodam cantu verba gens sua regebat, & syllabas vel acute elevabat, vel graviter deprimebat, vel flexe circumducebat. Tantorum gratia fuit, ut Latini, quibus ultima syllaba

ne

nec intenta unquam, nec inflexa cecidit, sed inclinata semper sonuit, cum suave carmen componerent, illius rigorem vocabulis Græcorum mollierint e). Sed non modo suavitas toni & vocis, sed etiam copia verborum, varietas dialectorum, inter se differentium, particulas & vincula sermonis addendi aut abjiciendi libertas, & voculas atque syllabas, metri & harmoniæ caussa, mutandi aut transponendi potestas, multum ad poëtæ ingenium & carminis facilitatem contulerunt. In his autem rebus Romani Græcis multo inferiores erant; qui itaque, cum copia & splendore verborum non possent, sublimitate sententiarum, modo & judicio rerum, inventione, circuitu & nitore Græcos adæquare studuerunt.

Nec parum Homero ad heroici carminis sonum profuit illa fingendi vis, qua Græci sonis rerum hominumque affectibus nomina aptarunt. Eorumque delectui tale judicium & compositioni talem artem adhibuit Noster, ut non vox humana sed ipsa natura loqui videatur. Sic præcipitem equorum cursum descripturus, ea celeritate ver-

e) Quinct. lib. XII. c. X.

suum utitur, quæ vi & impetu cum illorum velocitate contendit:

Οιοι τρωιοι ιπποι, επιςαμενοι πεδιοιο
Κραιπνα μαλ' ενθα και ενθα διωκεμεν ηδε φεβεσθαι.
Il. V. 222.

Sic cum saxum in verticem montis volvitur, hic labor versibus, magnitudinem molis operisque tarditatem imitantibus, depingitur:

λααν βαςαζοντα πελωριον αμφοτερῃσιν
Od. XI. 593.

At quum ingens lapis gravi casu deorsum ruit, ipse quoque versus, (res miranda) consilio poëtæ & ingenio, præceps cum illo ferri videtur:

αυτις επειτα πεδονδε κυλινδετο λαας αναιδης;
Ibid. 597.

Sic quoque horrentia Martis descripturus, iis verbis utitur, quæ duro consonantium & vocalium concursu, conflictum pugnantium & fragorem armorum referre credes.

§. VII.

Nostrum jam esset, Homericam poësin propius inspicere, ejusque naturam & formam accu-

re-

ratius exponere; sed laboris erit pretium, nec ab instituto alienum, diutius quibusdam meritis Homeri immorari, antequam hanc materiam, fusius in tempore tractandam, aggrediamur. Juvat artes & disciplinas, ut tunc erant, contemplari, & quantum Noster illis doctus fuerit, noscere. Juvat, quis status artium, & quæ illas posteris mandandi via & ratio illis temporibus fuerit, paullo altius repetere, ut, quæ Homeri fuerit, saltim conjectura assequi possimus. Utrum hic vates scribendi artem, qua nihil majus, nihil melius humana mens invenit, perspectam sibi habuerit, & in sua carmina converterit, res est, quæ diu multumque in quæstione versata est. Sunt, qui affirment, sunt, qui abnuant. Etsi carminis epici difficultas & libri moles jubent, ut ad illorum opinionem accedamus, tamen aliæ sunt rationes, quæ hortantur, ut horum sententiam sequamur. Raræ per ea tempora litteræ, nec nisi Phœnicibus & Hebræis cognitæ. Ubi autem nulla verborum signa inventa erant, imbecillitati humanæ memoriæ ars fingendi & versus faciendi subveniebat. Ægyptii & Sinenses hieroglyphis, Cherokei & Mexicani monilibus tanquam ipsis rebus insignes rerum humana-

rum

rum casus expresserunt f). Græci autem, non ineptis his rationibus & rudium gentium exemplis, sed potius carminibus, veritatis historicæ fidis præconibus, memoratu digna per diversas ætates transmiserunt. Rudisque & antiqui ævi non modo ingenium, sed etiam sermo tulit, ut res, præclare dictæ vel gestæ, simplici oratione & dramatico more in scenam quasi prodirent. Nec hoc satis. Cantum quoque & saltationem addere placuit: quas res secuta est poësis, primum liberior & Hebræa, certis quidem verborum intervallis, non autem accuratis demensa, deinde adstrictior & Græca, justis numerorum pedumque legibus circumscripta. Hinc prima historiæ monumenta metrice condita. Exemplaque remotissimæ vetustatis, sacra, profana, ad usum fidemque non desunt. Lamechi ad uxores effatum, sensu quidem obscurum, in disticha autem sibique recinentes sententias distributum, manifestum est vetustissimæ & mature communis poë-

f) Roehlers Samlung neur Reisebeschreibungen Th. I. §. 76. Baumgartens Allgemeine Geschichte der länder und Völker in America Th. I. §. 233. Idem l. c. Th. II. §. 38.

poëſeos ſpecimen g). Germani, ut Iſlandos & Scandinavos taceam, ſuos majores, gentis conditores vel heroas, concentu carminis & virtutis celebrarunt h). Arabes in ſuis conventibus, domeſticis vel ſolemnibus, arma viroſque antiqui orbis cantando tribulium animos ad nobilis imitamentum virtutis certatim accenderunt i). Et quidem antiquitus idem carminum, qui nunc litterarum, uſus; major autem quam ſolutæ orationis. Quæ enim metrice compoſita ſunt, ut aures & animum jucundius afficiunt, ita in mentem altius penetrant, & memoriæ firmius inhærent. Neque hæc tam facile, quam proſaica, caſu vel ſtudio mutantur, addendi detrahendique libidinem impediente metro. Sic & comites Muhammedis ſelecta ejus dicta diu memoria tenuerunt, antequam in unum volumen, cui Coranus nomen, collecta fuerint. Quam memoriæ felicitatem etiam noſtra ætate apud Orientis non modo Muſlemios, ſed etiam Chriſtianos & Judæos reperiri, teſtatur Cl. Præſes. Sic Lycurgus ſuas leges non litteris conſignatas, ſed me-

g) Gen. IV. 23, 24.
h) Tacit. de Mor. Germ. c. 2.
i) Pœock. ſpec. Hiſt. Ar. p. 159.

memoriæ mandatas reliquit. Hinc antiqui Mnemosynen coluerunt, eamque poëtæ in ipso carminis exordio precati sunt, ne recens ficta, nec monumentis annalium mandata, memoria elabi pateretur k). Sed multo facilius fuerit Græcis, carmina Homeri quam Arabibus, capita Corani, memoriter complecti. Illa enim omnia justis numerorum spatiis demensa sunt, ut singula cum grata recordatione in mente versari possint. Hæc autem inæquali versuum interstitio, brevissimo vel longissimo, distincta, & uno eodemque ac per universum caput recurrente rhythmo terminata, fastidiose in mentem & lente in memoriam veniunt. Sed quid multa? Ad nostrum redeam. In tantæ magnitudinis opere, antiqui temporis imagine, nulla, quantum liquet, mentio est librorum, nulla legum scriptarum, nulla vestigia, unde discernere possumus, litterarum usum cognovisse Homerum. Contra gravissimi scriptores fatentur, divina Homeri carmina non ab ipso litterarum elementis prodita, sed memoriæ Homeridarum commendata, ab iis per multa sæcula memoriter recitata, & Athenis

nis

k) Diodor. Sic. lib. VII.

nis demum collecta annaliumque monumentis inserta esse l). Quin etiam constat, per multas post Homerum aetates Grajas apud gentes non alia viguisse scripta, quam poëtica, unde leges ipsae metrice & ad musicos modos compositae erant m): provido consilio, ut memoriae earum consuleretur. Primus, qui prosam orationem in lucem attulit, erat Pherecydes, insula Syro oriundus, Cyri temporibus, aliquot post Homerum saeculis: quem aliquanto serius excepit Cadmus Milesius n). Tamen non negaverim, temporibus Homeri artem ali-

l) Josephus contra Appionem lib. I. Pindarus Nem II. 1. ad quem locum v. Schol.

m) Athenaeus lib. XIV. 3. Ælian. Var. Hist. lib. II. 39. Aristot. Probl. sect. 19. Quaest. 28.

n) Strabo, Geogr. lib. I. Plin. Hist. Nat. lib. VII. 56. Quibus addas Isidorum, qui, Sciendum, inquit, tam apud Graecos, quam Latinos, longe antiquiorem curam carminum fuisse, quam prosae. Omnia enim prius versibus condebantur: prosae autem studium sero viguit. Primus apud Graecos Pherecydes Syrius soluta oratione scripsit; apud Romanos autem Appius Caecus adversus Pyrrhum solu-

aliquam per signa & figuras cogitata exprimendi notam fuisse. Fertur enim Bellerophon Lyciæ regi tristia ΣΗΜΑΤΑ, in plicata tabella i. e. libello s. codice scripta, tradidisse: quæ hic princeps vidisse & intellexisse memoratur o). Qualia autem & quæ hæc signa fuerint, in ambiguo est. Nec Apollonius Sophista p) hoc vocabulum ΣΗΜΑ alio, quam ΣΗΜΕΙΟΥ signi explicavit.

§. VIII.

Si ex iis, quæ supra disputata sunt, vero simillimum est, artem scribendi nostro vati ignotam fuisse, tanto pluris æstimandum erit illius ingenium, quod, licet styli auxilio caruerit, tamen cæteros poëtas, qui optimo hoc dicendi magistro & effectore usi sunt, ingenii operibus æquavit vel superavit. Qui rem aliquam scribendam adgreditur, non iis, quæ statim se offerunt, semper acquiescit, sed judicium inventis, & ordinem probatis adhibet. Et quidem veteres, ut delendi potestatem & ad-

tam orationem primus exercuit. Isidor. Hispal. Orig. lib. I. 27.

o) Il. VI. 168, 176, 177, 178, 179.

p) Lexicon Homericum.

addendi locum haberent, ceris ſcribebant, vacuasque tabellas in utroque latere relinquebant. Quod autem illi hac extrinſeca ope & arte in ſummam laudem effecerunt, Homerus ſola mente & cogitatione in maximam admirationem conſecutus eſt. Secum meditans, ſecum loquens, ſine pergamenæ & calami uſu & beneficio, ex mentis receſſu & memoriæ theſauro ſubtiliter cogitata & graviter dicta depromſit, junxit, ornavit, ſuſpecta retractavit, ſequentia prioribus junxit, tumentia preſſit, humilia ſuſtulit, & ſoluta compoſuit. Quin pondera rerum numerosque verborum ita inter ſe verſavit, diſpoſuit & copulavit, ut non optime finxiſſe, ſed diligentiſſime ſcripſiſſe videatur. Tantamque dicendi facultatem, quam nulla ſcribendi cura aſſecutus ille fuit, certe mireris, niſi dixeris, nec impetum cogitationis tarditate manus, nec vim memoriæ ſecuritate ſtyli relaxatam fuiſſe. Et ſi hic vates, ut pingitur, cæcus fuerit, locorum amœnitas & circumſpiciendi libertas beatum & exelſum animum ab intentione operis avocare non potuerunt.

§. IX.

Quamquam vero ſub grato citius quam rigido cœlo ſtudia artium, more plantarum, naſci ſolent,

lent, tamen in patria Homeri aut florere nondum cœperant aut in flore ipso perierant. Satis habuerunt vetustissimi mortalium eas colere artes, quæ non ad ambitionem nominis, sed necessitatem vitæ pertinebant. Neque non ista scientiæ ratio, per longum temporis cursum, suæ origini similis, rudis inquam & inculta mansit, nondum invento aut vulgato scribendi arcano q). Tamen etsi hic status rerum morumque habitus erat, gloria carminum, antiquissimum generis humani in litteris studium, satis vigebat: cujus rei grandia sunt documenta Ilias & Odyssea, maxima, quæ struxit genus mortalium, ingenii monumenta. Nec Musicen suis gratiis caruisse, nec illam Homerum ignorasse, credere licet. Hæc enim ars tam arcto cum poësi nexu jungitur, ut olim iidem musici, & vates & sapientes haberentur. Testes sunt clarissimi poëtæ, qui in conviviis heroum Deorumque laudes fidibus & tibiis, voce & modulatione cantabant r). Cæterarum vero disciplinarum varietatem & elegantiam cognovisse non videtur Homerus: quibus exi-

q) Iselin lib. cit. p. 2. pag. 100.

r) Quinct. lib. I. c. VIII.

exigua initia ratio, & pauca incrementa exercitatio tunc temporis dedisse existimetur. Fuere tamen, qui Homerum, ne ullius gloriæ expers esset, Medicinæ, Astrologiæ multarumque artium scientiam tenuisse putarent, quibusdam ejus vocabulis adducti, quæ terminos technicos barbari nominarunt. Sed cogitent velim, alia non extitisse tunc vocabula ad res illas describendas, quam quibus usus est, quæque postea in artibus hisce vicem terminorum habuerunt. Quapropter accuratam talium rerum descriptionem sagacitati scriptoris prudentius tribuerim, quam cognitioni artium, quæ vixdum natæ, ne dicam perfectæ erant, adscripserim.

§. IX.

Si autem Homerus disciplinarum, quarum ratio decursu temporum hominumque experimentis continetur, imperitus fuerit, profecto earum, quarum cognitionem in sensu communis vitæ & moris versatur, non rudem illum fuisse putemus. Bellum Trojanum, quæ arma & vires exercituum, quæ consilia & certamina ducum, & quæ utrinque prospera vel inprospera fuerint, ita cecinit, ut non

ca-

casus solum eventusque rerum, sed ratio etiam & caussæ in aperto sint. Ex quo egregium illum antiquitatis historicum fuisse, facile quis dixerit. Nec illius fides suspecta videatur. Nam quo propior fuit illis temporibus, quorum fata cecinit, eo melior veritatem noscendi occasio ei contigit. Neque nomen Philosophi Homero detrahatur. Idem præceptor morum dicendique magister fuit: sapiensque, non concise & minute concludendi arte, sed graviter & copiose differendi facultate, abditos mentis recessus, variosque animorum adfectus & intimos fontes actionum indagavit & expressit, & quid inceptu & exitu pulchrum sit, quid fœdum, exemplis, non cassis & quæsitis in ostentationem, sed vivis & manifestis in utilitatem ostendit. Etenim sive de rebus divinis, religione & responsis augurum, sive de humanis, honesti & justi disciplina, differit, ambiguas aperit, perplexas discernit, falsas dijudicat, veras colligit, iis verbis & sententiis, eo pondere & decore, ut animos legentium vel audientium ad studium veri & amorem boni docendo delectandoque commoveat & accendat. Profecto, qui optima dicendi exempla vivendique præcepta quæsierit, apud alium nec antiquiora nec illustriora inveniet.

§. X.

§. X.

Expositis supra, quæ de Homeri genere, vita & moribus accepimus, ad opera ejus & poëmata ventum jam est. Et quum ea est conditio poëseos, ut aut suavitate vocis & sono aures, aut gravitate cogitationis & sensu animos afficiat vel delectet, consilium inde nobis, pauca de modo numeroque versuum, mox stilum ipsum singulatim tradere, sine fuco & blandimentis, quorum necessitas procul abest. De his autem facilius fiet judicium, si primum omnium ipsa stili poëtici natura in considerationem venerit. — Licet poëtis, quibus delectare proprium est, peculiare & sui tantum simile dicendi genus consectari, sonans, exquisitum & illustre. Satis non est, rem, qualis est, nude, aperte, temperate disponere, sed ad eorum pertinet officium, quod elatione sensuum magnificum, affectuum motibus animatum floribusque stili ornatum sit, quærere, arripere, toto nec vulgari sermonis habitu, concentu metri, artificio fabulæ & veritate imitationis legentium animos penetrare, percellere, delectare, & propria quadam libertate perrumpere claustra, quibus communis sermo continetur. Egregios inquam nobilesque affectus commo-

movere, poëtarum eſt opus; & ea, quæ cogitatione vix aſſequi poſſumus, oculis ut conſpiciamus, effingere, illorum honos eſt. Hinc illa gratia & varietas imaginum, in evidentiam vel granditatem effictarum, hinc Metaphoræ ceteræque Figuræ, quibus, quaſi luminibus, mirum quantum ſcripta poëtarum ornantur.

§. XI.

Dicendi quicunque artibus ſtudet, eum non magnitudini modo ſenſuum, ſed compoſitionis quoque ornatui conſulere decet, ut laudem vulgi, judiciumque doctorum ſuavitate orationis & pondere promereatur. Habet enim hanc dignitatem ſuavis, ſplendida & elata compoſitio, ut fontem ſublimitatis animique imperatricem Longinus illam nominarit, velut quæ non ad movendos modo & delectandos animos, ſed ad implendas mentes generoſo & ſublimi ſpiritu valeat s). Nec hoc Poëtis ignotum, qui magnam laudabilemque in eo operam ponunt, ut verſus ſuavi litterarum ſonitu & temperamento, facile molliterque profluant, ad au-

s) Longinus, περι υψους, Sectio VIII & XXXIX.

aures & ingenia juxta compositi. Scilicet concursum vocalium, asperitatem consonantium & litterarum similitudinem, quæ omnia sonum efficiunt hiantem & confragosum, ubique, nisi natura rerum impedimento fuerit, fugere student. Græci autem, quibus non alia gens ore & lingua subtilior, ut in multis aliis sic & hac in arte excelluerunt; nec satis scio, an quisquam hac gratia oris Homerum adæquaverit ne dicam superaverit. Hujus carmina facillime & jucundissime fluunt spirantque: nihil in iis vel voce absonum, vel numeris rigidum, vel syllabis durum occurrit: canora est verborum structura, suavis & elatus sonorum concentus, omnia ad numeros & modos composita: summæque harmoniæ plurima est varietas. Quemadmodum Musicus spatia nervorum, ita hic poëta intervalla carminum plurimis modis distinguit, summittit, auget, extenuat, inflat; ita ut horridis & hilaribus, tristibus ac lætis, tardis celeribusque sui semper numeri, grati vel asperi, teneri vel graves, pro modo habituque rerum respondeant.

§. XII.

Si vero magna dicendi laus est compositionis sive dictionis splendori bene consulere, major erit id

ita

ita facere, ut voces quasi chorda redditæ affectionibus rerum significandis inserviant. Inest quædam indoli mortalium cum numeris cognatio, qua sonus verborum rebus accommodatus, plus interdum quam ipsa verba afficit & flectit, in morem hominis, qui corpore squalidus vultuque mœstus, specie tristi validius quam multa prece movet. Ita ut oratorem oportet apta elocutione sic etiam, decet poëtam verbis numerose cadentibus, quantum possit, rerum affectibus satisfacere. De hac autem gloria carminum, lusu poëtarum carissimo, haud opus est multa disserere: quomodo Homerus eam consecutus sit ostendere, hæc mea cura, hoc officium. — Jucunda & mollia descripturus, vitare studuit, quæ sonum asperum rigidumque efficere possint, vocalibus gratis lenibusque consonantibus utens. Hinc melleum Nestoris eloquium verbis, quæ mira mulcent dulcedine aures, depingit:

τοισι δε Νεϛωρ
ηδυεπης ανορȣσε, λιγυς Πυλιων αγορητης,
τȣ και απο γλωσσης μελιτος γλυκιων ρεεν αυδη.
Il. I. 247.

Re-

Rebus vero gravibus verba auditu aſpera mirificè accommodavit. Sic ſonitum maris ad ſcopulos allidentis, fluctusque ad littora continentis murmur tali vocum ſtrepitu exprimit, ut ſævitiam pelagi tempeſtatisque furentem audire potius quam deſcriptam legere nobis videamur:

Ροχθει γαρ μεγα κυμα ποτι ξερον ηπειροιο.

Od. V. 404.

ιστια δε σφιν

τριχθα τε και τετραχθα διεσχισεν ις ανεμοιο.

Od. IX. 70.

Aſſeverant, quibus genera & ſpecies ſoni ſcrutari contigit, ſyllabas has rudes ſæpiusque repetitam litteram σ in vehementia turbinum exprimenda plurimum poteſtatis habere. Sed dici vix poteſt, quantum ad varios rerum affectus ſignificandos valeant ipſi pedes, quorum ſpondæi ſua tarditate vim & gravitatem rerum optime exprimunt:

Και μην Σισυφον εισειδον, κρατερ' αλγε' εχοντα,
λααν βασταζοντα πελωριον αμφοτερῃσιν.
ητοι ο μεν σκηριπτομενος χερσιν τε ποσιν τε,
λααν ανω ωθεσκε ποτι λοφον· — —

Od. XI. 592.

Rerum viciſſim celeritati nihil æque convenit ac frequens dactylorum uſus, quorum natura inſignem præ ſe rapiditatem fert. Specimini nobis erit locus ille eximius vereque ſublimis, ubi verſus Homeri iis paſſibus præceps Neptuni iter ſequuntur, ut curſu æquare Deum aut ſuperare videantur:

Βη δ' ελααν επι κυματ'· αταλλε δε κητε' υπ' αυτω
παντοθεν εκ κευθμων, ουδ' ηγνοιησεν ανακτα·
γηθοσυνη δε θαλασσα διιςατο· τοι δ' επετοντο
ριμφα μαλ', ουδ' υπενερθε διαινετο χαλκεος αξων·

Il. XIII. 27.

Particulas etiam, ex quibus magna & commoda & ornamenta carminibus accedunt, ad varios affectus imitandos dextre adhibitas videbis. Sic illis ſolito crebrioribus utitur Noſter, ubi Calchantem, Agamemnonis ira trepidum, ita infert hæſitanter loquentem:

Ει περ γαρ τε χολον γε και αυτημαρ καταπεψη,
αλλα γε και μετοπισθεν εχει κοτον, — —

Il. I. 81.

Hæc & his ſimilia exempla facilius quis lecta apud Homerum cognoverit, quam a me explicata intellexerit.

§. XIII.

§. XIII.

De ſtilo Homeri ſpeciatim dicturus, non niſi principem ejus virtutem, quæ ſublimitatem ſpectat, attingere inſtitui. Qua autem ſic valuit Homerus, ut cum nemo proprietate in parvis, tum nec quisquam elatione in magnis eum ſuperaverit. Heroes ſua Deorumque potentia venerabiles, prœlia dira & odia, concuſſi tonitru cœli, & validis ictibus tempeſtatibusque quaſſata tellus, res ſunt, quibus ille non flectit animos, ſed rapit, non movet, ſed percellit. Quin vel nihil dicendo, ſublime quiddam præ ſe ferre videtur. Exemplo ſit Ajacis illud (Od. XI. 542.) ſilentium, quo neſcio an quid ſublimius unquam dictum fuerit. Ita Chryſes, poſtquam filiam ademtam prece vel pretio redemturus, in caſtra veniſſet Græcorum, tacitus inde, acceptâ repulſâ, abit:

Βη δ' ακεων παρα θινα πολυφλοισβοιο θαλασσης.

Il. I. 34.

§. XIV.

Homerici autem ingenii altitudo in magnitudine animi Heroici exprimenda, quum ubique emi-

eminet, tum vel maxime in illo loco cernitur, ubi magnanimus, sed in angustiam adductus Ajax describitur. Oppresserat jam Græcos & pugnæ moram fecerat obductæ instar noctis atra caligo, quum Heros, certaminum avidus, æstu & indignatione ita Jovem obtestatur:

Ζευ πατερ, αλλα συ ρυσαι υπ' ηερος υιας Αχαιων
ποιησον δ' αιθρην, δος δ' οφθαλμοισιν ιδεσθαι·
εν δε φαει και ολεσσον —— ——

Il. XVII. 645.

"Jupiter, his noctis tenebris nunc eripe Achivos!
"Redde diem, lucemque oculis, hostemque tueri:
"Et vel perde datâ. —— ——"

Non vita, qua homini nihil carius est, sed prima lux, qua forti ad decertandi pericula nihil illustrius, in voto fuit talia vociferanti:

Εν *δ' επεσ' ως οτε κυμα θοη εν νηι πεσησι*
λαβρον υπο νεφεων, ανεμοτρεφες, η δε τε πασα
αχνη υπεκρυφθη, ανεμοιο δε δεινος αητης
ιστιω εμβρεμεται· τρομεουσι δε τε φρενα ναυται
δειδιοτες· τυτθον γαρ υπ' εκ θανατοιο φερονται.

Il. XV. 624.

"Ac velut insano sævit quum turbine pontus.

In-

"Insurgunt fluctus, celeri supereminet ingens
"Unda rati, totamque insulæ aspergine spumæ
"Obruit, & fesso ventorum pondera malo
"Incumbunt: gelidos nautis pavor occupat artus;
"Eripiuntur enim vix sævis faucibus Orci."

Hac visionum congerie, hoc tempestatum fluctuumque furore, & quod terrori cumulos addit, plurium conjunctione præpositionum sonoque rudium syllabarum, ita Hectoris in Græcos impetum pingit, ut ad terrorem periculi rerumque perturbationem an sit quidquam efficacius dubitem.

Quid porro vel ad Deorum majestatem grandius vel ad hominum admirationem amplius imaginibus hisce fingi aut dici potest:

— — τρεμε δ᾽ ουρεα μακρα, και υλη
ποσσιν υπ᾽ αθανατοισι Ποσιδαωνος ιοντος.

Il. XIII. 18.

"— Montes magni & nemora alta tremebant
"Qua sua Neptunus vestigia dia ferebat."

ut &

Η, και κυανεησιν επ᾽ οφρυσι νευσε Κρονιων

αμ-

αμβροσιαι δ' αρα χαιται επερρωσαντο ανακτος
κρατος απ' αθανατοιο· μεγαν δ' ελελιξεν Ολυμπον.
Il. I. 528. t)

"Dixit, nigrisque fuperciliis annuit Saturnides.
"Ambrofiæ autem comæ defluxerunt regis
"Ex capite immortali: magnumque concuffit Olympum."

Neque minus fuis adjunctis & imaginibus grandis ille

---

t) Il dit & fait mouvoir ses sourcils redoutables;
Ses cheveux ondoyans en replis innombrables
Se dressent lentement sur son front radieux,
Il ebranle l'Olympe & fait trembler les Dieux.

On ne sçauroit trop repeter, pour faire sentir l'union des arts qui tiennent à l'imagination, que ce fut cette sublime peinture, qui suivant Macrobe, fit naitre sous le ciseau de Phidias la fameuse statue de Jupiter Olympien. Scaliger a rejetté cette observation de Macrobe: on s'est moqué de Phidias, dit-il, ou Phidias s'est moqué de nous. Ce Sculpteur avoit-il besoin d'Homere pour sçavoir, que Jupiter devoit avoir des sourcils & des cheveux. Que repondre à ces sortes des critiques? ce seroit vouloir disputer des couleus avec un aveugle. Rochefort. Il. I. 518.

Ille locus est, ubi pugnas Deorum Homerus de-
scripsit:

Εδδεισεν δ' υπενερθεν αναξ ανερων, Αϊδωνευς,
δεισας δ' εκ θρονου αλτο, και ιαχε, μη οι υπερθε
γαιαν αναρρηξειε Ποσιδαων ενοσιχθων,
οικια δε θνητοισι και αθανατοισι φανειη
σμερδαλε, ευρωεντα, τα τε συγεουσι θεοι περ.

Il. XX. 61.

"Expavit nigri Plutō dominator Averni;
"Exsiluitque tremens solio, metuensque ruinæ,
"Horrendum inclamat, ne conquassata tridenti
"Neptunus solvat divolsæ viscera terræ,
"Et cælo ac superis pateant informia regna,
"Regna situ squallentia, & ipsis horrida divis."

Spirant quiddam hi versus tam excelsum tamque mirandum, ut, etsi majestati Deorum haud convenire videntur, ad reditum tamen Magni Achillis nihil re & dictu cogitari grandius & terribilius potuerit. Quassata terrâ & cuncta hujus universi mole dirupta, cœlum, tartara, mortalia, immortalia prœlio & periculo inferuntur.

XXII.

XXII. DE EDUCATIONE PUERILI APUD SPARTANOS.

§. I.

Ad magna & honeſta non natura homines, ſed ſæpe cura deficit. Hebetes enim & indociles animi tam rari, quam prodigioſa corpora, innotuere. Hæc vidit Lycurgus, & ut vitiis, quæ in utero matris gigni, natos ſtatim excipere, & per ſingulos ætatis gradus augeri ipſi viſa ſunt, remedia inveniret, operam dedit. Arduum id conſilium; tamen feliciter ceſſit. Documento ſunt fata ipſius Spartæ, quæ, diſciplinæ & ſeveritati Lycurgi quamdiu honos ſtetit, per quina ſæcula non tantum floruit, ſed & Græcarum civitatum princeps, & arbiter interdum fuit a). Lycurgiani autem moris, ubi primum incuria, & mox inſcitia invaluerat, vernaculis decliciis & voluptatibus præceps ivit imperi-

a) Plutarchus in Lycurgum, T. I, p. 58.

perium; quod hostes iique potentes labefactare & evertere frustra tentaverant. Fingendæ autem formandæque a pueris tantæ virtutis rationem in præsenti dissertatione adumbrare animus est.

§. II.

Ut ordo servetur, primum omnium videndum est, quantam curam sobolis, & ante ipsum ejus natalem, Spartani egerint. Delicate & molliter vivere feminis Spartæ non solum turpe, sed & legibus incongruum fuit. Mos erat, currendo & luctando se exercere, ut viribus non minus animi quam corporis consuleretur. Virisque neo matrimonia ante justam ætatem contrahere, nec uxores nisi clam adire licuit, quo generandi amor augeretur, & robora parentum liberi referrent b). Infans vero in lucem editus ad consessum seniorum, & quidem suæ tribus, statim delatus est: quo loco inquirentium, an integra nec ullis vitiis detorta ejus natura esset, oculis & judicio subjiciebatur c). Si debilis aut deformis coram repertus

 est,

b) Xenoph. de rep. Laced. p. 675, 676.

c) Plut. in Lyc. T. I, p. 49. ὅθεν οὐδὲ ὕδατι

est, sententia legibus lata, expositus ille, quasi sibi & patriæ non saluti, sed oneri foret, in voraginibus Taygeti vitam finivit. Si vero satis firmitatis & pulcritudinis aderat, exsultabant parentes, & qui interfuere, sibi & patriæ gratulantes, spem futuri interpretabantur d). Vita & republica dignum eum deinde judicatum excepit educatio, non ea, quæ infantiam deliciis solvit, & jam humanitas vocatur, sed dura, & quæ artus stringit, animumque vigore, ut membra bono sanguine, & lineamenta oris decore & rubore implet. Recens enim natus non in lectica crevit, sed in scuto vagivit, circumdatis hastis & armis, quasi non aliud quidquam prius adspicere, appetere atque amare Spartano conveniret e). Infantibus autem tutela mu-

---

τα βρεφη αλλ' οινω περιελεν αι γυναικες, βασανον τινα ποιεμεναι της κρασεως αυτων· λεγεται γαρ εξιςασθαι τα επιληπτικα και νοσωδη προς τον ακρατον αποσφακελιζοντα τα δε υγιεινα μαλλον ςομεσθαι και κρατυνεσθαι την εξιν.

d) Plut. ibid. p. 49.

e) Thucyd. l. 2, c. 39.

muliebri avita & propria virtus steit; & coram matre aut nutrice dicere, quod turpe dictu, aut facere, quod factu inhonestum erat, impune non abiit. Atque ut minæ inanes, ita plagæ, si immeritæ essent, animum dejicere, aut effrenatum magis reddere, quam emendare ducebantur. Sicut etiam, quia formandi in prima ætate pudoris cura fortitudinem in cetera vita spectavit, fabulis & erroribus, qui mos est ancillarum, teneros & rudes animos imbuere & terrere flagitium erat. Sed natos in libertate libertatis spiritum ducere, & intrepida mente esse decebat, tamen magna cum verecundia f). Licentiæ enim non fuit locus, per quam impudentia paullatim, & sui alienique contemtus irrumpit; quod in republica bene constituta semper vitatum fuit & vitabitur.

§. III.

Par eorum, quæ secuta sunt, sollertia fuit. Cum septimus annus ageretur, & ubi domesticæ disciplinæ satisfactum erat, studia extra limen proferebantur. Publicis præceptoribus tum liberi traditi sunt. Neque hi mercede conducti. Honestior

f) Plut. in Lyc. T. I, p. 49.

or enim & tutior per virtutem, quam per pecuniam ad affectum pædagogi via esse credebatur. Et ut animi in obscuro & solitudine torpescere solent, ita in scholæ frequentia, quo lætius, eo magis profici persuasio erat g). Neque ullius ordinis distinctio; sed liberis principum atque humillimi civis nihil non institutionis commune fuit; quippe natos in eadem patria ad eadem officia uti diversa præcipientium voce aut manu, nefas id & libertati contrarium erat h). Itaque universæ juventuti præficiebatur summorum magistratuum unus, ætate & experientia spectatus, tituloque παιδονόμου ornatus, qui non modo studia & curas, sed otia etjam & lusus rite ac providenter temperaret. Adolescentes congregare, eorum certaminibus præesse, laudare promtos & castigare segnes, huic delatum erat. Et in signum auctoritatis præibant ephebi, qui avocamenta vitiorum & flagella secum tulerunt. Qui autem summus juventutis moderator si abesset, ejus munus quivis civium eodem jure obiit. Et ut ingeniis moribusque meli-

us

g) Plut. ibid. p. 50.

h) Aristot. de rep. l. 4, c. 9, p. 374.

us consuleretur, juventus in classes dividebatur; quas singulas duceret, qui alacritate & prudentia commilitones praestare cognitus fuit. Nec ullo unquam tempore, sine hujus ductu & exemplo, luctae & cursui aliisve ludis vacare licuit. Laboribusque fessi atque domum reduces cum suo ἀνρεsigniano discubuerunt; ubi tamen non cibus in medio positus, aut famulus a latere fuit; quoniam ipsis ligna & cetera, quae vitae necessitatibus subveniant, certatim parare injunctum fuit. Cum autem parum eis alimenti a parentibus daretur, ut famem, si e re esset, facilius perferrent, & satis audaciae ad pericula adquirendi, satisque consilii inter ipsa pericula esset, quicquid ad satietatem defuit, ex hortis, vel ex mensis publicis surripere, honestum iis & lege concessum erat. Tamen deprehensi in facto contumelias & verbera ignaviae tulerunt i). Et sicut ad cibi potionisque, ita ad omnis laboris & doloris patientiam nulla non ratione formabantur Lacones. Hinc peragrare saltus Taygeti, apros aliasque feras transfigere, & interdum cum ar-

i) Xenoph. de rep. Laced. p. 676, 677, 678: & Plut. in Lyc. p. 50.

armis eruptiones facere, quasi hostis in limine esset, hæc juventæ exercitatio, hæc gloria fuit k). Ita ætas ad tricesimum annum, quo aliquantum laxamenti accepit, & munera ambire licuit, transacta est per ludicras, sed severas artes; qualis fuit, cui Platanista nomen dicitur, certamen, ab octodecim annos natis initum. Scilicet certaturis usitatum fuit, ducibus electis, duas acies, alteram alteri adversam, componere, noctuque ad sollemne & quidem canis sacrum Marti faciendum coire. Inde duos apros, in futuræ cladis vel victoriæ omen, utrimque vociferando concitare religio erat. Sequenti autem & medio die procedebant in campum, signoque dato, inermes congrediebantur, sua singuli virtute securi. Acerrime tum & quasi in bello pugnatum est, & questus aberant, etsi victoria sine sanguine non semper stetit. Quin usque ad cædem sæpe sævitum fuisset, nisi vox seniorum, quibus spectaculo adesse voluptas & officium erat, furoris modum retinuisset l).

§. IV.

k) Xenoph. ibid. p. 680: & Plato de rep. T. 2. l. I, p. 633. Obs. Taygetus erat mons extra Spartam. Plut. T. 2, p. 1158.

l) Cicer. qust. Tuscul. T. 2, l. 5, cap. 27, p. 383.

§. IV.

Si humanum & civile est, amorem patriæ, cultum virtutis, & reverentiam senectutis teneræ & innoxiæ, tamen ad vitia pronæ ætati, inculcare, Spartanorum hæc laus fuit. Sanctum iis, & numinis quasi loco habitum est patriæ nomen: nec unquam a parentibus sine honore id repetitum fuit: explicato, id unum & simplex religiones, templa, aras, focos & penates, munimenta, fora, instituta, leges, omnia complecti. Hinc liberis tantus amor patriæ concitatus est, & crevit cum annis, ut pro salute ejus ipsam profundere vitam non dubitarent. Qui vero moriendi contemtus verum nascendi pretium æstimabatur m). Et ex tanta tamque universa virtute natæ sunt ceteræ & minores, pax in foro, concordia in senatu, moderatio in judiciis, superiorum reverentia, pietas in parentes, & mutua inter notos, ignotos caritas. Ne exemplum desit, ea ætatis verecundia erat, ut venienti seniori assurexerit aut via decesserit junior. Sic & providenter instituerunt majores, ut proclives in iram & verbera pueri manus manicis munirent. Quo ac-

m) Plut. de instit. Lacon. T. 2. p. 238.

accessit, quod, quia hæc ætas ingenio, lingua, habitu motuque procax esse solet, per silentium adstare aut incedere, nec oculos circumferre, sed defixos in terram habere, ad illius regimen id quoque pertinebat n). Quæ præterea victus, eadem cultus simplicitas fuit. Balnea, calceos, unguenta experiri ut vetitum, ita una eademque veste per omnes anni tempestates uti jussum erat, ne quid propter voluptatem cuperent, aut propter molestiam recusarent o). Spartanis denique non minori curæ temperatio somni, quam laboris tolerantia fuit. Quies enim non molli arcessita est strato, sed *alga* & humus cubile erat p). Ita per ignaviam, luxum & libidinem, antiquissima mala, quibus multa eaque prævalentia imperia ad alios transierunt, non attritæ sunt Spartæ vires; sed nulla unquam respublica

n) Plut. ibid. p. 227. εκεινων γ'ουν ηττον μεν αν φωνην ακυσαις, η των λιθινων, ηττον δε μεν ομματα μεταστρεψαις, η των χαλκων, αιδημονεστερους δε μεν αυτους ηγησαιο και αυτων των εν τοις θαλαμοις παρθενων. Xenoph. de rep. Laced. p. 679.

o) Xenoph. ibid. p. 677.

p) Plut. in Lyc. T. I, p. 50.

ea bonis legibus moribusque ditior fuit, nec quæ tam sero vi, ambitu & pecunia turbata est.

§. V.

Quamquam fortitudo & patientia Spartanis in amore, tamen studia litterarum in fastidio non fuerunt. Sapientiæ vero ut modum ita delectum tenere, & utilia splendidis anteferre eruditi erant. Artem itaque oratoriam, quæ in locum teli reperta, magisque turbamentum legis & justitiæ quam munimentum visa est, fugiebant aut nesciebant q). Multa & celeberrima fori ingenia Athenæ, nulla Lacedæmon tulit. Poësin autem colere & carminibus merita defunctorum celebrare juniorum certamen erat. Insanum & lubricum forum, casta autem Musisque sacrata solitudo videbatur: & præclare gesta canere ut honestum, ita male admissa defendere turpe ducebatur r). Ipseque Lycurgus, ab itineribus redux, secum duxit rapsodias Homeri, ut virtutum imagine, quæ in iis expressa est, juvenum animos ad similia accenderet s).

q) Quinctil. instit. Orat. l. 2. c. 17.
r) Plut. instit. Lacon. T. 2. p. 238.
s) Præf. Iliad. Homeri editæ Argentorati p. 15.

Præcepta autem religionis noſcere, acute cogitare, probe diſcernere, & breviter diſſerere, eo ſpes patriæ, votum parentum, cura præcipientium & induſtria diſcentium rediit. Quæ ſtudia ſi exceperis, ceteras diſciplinas nullius in vita civili & communi uſus aut ornamenti eſſe, fides fuit t). Pari modo, ut ingenium & judicium excoleretur, poſt epulas proponebantur quæſtiones, quas excipere, juventutis officium, & ſolvere laus erat. Quin & inter ipſas epulas ſeniorum jocoſis aut ſeriis intereſſe, reſponſa interdum dare fas erat, quo lætis aut gravibus, pro tempore, cogitationibus juniorum animi adſueſcerent u). Hæc præcipua ſunt pueriliis & Spartanæ educationis monumenta, quorum cultu neglectuque Sparta viguit ceciditque.

---

t) Plut. Apophth, Lacon. T. 2. p. 217.
u) Plut. in Lyc. T. 1. p. 50 & 51.

XXIII. SOLENNIA GRÆCORUM FUNEBRIA.

§. I.

Ut Deo altaria condere & ſacra facere, ita mortuis ſepulcra parare & juſta perſolvere, omnibus civitatibus, magnis, parvis, cultis, barbaris, quæ aliquem religionis ab inſtitutione & humanitatis a natura ſenſum acceperunt, commune fuit. Et quidem apud nonnullas minus flagitium habebatur, templa Deorum diripere, quam defunctos ſupremis honoribus privare: quaſi pœnam ſacrilegii illi repetere, hi non poſſent. Sed paullo altius repetendum videtur, unde tanta erga homines poſt fata pietas exſtiterit. Dignitas & virtus ſunt res, quæ ſui reverentiam & amorem pariunt; ita ut, quanto quis fortunatior & melior ſit, tanto plus gratiæ & favoris conſequatur. Utriusque exiſtimatio, quanta maxima eſſe poteſt, in mortuos convenit. Quis enim gradu honoris & ſanctitate vitæ cum iis in terris comparandus? Ab omni conta-

gione

gione mortali ſejuncti nec vitiis humanæ infirmitatis obnoxii animi, ex infimo & gleboſo noſtro orbe, in altiſſimum & ſtellarum plenum locum evolarunt, ubi Deum intueri, cœlitum ſermoni intereſſe, & ævo atque gaudio ſempiterno frui licet. Hujus gloriæ nulla invidia comes: quo enim ſublimior, eo minor illius umbra eſt. Accedit alia res, quæ facit, ut de mortius bene exiſtimetur, aut certe male non dicatur. Ex ambitu eorum, vi & pecunia nihil periculi noſtræ vitæ, famæ & fortunæ timetur. Sunt ignes, qui lucent, non incendunt: ſpecies, quæ non niſi ſuperſtitioſos terrent: & monumenta, quæ juxta viam poſita transeuntes non offendunt. Ubi vero offenſionis, odii & iræ cauſæ nullæ aut procul ſunt, ad benevolentiam & favorem inclinat animus. Virtutes igitur, quamquam mediocritatem non ſupergreſſæ, tamen ſupra modum laudantur, & umbræ ferali ſimiles, ſuis perſonis ſæpe majores monſtrantur; vitia contra excuſantur magis, quam vituperantur, nec tam rationi & conſilio, quam humanæ infirmitati & temperamento tribuuntur. Nihil fere mali invenitur, cui non remedium fingatur. Sic apud Græcos, qui aliquid de inimico poſt mortem malitioſe & per

redi-

ridiculum dixerat, non solum nota infamiæ distinguebatur, sed etiam secundum leges Solonis gravi pœna afficiebatur. Qui rursus amico sollennia pietatis solvere neglexerat, sicut privatim infidus & fallax, ita in commune exitiosus, nec dignus, cui pars reipublicæ & magistratus committeretur, judicabatur. Qui demum in funere propinqui lamenta & lugubrem vestem ante tempus deposuerat, cum memoria illius, cum quo in eadem domo adoleverat, benevolentiam quoque erga cæteros, quibuscum in eadem civitate vivebat, perdidisse ferebatur. Referebat, ex opinione omnium, ille feram, quæ quamcunque aliam, suique similem, accedere vivam non audet, illius cadaveri insedens, membra & ossa corrodit & distrahit, iste inhumanum, qui humi jacentem suique impotentem complecti & extollere aversatur, & hic ingratum, qui fortunæ se, non homini amicum fuisse testatur. Tanta fuit defunctorum reverentia & cura: quam auxit hæc superstitio & fides, animis in campos Elysios aditum non patere, nisi corpora humo mandata fuerint. Quare dirarum maxima fuit, insepultum jacere, & rogationum suprema, exsequiis decorari. Nec quisquam

hoc

hoc honore caruit, nisi qui hostis reipublicæ & tyrannus cognitus erat, (eadem enim servitus, sive domi, sive peregre oriatur), aut qui mortem sibi consciverat, (ignave enim mori, & patriam deserere, par crimen ferebatur); aut qui fulmine tactus, sive luxu & libidine exstinctus erat, (alter enim Deo invisus, alter humano generi perniciosus judicabatur): quorum itaque cadavera, extra confinia projecta, feris & avibus in prædam inhumata cesserunt. Sed funebris pompa & ratio, pro diversitate temporum, locorum, & ingeniorum, alia aliis, simplicior, magnificentior, placuit: quæ Græcis in usu fuerit, exponere, nostrum studium & periculum erit. Cum vero omnia, quæ huc pertineant, parvo libello complecti non possim; ut ea tantum, quæ illustriora sunt, generatim strictimque persequar, veniam peto.

§. II.

Primum omnium nobis repetendum videtur, quæ in desperata salute & ipsa morte cæremoniæ Græcis fuerint. Cum aliquis gravi morbo laboraret, rhamni & lauri ramum ante fores ponere spes & medicina erat. Illarum enim arborum prior

or malum quemcumque genium limine arcere, & posterior sanitatis Deum placare credebatur a). Ut autem omnes, qui fato concesserant, in potestate Deorum inferorum esse, ita nec eorum animos ex corporum custodiis, nisi capitis crine abscisso & consecrato, excedere posse, existimatum est: ex quo Didoni mortem oppetere non licuit, donec Iris a Junone missa, illud beneficium in eam, longo dolore & furore luctantem, contulisset b). Hic vero mos ex victimis, quarum pili in fronte resecati tanquam primitiæ Diis superis offerrentur, ad homines, qui Inferis sacrificia ablegarentur, translatus videtur. Qui enim fatum exciperet, Mercurium, Deorum in terris nuntium, hominumque ad Inferos ducem, precabatur, ut felix sibi faustumque in regnum Plutonis iter esse juberet. Atque amici & cognati, qui interfuerunt, ad moribundi cubile, magnæ mœstitiæ & reverentiæ servato silentio, accesserunt, ut deficientem foverent, exspiranti assiderent, osculo complexuque satiarentur, ipsum spiritum quasi exciperent, & supremas voces, cum hono-

a) Laërtius in vita Bionis lib. IV. segm. 57; Euphorionis fragmentum.

b) Æneid. lib. IV. v. 693.

honore repetendas, animo penitus infigerent c). Neque non confuetudo hæc antiquiffima, & cum Hebræis communis fuit. Apud Molem enim inyenio, Jofephum in collum fui parentis, mortui in lecto jacentis, illapfum effe, & ofculum cum fletu dediffe d). Et denique quo temporis momento quis de vita decedebat, æra pulfare facramentum fuit, ut horrendo eorum fono cacodæmones, quorum formæ aëriæ fuftinendo aëris conflictui impares credebantur, territi diffugerent, animoque facilem & a furiarum infidiis tutum in campos Elyfios & beatorum fedes tranfitum præberent e). Si vero quis repentina morte fine dolore & remedio periiffet, hic cafus, fi virum eripuiffet, ad Apollinem, fi mulierem, ad Dianam referebatur: quas divinitates, pro fole & luna fæpe pofitas, in res animatas & inanimatas magnam ut generandi ita perdendi vim haberé antiquitas putavit f).

§. III.

---

c) Il. w. v. 743. Valer. Maxim. lib. II. c. VI.

d) Genes. 50: 1.

e) Potteri Archæol. Græc. p. 545.

f) Il. ω. v. 75. 7. Iliad. ζ v. 205. Il. τ v. 59. Odyss. ο v. 406. Odyss. λ 170.

§. III.

Simulac quis animam efflaverat, oculi, os & reliqua membra componebantur: cauto, ne quid aut circumſtantibus adſpectu horridum, aut habitu inhoneſtum occurreret g). Eadem quoque ſollicitudo Romanis: cujus exemplum nobis eſt Auguſtus, qui die ſupremo ſpeculum petiit, & capillum ſibi componi malasque labentes corrigi juſſit h). Faciem deinde, pallidam & exſanguem, tegere, pars etiam verecundiæ fuit i). Funeris autem cura & ſumtus ad genere proximos pertinebat, ſi excipias viros excellentes, qui pecunia ſæpe publica efferebantur. Corpusque bene lavatum & nitide unctum, ſplendida veſte, ut plurimum albi coloris, qui ſimplicitatem & innocentiam ſignificaret, a capite ad calcem obvolvebatur k). Lacedæmoniorum vero ferale amiculum ru-

g) Odyss. λ v. 419.
h) Sveton. in Augusto c. XCIX.
i) Eurip. in Hippolyto v. 1548.
k) Plin. Nat. Hist. lib. XIII. c. 1. Ælian. Var. Hist. libr. I. c. XVI. Il. 6. v. 352. Odyss. β v. 96.

rubra fuit tunica, quam vulgo milites gerebant, nec ea nisi præstantissimis concessa, ut incitamentum virtutis haberetur. Incongruum enim esse putavit Lycurgus, ut qui dure & graviter vixerant, delicate & molliter sepelirentur l). Proxime ornamentum capitis & corona accedebat, digestis invicem floribus & frondibus: ut illo insigni mortui vel sicut victores in ludis, confecto suæ vitæ curriculo, redimirentur, vel tanquam felices in æterno convivio, sertis floridis ramisque viridibus decorato, lætarentur m). Postrema collocandi cura erat. Cadaver in ipso vestibulo ponebatur, ut omnibus inspicere liceret, defunctus vi & vulnere, an morbo & ex natura exstinctus fuisset: & donec illinc sublatum esset, custodia habebatur, ne quid mali & dehonestamenti consilio hominum aut casu rerum accideret n). Et paullo ante quam efferretur, primum nummus, Charontis per Stygem & Acherontem remigis præmium, deinde placenta, Cerberi rabiosi apud inferos janitoris delinimentum, in

os

l) Ælian. Var. Hist. l. VI. c. VI.

m) Clem. Alexandr. Strom. lib. II. c. VIII.

n) Il. Τ v. 23. 212.

es ingerebatur o). Ut & per omne illud tempus, pro defunctorum foribus, non solum eorum crines, in luctus & mœroris signum, januæ appensi, sed etiam aquarum lagenæ, in ædium hominumque lustrationem, collocatæ erant p). Exsequiæ sic celebratæ. Juvenes maturæ ætatis sub aurora efferebantur, ne sol egregiam spem & formam immatura morte cecidisse videret: cæteri interdiu, quia noctu furiæ, quæ lucem fugiunt, prodire credebantur. Ritus Athenienfum contrarius, qui hæc pietatis sollennia ante lucem obierunt. Humeris vero, feretro, aut scuto funus gestabatur, ut in cœlum & sidera tolli videretur. Et comitabatur magna vulgi frequentia, proxime cognati & amici, qui effuso fletu & planctu, sed remotiores noti & invitati, qui composito ore & vultu mortuum prosequebantur. Pompaque funebris jam equis vel rhedis, jam pedibus ducebatur. Attamen aliquando præibant viri nudo capite, & agmen mulieres claudebant q).

§. IV.

---

o) Potteri Palæogr. Gr. p. 551.

p) Euripid. Alcestide v. 98. Helena. v. 1446.

q) Euripid. Troad. v. 446. Idem de Alceste v. 607. Virgil. Æneid. lib. X. v. 505. Terent. Andria Act. I. Scen. I. II. ψ v. 133.

§. IV.

Luctus vero funebris vita & moribus in mœstitiam conformatis exprimebatur. Magna tum cupiditatum moderatio & in victu temperantia. Epulisque & comessationibus indulgere, theatris & ludis interesse, in forum & hominum adspectum prodire, ut levitatis signum, ita parce & sobrie vivere, seriis rebus intentum esse, & in opaco & solitudine versari, honestatis exemplum erat r). Par cultus disciplina & severitas. Ornamenta omnis generis, gemmas, aurum, coronam, purpuram exuere, vestemque nigri & lugubris coloris, promiscui & vilis pretii, circumdare, is verus decor, & conjunctissimi cujusque pietas habebatur s). Sed non corporis modo ornatus, sed honos etiam verticis detrahendus erat. Ipsa coma, qua formosa & calamistrata, promissa & fucata tantopere superbierunt Græci, in publico funere ab omnibus, in privato a propinquis & amicis tondebatur, in rogum aut tumulum conjicienda. Nec hoc satis. Ad ipsa jumenta, & aliquando res inanimatas glabre-

r) Eurip. Alcest. v. 343.

s) Lycophr. Cassandra v. 859. Ovid. Metam. Lib. VI. Tab. VII. v. 566.

bretum extendebatur, ut diffuſa per univerſum deformitas miſericordiam excitaret. Sic, mortuo Pelopida, etiam jubas equorum totonderunt Theſſali: & Alexander, in luctu Hepheſtionis, non modum idem fecit, ſed etiam murorum pinnacula dirui juſſit t). Et ne quid honeſti ſupereſſet, ſed omnis ſive dignitas virilis, ſive venuſtas muliebris lugubrem & triſtem adſpectum referret, mœrore obrutus in qualore jacebat, & terræ ingemiſcens in caput cineres ſparſit, vultumque fœdavit: quaſi luto & ſordibus ardor doloris relaxaretur, & adſperſo pulvere interclusus ſtupore ſpiritus meare liberius poſſet u). Ad animi dolorem etiam cruciatus corporis acceſſit. Moris enim fuit, ora unguibus lacerare, ut oſtenſo ſanguine inferis ſatisfieret, pectora palmis percuttere, ut vox ſummi luctus acerbitate oppreſſa reciperetur, & capiti manus imponere, ut deliquium mentis ſignificaretur v). Magna etiam in publico triſtitiæ ſpecies. Nam

---

t) Il. ψ v. 135. 141. Æschylus χοηφοροις. Alcest. v. 428. Plut. in Pelopida.

u) Il. ω. v. 637. Il. σ. v. 23.

v) Nonnus Dionys. lib. IX. v. 293. Servius in Æn. lib. XII. Eurip. Helena v. 377.

Nam capite velato, quasi præ pudore candidæ & lætæ lucis, lentoque gradu ut in pompa ferali incedebatur x). Et in luctu sollemni conciones sacræ & profanæ intermissæ erant, fora vacua, balnea non frequentata, tabernæ clausæ, officinæ tacentes, & talis per omnia facies, habitus & status, qualis in publica calamitate esse solet y). Et denique ad augendam funeris celebritatem arcessebantur quoque lamentatrices, quæ dolore ad vivum simulato, & musici, qui concentu ad tristitiam composito, quem mœroris affectum illæ & hi induerant, in alios transferrent, & teneras circumstantium mentes in fletum commoverent & traducerent z).

§. V.

Ad ipsas exsequias jam sermo pervenit, quarum duplex fuit ratio, altera humana & contumulationis, quæ antiquior, & regnante Cecrope a), altera barbara & combustionis, quæ recentior, & in

x) Antholog. lib. V. epigr. XXXIII.

y) Diog. Laërtius in vita Socratis.

z) Potter. Palæogr. Gr.

a) Cicero de legibus lib. II.

in bello Trojano Græcis in usu fuit b). De utraque paucis disseram. Corpus, quod inhumaretur, in feretro resupinum jacebat, ut cælum Deorumque sedem contemplaretur, in tumulo autem caput occidenti obvertebatur, ut lucis originem & solis ortum intueretur c). Duoque, tria, immo quatuor cadavera in uno sepulcro condere, Megarensibus honestum, plura vero in eodem tumulo componere, Athenienfibus turpe fuit. Tamen qui necessitudine vel usu conjuncti erant, nec in morte separandi videbantur d). Ubi vero quis cremaretur, silva cæsa, materia congesta, & lignorum strues facta est. Hæ tamen pyræ, prout nobilitas, patrum merita, ætas aut virtus erat, magnitudine differebant. Et in summo reponebatur cadaver, cæsis ovibus aut bovibus, ut eorum adipe opertum, jactis facibus, cito consumeretur e). Illata quoque unguenta, & incensi odores: item quæ cuique vestes fuerunt, in flammæ alimentum injectæ. Tamen & in his

b) Homeri Scholiastes in Il. α.

c) Ælian. Var. Hist. lib. VII. c. XIX.

d) Plut. in. Solone.

e) Il. ψ v. 164. Plut. in Sympos. lib. III. quæst. II.

his luxuriæ, quæ genti tam grata erat, modus definitus fuit, ne supremo honori superstites vitæ subsidiis carerent f). Militum vero arma cum ipsis combusta g). Rogumque accendebant cognati & familiares, qui votis nuncupatis, ut corpus in cineres mature consumeretur, pocula ardente pyra hauriebant, & glicentem desinente flamma ignem vino exstinguebant h). Suprema vero pietas fuit, ossa & cineres colligere in urnas, pro defunctorum conditione diversas, ligneas, lapideas, argillaceas, argenteas vel aureas: quæ antequam humo committerentur, in casu singulari floribus & sertis decorari, vulgo peplis operiri solebant i).

§. VI.

Quamdiu Græci agreste & barbare sine obsequio legum, auctoritate principum, & cognitione literarum, ut fons, ut nemus placuit, coluerunt, funeris quoque pompa rusticitatis & simplicitatis fuit

f) Plut. in vita Lycurgi.

g) Odyss. λ v. 74.

h) Il. v. 192.

i) Il. ψ v. 254. Il. ω v. 795.

fuit imago. Sine sumtu & apparatu cadavera humo mandata sunt, ut sicut corporis succo & vapore superficies tumuli quotannis, ita animi virtute & memoria nomen defuncti in perpetuum vigeret & floresceret. Cum vero animus, sua natura celsus & erectus, litteris & artibus tanquam instrumentis sublimis rapi cœpisset, gratia suæ ætatis non contentus, pompa etiam funeris nobilitari concupivit. Solus hic ampli patrimonii aut paratæ fortunæ fructus supererat. At vero bene de republica ingenio aut opere meruisse, & in animo atque ore hominum vivere & versari, non satis grande sollertiæ aut virtutis pretium erat. Ut priscæ virtutis non minus incitamenta quam humanæ mortalitatis exempla haberentur, defunctis splendida condere monumenta quoque cœptum est. In his autem major artis ostentatio, quam naturæ imitatio fuit. Non satæ arbores, quæ manum Dei simularent, aut congesti lapides vel aggeres, qui operam humanam dissimularent, sed saxo polito strata sepulcra, positæ columnæ, & addita ornamenta, quæ conditoris & mortui honorem dividerent. Sed antiquitus, cum minus cupiditatis & plus religionis esset, in sua quisque æde & solitudine, si fa-

ma parva, in celebritate vero urbis & conventu, si magna esset, inhumatus aut combustus fuit. Sic in medio foro Themistocli tumulum Magnesii exstruxerunt, & in Dianae templo Euchidam Plataeenses sepelierunt k). Recentius, postquam major sui quam divini cultus invaluisset cura, extra pomoeria oppidi aut pagi justa mortuis persolvere usitatum fuit, ut remedium esset adversus casus ignis, si concrematio placeret, adversus contagionem aëris, si contumulatio. Idem mos adhuc Orientalibus est, in quorum sepulcris etiam cupressi, atrae & inferis consecratae, seri solent, ut conceptos cadaverum vapores salubri temperamento huc & illuc digerant & ministrent. Tamen ut in multis aliis, ita in his a reliquis Graecorum institutis dissentiebat Lycurgus, qui mortuos intra civitates, & circa templa sepelire Lacedaemoniis concessit, ut vulgi superstitionem, contactu eorum vivos pollui, tolleret, fidem vero, in mortis periculis facillime homines inclarescere, faceret. Singulis praeterea familiis sua erant sepulcra, & iis inferri adeo in voto fuit, ut Lacedaemonii, instante

k) Plutarchus in vita Themist. & Aristid.

te cum Messenis concursu, de sepultura magis quam de salute solliciti, tesseras dextro brachio deligarent, insculptis suis & patrum nominibus, quorum titulis & signis, si confusa cæsorum lineamenta essent, stirps cujusque & majorum monimenta internosci possent l). Sed Græci, ut non suæ tantum ætati, sed etiam futuris seculis vixisse viderentur, in eorum monumentis, ut quisque ingenii operibus aut animi virtutibus cognitus erat, nomen defuncti, simulacrum oris, aut forma mentis effingebatur. Tali enim modo, quicquid sive magnum coluerat, sive bonum amaverat antiquitas, legere, videre, & moribus exprimere posteritas potuit. Sic tumulus Isocratis imagine eloquentiæ & Sirenis, & Archimedis monumentum instrumentis magistri & sphæra ac cylindro notabatur.

§. VII.

Exsequiis peractis, quæ cæremoniæ tum & deinceps fuerint, nunc scribam. Cum, quæ magna, rariora sint, ad sepulcrum ut plurimum, qui vulgaris hominis honos, in concione autem & pro rostris

l) Just. lib. III. c. V.

roſtris interdum, qui clarioris erat, perorabatur. Apud Athenienſes, & quidem juſſu ſenatus, in memoriam civium, de republica bene meritorum, funebris oratio habita eſt: nec in ea ſatis vel gloriæ defunctis, vel exempli vivis ineſſe credebatur, niſi per ſingulos annos & conſtituto die renovata fuiſſet m). Documento eſt illa pulcherrima, qua Lyſias eos, qui Corinthiis opem ferentes occubuerunt, laudavit, & quam Iſocrates in ſuo panegyrico imitandam ſibi propoſuit. Tamen hæc conſvetudo ſupra ætatem Solonis vel Periclis, qui primi artem dicendi, alter ut leges, alter ut obſequia populo perſvaderet, intuliſſe exiſtimantur, repetenda non videtur. Antiqui enim, apud quos boni mores plus, quam bona verba valebant, honeſtius putarunt, de laudibus mortuorum tacere, quam vera & falſa in fraudem poſterorum juxta dicere. Præmium virtutis ex judicio conſcientiæ, non ex ore vulgi petebatur. Ut autem non minus oculis inſigne ſpectaculum, quam auribus ſvave lenocinium exhiberetur, ludis etiam & certaminibus funera celebrata ſunt. Exemplo ſunt Miltia-

m) Cicero de Orat.

tiadis apud Herodotum, Timoleontis apud Plutarchum, & Patrocli apud Homerum. Et ut recens animi dolor, qui omnem consolationem rejiciebat, molli quadam humanæ voluptatis medicina leniretur, epulis in ædibus cognatorum paratis turba funebris interfuit, olim tacita, posteris autem temporibus in laudes defuncti nimis effusa n). Quoniam vero cadaver, quicquid circa fuisset, suo fœtore polluisse credebatur; domus, qua elatum erat, igne & sulphure, & homines, qui illud viderant aut tetigerant, aqua & ramo olivæ lustrari debebant: quo facto, templa demum adire, & sacra facere licebat o). Et tandem in sepulcro lumina pinguis olei incendere, aut tumulum floribus purpurei coloris & odoramentis varii generis conspergere, atque defuncto libamina sanguinis vel alius expressi liquoris fundere, hæc omnia, diebus anniversariis, pro conditione cujusque & facultate, magnificentius aut parcius facere, pars religionis

&

n) Demosth. Orat. pro Corona. II. ω v. 801.
o) Virg. Æneid. lib. VI. v. 229. Eurip. Iphigenia Taurica v. 390. Odyss. χ v. 481. 492.

& officium humanitatis fuit p). Memoratis Graecorum funebribus supremus hic cumulus accessit.

XXIV. PRUDENTIA CIVILIS OTTOMANNICA.

§. I.

Si omnis pars cognitionis humanae utilis est & honesta, certe ea, quae vitam moresque hominum spectat, amplissima est & jucundissima. Delectat varietate rerum, prodest copia exemplorum, & naturam humanam omnemque vitae rationem, vim virtutum, pravitatem vitiorum, & notitiam eorum, quae nec in virtutibus, nec in vitiis poni solent, tradit; dissimulato monendi consilio, & deposita philosophiae severitate, dialecticae frigidis praeceptis disciplinaeque moralis nudis sententiis. Cum autem

p) Anacreon ode de Rosa. Ejusdem ode de Se Ipso. Odyss. λ v. 26. 29.

tem tali modo res & perſonas tractet, eventus narret, & cauſſas explicet, non tam exſanguia morum exempla oculis proponit, quam vivas eorum imagines rationi oſtendit & affectibus miſcet. Memorando enim, quod contigit, inſinuat quoque, quid contigiſſe potuerit aut oportuerit. Si autem ſalubre & frugiferum eſt, clarorum virorum facta moresque cognoſcere, multo amplius & uberius erit, totius cujusdam civitatis imaginem, in illuſtri monumento poſitam, adire & intueri. Cum vero ex alieno bono vel malo utile ſumi poſſit exemplum, uſus illius, quod ex publico capitur, latius patebit. Sed aut magnitudo propoſiti argumenti me fallit, aut nullum fuit imperium, quod plura, quam Ottomannicum, vel honeſtatis & prudentiæ, vel turpitudinis & inertiæ documenta dedit. Exemplo nobis erunt illa arma & conſilia, quibus primum & quidem brevi tempore domi militiæque eo crevit, ut Euphratem & Donaum conjungeret, quibus autem deinceps & paullatim ſe ipſum adeo confecit, ut ſe & veterem gloriam jam ſuſtinere non poſſet. Hæc autem decora, hæc vitia non facile eſt reperire. Longinquitas terræ, quæ non ſine periculo ab exteris adiri poteſt, ſocordia & ſu-

superstitio populi, qui suæ patriæ instituta nescit vel aliis invidet, amplitudo linguæ, quæ tribus aliis mista & composita, vires & patientiam legentis exhaurit; & ipsa forma regiminis, quæ quo secretior, eo tutior judicatur, hæc omnia effecerunt, ut, qui animum ad studium rei Ottomannicæ retulerunt, ficta magis ab alienis ingeniis acceperint, quam vera ex propriis experimentis depromserint. Genus præterea interpretantium, Græcorum, Armenorum, quorum opera & consilio in rebus belli & pacis uti solent alienigenæ, sciscitantibus est infidum; & cohors peregrinantium, quibus formam gentilitii ingenii perspicere non licuit, simulacra tantum vultus orisque domum refert. Tamen non defuerunt, qui ad modum & consuetudinem vitæ Ottomannicæ, communis, civilis, imbuti vel instituti, satis loci & temporis, judicii & voluntatis ad tentanda illius clausa haberent, nec ulli sumtui & labori, ut, quæ mens sit hominum, qualis status rerum, quanta potestas imperantium, quid in toto imperio validum, quid ægrum, cognoscatur, parcerent. Legere autem quæ apud hos auctores de tanti regni secretis diligentius scripta inveni, mea voluptas, & colligere, quæ curiosius

dicta

dicta vidi, mea cura fuit, publicare autem, quae iterum digna chartis, digna judiciis putavi, haec difficultas erit.

§. II.

Ut salutis totius orientis interest, potestatem omnem in unum conferri, ita & gens Turcarum, ubi propter divinae religionis humanique officii rationem composita magis civitas, quam error & veritas placuerat, suos reges habuit a), quos primum ex magnitudine virtutis, deinde ex gloria sanguinis elegit. Libera autem & infinita dominatio imprimis arrisit. Nec aliud est populi, solo coeloque animati, ad seditiones proni, superstitione mobilis, & sine obsequio, sine servitute, contumacis & temerarii, remedium, quam ut ab uno regatur. Orientalibus medium non est ingenium. Aut indomitum & integrum, sine rectore, sine duce, superiorum reverentia & magistratuum cura, per silvas & saltus errat, sedesque occupat & mutat; aut subjectum & certo imperio contentum, suam servitutem tributis, vectigalibus aliisque servien-

 tium

a) Abregé de l'histoire des Turcs pag. 4.

tium pœnis quotidie alit & tuetur. Sic ea etiam est vis principatus Ottomannici, ut non aliter constet ratio, quam si uni reddatur; eaque ejus conditio, ut nullis nisi religionis & arbitrii limitibus circumscribatur b). Si autem licet sacerdotio impera-

b) Memoires du Baron de Tott, prem. part. p. 139. Le grand-Seigneur est en même tems le successeur au Califat, & le chef du Gouvernement militaire: son despotisme est établi sur le Coran; & l'interprétation de ce livre est exclusivement attribuée au corps des Ulemats: tout doit être soumis à la loi, tout doit obéire au Souverain. Ces deux pouvoirs ont la même source; on apperçoit déjà le choc & les débats, qui doivent naitre entre deux puissances, dont le droit est égal, & dont les intérêts sont différens: on voit également que le pouvoir de se nuire les réunit souvent, & les contraint à des égards & des ménagements réciproques. — En effet, si les Ulemats peuvent faire parler la loi à leur fantaisie, & animer le peuple contre le souverain, celui-ci peut d'un seule mot deposer le Mufti, l'éxiler, & même le perdre aussi-bien, que tous ceux de son corps, qui lui déplaisent. La loi & le despote, dois

peratori crimen sacrilegii, iram cœlestem, & finem usurpati imperii palam pronuntiare, datum est imperatori, sacerdotio opes, honores, patriam, vitam eripere. Sed quamquam sacra & civilis auctoritas, quantacunque est, sic mutuo metu coërcetur, tamen, cum utraque in imperatore, qui personam & summi pontificis & potentissimi principis sustinet & tuetur c), eminentissime conjuncta sit, nihil fere tam sanctum est, quod non violari, & nihil tam profanum, quod non juberi possit. Cuncta nomine Sultani, latine Domini, accipit, & potestate jubendi regit d). Sive aurum signat, sive fœdus init, sive legem promulgat, id fit superbo titu-

vent également se craindre & se respecter; mais le despote s'il n'est pas un imbécille emporte nécessairement la balance; il dispose de tous les trésors, de tous les emplois, & de la vie de tous ses sujets; il a de terribles moyens pour se faire obéire.

c) Mouradgea d'Ohsson Cod. Relig. Tom. prem. pag. 263.

d) Conf. J. Bodini Andeg. Galli de Republica p. 222. Hac appellatione nemo præter Caliphas s. Pontifices Maximos, vicarios Muhammedis, dignus antea habebatur.

titulo litterisque auro incisis, quæ nomen & potentium Cæsaris dicunt. In contumeliam cæterorum regum se Imperatorum utriusque terræ (i. e. Asiæ & Europæ) & utriusque maris (i. e. Nigri & Mediterranei) appellat e), & in terrorem civium huic appellationi parem potestatem exercet. Nihil sibi ex hoc vindicat senatus, nihil exercitus, nihil populus. Ubi necesse fuerit, parare amicitias in auxilium, milites in supplementum, & socios navales in classem, cæterisque, quæ usus belli & pacis postulat, opem ferre, non legem & suffragia rogare debet, sed se solum in consilium adhibere, secum loqui, secum statuere potest. Consilio illius, nutu, ope & honore publica & privata salus continetur: & de ratione eorum, quæ jusserit, non scire licet, sed credere oportet. Si quando alios dubiis in rebus consulit, audit & sequitur, id fit, non quia oportet, sed quia lubet. Quid multa? Principem suum non modo ut hominem, inter aras & altaria, ad id con-

e) سلطان البرين وسلطان البحرين

Fastum fastu auget, & Imperator orbis refugium پادشاه علمپنا salutari etiam cupit,

constitutum, ut publice prosit, colunt Ottomanni; sed eum etiam ut numen, precibus & bonis placandum, ne publice noceat, horrent: &, quæ injunxerit, tam æquo & parato animo subeunt, quam imperium patiuntur f).

§. III.

---

f) El. Habesci p. 300. Diesem Grundsatze eines unumschränkten Gehorsams zufolge, werden alle und jede, die im Dienste des Monarchen stehen, sogar der Gross-Vezier selbst, durch den Namen Cola, das ist, Sklawe des Gross-Herren unterschieden. Bey diesen Leuten steht der Name eines Unterthanen in so grosser Verachtung, als der Name eines Sklawen bey den Christlichen Nationen. Ein Colah kann einen gemeinen Unterthan in der Türkey ungestraft beleidigen; denn dieser darf sich nicht darüber beklagen. Das kleinfügigste Geschenk, das von dem Fürsten komt, wird von einen Gemüthe, welchem dergleichen Begriffe eingeprägt sind, als ein Geschenk des Himmels angesehen, das durch seine geheiligten Hände geht. Man legt auch in der That dem Sultan göttliche Titel bey; denn man nennt ihn den Gott auf Erden, den Schatten der Gottheit, u. s. w.

his luxuriæ, quæ genti tam grata erat, modus definitus fuit, ne supremo honori superstites vitæ subsidiis carerent f). Militum vero arma cum ipsis combusta g). Rogumque accendebant cognati & familiares, qui votis nuncupatis, ut corpus in cineres mature consumeretur, pocula ardente pyra hauriebant, & gliscentem desinente flamma ignem vino exstinguebant h). Suprema vero pietas fuit, ossa & cineres colligere in urnas, pro defunctorum conditione diversas, ligneas, lapideas, argillaceas, argenteas vel aureas: quæ antequam humo committerentur, in casu singulari floribus & sertis decorari, vulgo peplis operiri solebant i).

§. VI.

Quamdiu Græci agreste & barbare sine obsequio legum, auctoritate principum, & cognitione literarum, ut fons, ut nemus placuit, coluerunt, funeris quoque pompa rusticitatis & simplicitatis fuit

f) Plut. in vita Lycurgi.

g) Odyss. λ v. 74.

h) Il. v. 192.

i) Il. ψ v. 254. Il. ω v. 795.

fuit imago. Sine sumtu & apparatu cadavera humo mandata sunt, ut sicut corporis succo & vapore superficies tumuli quotannis, ita animi virtute & memoria nomen defuncti in perpetuum vigeret & floresceret. Cum vero animus, sua natura cellus & erectus, litteris & artibus tanquam instrumentis sublimis rapi cœpisset, gratia suæ ætatis non contentus, pompa etiam funeris nobilitari concupivit. Solus hic ampli patrimonii aut paratæ fortunæ fructus supererat. At vero bene de republica ingenio aut opere meruisse, & in animo atque ore hominum vivere & versari, non satis grande sollertiæ aut virtutis pretium erat. Ut priscæ virtutis non minus incitamenta quam humanæ mortalitatis exempla haberentur, defunctis splendida condere monumenta quoque cœptum est. In his autem major artis ostentatio, quam naturæ imitatio fuit. Non satæ arbores, quæ manum Dei simularent, aut congesti lapides vel aggeres, qui operam humanam dissimularent, sed saxo polito strata sepulcra, positæ columnæ, & addita ornamenta, quæ conditoris & mortui honorem dividerent. Sed antiquitus, cum minus cupiditatis & plus religionis esset, in sua quisque æde & solitudine, si fa-

ma parva, in celebritate vero urbis & conventu, si magna esset, inhumatus aut combustus fuit. Sic in medio foro Themistocli tumulum Magnesii exstruxerunt, & in Dianæ templo Euchidam Platæenses sepelierunt k). Recentius, postquam major sui quam divini cultus invaluisset cura, extra pomœria oppidi aut pagi justa mortuis persolvere usitatum fuit, ut remedium esset adversus casus ignis, si concrematio placeret, adversus contagionem aëris, si contumulatio. Idem mos adhuc Orientalibus est, in quorum sepulcris etiam cupressi, atræ & inferis consecratæ, seri solent, ut conceptos cadaverum vapores salubri temperamento huc & illuc digerant & ministrent. Tamen ut in multis aliis, ita in his a reliquis Græcorum institutis dissentiebat Lycurgus, qui mortuos intra civitates, & circa templa sepelire Lacedæmoniis concessit, ut vulgi superstitionem, contactu eorum vivos pollui, tolleret, fidem vero, in mortis periculis facillime homines inclarescere, faceret. Singulis præterea familiis sua erant sepulcra, & iis inferri adeo in voto fuit, ut Lacedæmonii, instan-

te

---

k) Plutarchus in vita Themist. & Aristidi

te cum Messenis concursu, de sepultura magis quam de salute solliciti, tesseras dextro brachio deligarent, insculptis suis & patrum nominibus, quorum titulis & signis, si confusa cæsorum lineamenta essent, stirps cujusque &, majorum monimenta internosci possent l). Sed Græci, ut non suæ tantum ætati, sed etiam futuris seculis vixisse viderentur, in eorum monumentis, ut quisque ingenii operibus aut animi virtutibus cognitus erat, nomen defuncti, simulacrum oris, aut forma mentis effingebatur. Tali enim modo, quicquid sive magnum coluerat, sive bonum amaverat antiquitas, legere, videre, & moribus exprimere posteritas potuit. Sic tumulus Isocratis imagine eloquentiæ & Sirenis, & Archimedis monumentum instrumentis magistri & sphæra ac cylindro notabatur.

§. VII.

Exsequiis peractis, quæ cæremoniæ tum & deinceps fuerint, nunc scribam. Cum, quæ magna, rariora sint, ad sepulcrum ut plurimum, qui vulgaris hominis honos, in concione autem & pro rostris

l) Just. lib. III. c. V.

rostris interdum, qui clarioris erat, perorabatur. Apud Athenienses, & quidem jussu senatus, in memoriam civium, de republica bene meritorum, funebris oratio habita est: nec in ea satis vel gloriæ defunctis, vel exempli vivis inesse credebatur, nisi per singulos annos & constituto die renovata fuisset m). Documento est illa pulcherrima, qua Lysias eos, qui Corinthiis opem ferentes occubuerunt, laudavit, & quam Isocrates in suo panegyrico imitandam sibi proluit. Tamen hæc consvetudo supra ætatem Solonis vel Periclis, qui primi artem dicendi, alter ut leges, alter ut obsequia populo persvaderet, intulisse existimantur, repetenda non videtur. Antiqui enim, apud quos boni mores plus, quam bona verba valebant, honestius putarunt, de laudibus mortuorum tacere, quam vera & falsa in fraudem posterorum juxta dicere. Præmium virtutis ex judicio conscientiæ, non ex ore vulgi petebatur. Ut autem non minus oculis insigne spectaculum, quam auribus svave lenocinium exhiberetur, ludis etiam & certaminibus funera celebrata sunt. Exemplo sunt Miltia-

m) Cicero de Orat.

tiadis apud Herodotum, Timoleontis apud Plutarchum, & Patrocli apud Homerum. Et ut recens animi dolor, qui omnem consolationem rejiciebat, molli quadam humanæ voluptatis medicina leniretur, epulis in ædibus cognatorum paratis turba funebris interfuit, olim tacita, posteris autem temporibus in laudes defuncti nimis effusa n). Quoniam vero cadaver, quicquid circa fuisset, suo fœtore polluisse credebatur; domus, qua elatum erat, igne & sulphure, & homines, qui illud viderant aut tetigerant, aqua & ramo olivæ lustrari debebant: quo facto, templa demum adire, & sacra facere licebat o). Et tandem in sepulcro lumina pinguis olei incendere, aut tumulum floribus purpurei coloris & odoramentis varii generis conspergere, atque defuncto libamina sanguinis vel alius expressi liquoris fundere, hæc omnia, diebus anniversariis, pro conditione cujusque & facultate, magnificentius aut parcius facere, pars religionis

&

n) Demosth. Orat. pro Corona. II. ω v. 801.

o) Virg. Æneid. lib. VI. v. 229. Eurip. Iphigenia Taurica v. 390. Odyss. χ v. 481. 492.

& officium humanitatis fuit p). Memoratis Graecorum funebribus supremus hic cumulus accessit.

XXIV. PRUDENTIA CIVILIS OTTOMANNICA.

§. I.

Si omnis pars cognitionis humanae utilis est & honesta, certe ea, quae vitam moresque hominum spectat, amplissima est & jucundissima. Delectat varietate rerum, prodest copia exemplorum, & naturam humanam omnemque vitae rationem, vim virtutum, pravitatem vitiorum, & notitiam eorum, quae nec in virtutibus, nec in vitiis poni solent, tradit; dissimulato monendi consilio, & deposita philosophiae severitate, dialecticae frigidis praeceptis disciplinaeque moralis nudis sententiis. Cum autem

p) Anacreon ode de Rosa. Ejusdem ode de Se Ipso. Odyss. λ v. 26. 29.

tem tali modo res & perſonas tractet, eventus narret, & cauſſas explicet, non tam exſanguia morum exempla oculis proponit, quam vivas eorum imagines rationi oſtendit & affectibus miſcet. Memorando enim, quod contigit, inſinuat quoque, quid contigiſſe potuerit aut oportuerit. Si autem ſalubre & frugiferum eſt, clarorum virorum facta moresque cognoſcere, multo amplius & uberius erit, totius cujusdam civitatis imaginem, in illuſtri monumento poſitam, adire & intueri. Cum vero ex alieno bono vel malo utile ſumi poſſit exemplum, uſus illius, quod ex publico capitur, latius patebit. Sed aut magnitudo propoſiti argumenti me fallit, aut nullum fuit imperium, quod plura, quam Ottomannicum, vel honeſtatis & prudentiæ, vel turpitudinis & inertiæ documenta dedit. Exemplo nobis erunt illa arma & conſilia, quibus primum & quidem brevi tempore domi militiæque eo crevit, ut Euphratem & Donaum conjungeret, quibus autem deinceps & paullatim ſe ipſum adeo confecit, ut ſe & veterem gloriam jam ſuſtinere non poſſet. Hæc autem decora, hæc vitia non facile eſt reperire. Longinquitas terræ, quæ non ſine periculo ab exteris adiri poteſt, ſocordia & ſu-

superstitio populi, qui suæ patriæ instituta nescit vel aliis invidet, amplitudo linguæ, quæ tribus aliis mista & composita, vires & patientiam legentis exhaurit, & ipsa forma regiminis, quæ quo secretior, eo tutior judicatur, hæc omnia effecerunt, ut, qui animum ad studium rei Ottomannicæ retulerunt, ficta magis ab alienis ingeniis acceperint, quam vera ex propriis experimentis depromserint. Genus præterea interpretantium, Græcorum, Armenorum, quorum opera & consilio in rebus belli & pacis uti solent alienigenæ, sciscitantibus est infidum; & cohors peregrinantium, quibus formam gentilitii ingenii perspicere non licuit, simulacra tantum vultus orisque domum refert. Tamen non defuerunt, qui ad modum & consuetudinem vitæ Ottomannicæ, communis, civilis, imbuti vel instituti, satis loci & temporis, judicii & voluntatis ad tentanda illius clausa haberent, nec ulli sumtui & labori, ut, quæ mens sit hominum, qualis status rerum, quanta potestas imperantium, quid in toto imperio validum, quid ægrum, cognoscatur, parcerent. Legere autem quæ apud hos auctores de tanti regni secretis diligentius scripta inveni, mea voluptas, & colligere, quæ curiosius dicta

dicta vidi, mea cura fuit, publicare autem, quæ iterum digna chartis, digna judiciis putavi, hæc difficultas erit.

§. II.

Ut salutis totius orientis interest, potestatem omnem in unum conferri, ita & gens Turcarum, ubi propter divinæ religionis humanique officii rationem composita magis civitas, quam error & veritas placuerat, suos reges habuit a), quos primum ex magnitudine virtutis, deinde ex gloria sanguinis elegit. Libera autem & infinita dominatio imprimis arrisit. Nec aliud est populi, solo cœloque animati, ad seditiones proni, superstitione mobilis, & sine obsequio, sine servitute, contumacis & temerarii, remedium, quam ut ab uno regatur. Orientalibus medium non est ingenium. Aut indomitum & integrum, sine rectore, sine duce, superiorum reverentia & magistratuum cura, per silvas & saltus errat, sedesque occupat & mutat; aut subjectum & certo imperio contentum, suam servitutem tributis, vectigalibus aliisque servien-

 tium

a) Abregé de l'histoire des Turcs pag. 2.

tium pœnis quotidie alit & tuetur. Sic ea etiam eſt vis principatus Ottomannici, ut non aliter conſtet ratio, quam ſi uni reddatur; eaque ejus conditio, ut nullis niſi religionis & arbitrii limitibus circumſcribatur b). Si autem licet ſacerdotio impera-

---

b) Memoires du Baron de Tott, prem. part. p. 139. Le grand-Seigneur est en même tems le successeur au Califat, & le chef du Gouvernement militaire: son despotisme est établi sur le Coran; & l'interprétation de ce livre est exclusivement attribuée au corps des Ulemats: tout doit être soumis à la loi, tout doit obéire au Souverain. Ces deux pouvoirs ont la même source; on apperçoit déjà le choc & les débats, qui doivent naître entre deux puissances, dont le droit est égal, & dont les intérêts sont différens: on voit également que le pouvoir de se nuire les réunit souvent, & les contraint à des égards & des ménagements réciproques. — En effet, si les Ulemats peuvent faire parler la loi à leur fantaisie, & animer le peuple contre le souverain, celui-ci peut d'un seule mot deposer le Mufti, l'éxiler, & même le perdre aussi-bien, que tous ceux de son corps, qui lui déplaisent. La loi & le despote, dois

peratori crimen sacrilegii, iram cœlestem, & finem usurpati imperii palam pronuntiare, datum est imperatori, sacerdotio opes, honores, patriam, vitam eripere. Sed quamquam sacra & civilis auctoritas, quantacunque est, sic mutuo metu coërcetur, tamen, cum utraque in imperatore, qui personam & summi pontificis & potentissimi principis sustinet & tuetur c), eminentissime conjuncta sit, nihil fere tam sanctum est, quod non violari, & nihil tam profanum, quod non juberi possit. Cuncta nomine Sultani, latine Domini, accipit, & potestate jubendi regit d). Sive aurum signat, sive fœdus init, sive legem promulgat, id fit superbo titu-

vent également se craindre & se respecter; mais le despote s'il n'est pas un imbécille emporte nécessairement la balance; il dispose de tous les trésors, de tous les emplois, & de la vie de tous ses sujets; il a de terribles moyens pour se faire obéire.

c) Mouradgea d'Ohsson Cod. Relig. Tom. prem. pag. 263.

d) Conf. J. Bodini Andeg. Galli de Republica p. 222. Hac appellatione nemo præter Caliphas s. Pontifices Maximos, vicarios Muhammedis, dignus antea habebatur.

titulo litterisque auro incisis, quæ nomen & potentiam Cæsaris dicunt. In contumeliam cæterorum regum se Imperatorum utriusque terræ (i. e. Asiæ & Europæ) & utriusque maris (i. e. Nigri & Mediterranei) appellat e), & in terrorem civium huic appellationi parem potestatem exercet. Nihil sibi ex hoc vindicat senatus, nihil exercitus, nihil populus. Ubi necesse fuerit, parare amicitias in auxilium, milites in supplementum, & socios navales in classem, cæterisque, quæ usus belli & pacis postulat, opem ferre, non legem & suffragia rogare debet, sed se solum in consilium adhibere, secum loqui, secum statuere potest. Consilio illius, nutu, ope & honore publica & privata salus continetur: & de ratione eorum, quæ jusserit, non scire licet, sed credere oportet. Si quando alios dubiis in rebus consulit, audit & sequitur, id fit, non quia oportet, sed quia lubet. Quid multa? Principem suum non modo ut hominem, inter aras & altaria, ad id con-

---

e) سلطان البرين وسلطان البحرين Fastum fastu auget, & Imperator orbis refugium پادشاه عالمپنا salutari etiam cupit,

conſtitutum, ut publice proſit, colunt Ottomanni; ſed eum etiam ut numen, precibus & bonis placandum, ne publice noceat, horrent: &, quæ injunxerit, tam æquo & parato animo ſubeunt, quam imperium patiuntur f).

§. III.

---

f) El. Habesci p. 300. Diesem Grundsatze eines unumschränkten Gehorsams zufolge, werden alle und jede, die im Dienste des Monarchen stehen, sogar der Gross-Vezier selbst, durch den Namen Cola, das ist, Sklawe des Gross-Herren unterschieden. Bey diesen Leuten steht der Name eines Unterthanen in so grosser Verachtung, als der Name eines Sklawen bey den Christlichen Nationen. Ein Colah kann einen gemeinen Unterthan in der Türkey ungestraft beleidigen; denn dieser darf sich nicht darüber beklagen. Das kleinfügigste Geschenk, das von dem Fürsten komt, wird von einen Gemüthe, welchem dergleichen Begriffe eingeprägt sind, als ein Geschenk des Himmels angesehen, das durch seine geheiligten Hände geht. Man legt auch in der That dem Sultan göttliche Titel bey; denn man nennt ihn den Gott auf Erden, den Schatten der Gottheit, u. s. w.

§. III.

Quamquam vero omne ſenatorium & civile, temperatum & populare ſublatum eſt, tamen ſpecies illius & imago manet. Si in quo alio, certe in hoc regno, cujus moli ætate & experientia ſæpe par non eſt imperator, opus eſt collegis imperii, qui nomine principis reipublicæ dignitatem & decus ſuſtineant, ſervent leges, jura deſcribant, & fidei ſuæ commiſſa meminerint. Quæ enim præcipere debet, qui omnibus imperabit, in prima ætate diſcendi facultatem non habet. Futurus princeps non in ſinu parentum, tutela patrum & conſpectu populi ad religionis & virtutis amorem, ſui & exteri orbis notitiam humanique generis ſalutem formatur, ſed metu et prætextu, ne quid cupide, improbe & impotenter agat, in robore & tenebris, inter ſervos, peſſimam reipublicæ partem, educatur. Sic pueritia per inhoneſtos luſus & adoleſcentia malis ſtudiis transigitur. Si autem mens illius, qui in purpuris repit, in lecticis creſcit, & ſpectaculis, deliciis & adulationibus ſolvitur, inani perſvatione tumeſcit, certe & ſpiritus ejus, qui ad fortunam ſummi principis natus, ad conditionem vero infimi ſervi damnatus, tantam

for-

fortunam & injuriam secum agitat, confert, & interpretando accendit, ferociet aut torpescit & languescet. Inter nata servituti mancipia non melius, quam inter libera & parum modesta ingenia vivitur. Cum autem filius, sic in opaco, tristi & duro institutus, in lucem & opes paternas prodit, caligat in sole, omniaque nova & ignota offendit: Omnis prudentiæ, ne dicam civilis, quæ voce, præceptis & institutis constat, sed communis, quæ convictu, exemplis & imitamentis paratur, rudis & inexpertus, turbam subjectorum fugit, in penetralibus palatii se abdit, & raro sui copiam facit, sive fastidio hominum, sive ignorantia rerum, sive ut major fiat ex occulto reverentia g). Hoc vicissim loco, fortibus inhonesto, nec ignavis satis tuto, nihil fere nisi secretas libidines meditatur, & quæ ex publico bono fieri debent, non suis oculis & auribus probat, sed blandiente inertia, per ministros aut internuntios agit: quorum tamen consessui, deliberationibus & sententiis, ubi aliquid novi timendum habet, spectator & adnotator imminet, ver-

g) Memoires du Baron de Tott. prem. part. pag. 78.

verba, silentium, vultus habitumque in crimen aliquando detorquens. Suus autem cuique civitati princeps, ut plebejorum obsequia, ita patriciorum ingenia fingit. Si itaque magistratus, quos non ex lege, sed pro lubitu creat, continuat & abrogat imperator Turcarum h), cupidi privatim & in commune exitiosi fiant, mirandum id non videbitur. Ubi enim nulla est libertas & securitas, ibi quisque sibi, non patriæ vivit; quam cum non paren-

h) Abhandlung über die Kriegskunst der Türken von J. C. G. Hayne p. 99. Bey den Türken herrscht gar kein Adel ausgenommen die kaiserlichen Familien; denn ihr Gesetz sagt, es seyen alle Türken gleich edel, und folglich können auch alle an den höchsten Ehrenstellen des Reichs gleichen Antheil nehmen. Daher findet bey ihnen auch keine vorzügliche Geburt statt, wodurch hohe Aemter sonst bekleidet werden, sondern die Vorsteher derselber müssen, allemal durch ihre Verdienste gewählt werden, und daher kömmt es öfters, dass die Kinder der gemeinsten Leute commandirende Generals werden; da hingegen die Generalskinder sich öfters mit der Holzart ernähren müssen.

parentum, conjugum & liberorum incunabula, sed injuste imperantium & male parentium spolia spectet, eam negligit & aversatur. Scilicet qui nobilem servitutis locum tenent, ambitu, vi & pecunia omnia perdunt i); qui ignobilem, labore, questu & inopia pereunt. Omnes more bestiarum, quæ vinculis & claustris tenentur, specie & spiritu, moribus & artibus degenerant. In qua autem terra nullus est legibus locus, forum existit vacuum & horridum, curia elinguis & clausa, civitas fracta & tacita. Omnes jussa principis, exuta æqualitate impositoque silentio, aspectant, & obvio obsequio aut dissimulato odio excipiunt k). Qui privatas spes agitant, adulantur, qui libertatem homini a natura esse datam intelligunt, detestantur, qui vero servire quam obedire malunt, æquis animis & im-

---

i) Kantemirs Geschichte des Osmannischen Reichs p. 533. Eine solche grosse Gewalt hat dass Geld über die Turken, dass sie um desselben willen Dinge, die ihrem Aberglauben entgegen sind, nicht allein zulassen, sondern auch selbst thun.

k) Memoires du Baron de Tott sur les Turcs & les Tartares. Prem. partie, pag. 18.

modicis studiis jugum ferunt & patiuntur. Hinc nulla formandi in primis annis ingenii, nulla deinceps acuendi repetitis sententiis judicii, nulla exercendæ crebris orationibus linguæ & vocis cura est. Cum enim princeps, vel pauci principis nomine omnia provident & agunt, omnis in commune consultandi ratio, cognoscendi consvetudo, & dicendi facultas superflua & inutilis est. Scilicet, ubi in rebus neglecta est auctoritas, in animis quoque torpor & ignavia, & in verbis vilis pudor nascitur. Ex quo apud Turcas, quicquid in judicium venerit, servili modo & imperatoria brevitate peragitur. Si quando Constantinopoli, in illa servitutis sede, ejusque provinciis coëunt homines, ut de rebus publicis & privatis deliberent, hi potestatem sentiendi, quæ velint, faciendique, quæ sentiant, non habent. Omnis enim juris & æquitatis quæstio, caussarum actio, vocisque contentio non tam ad exemplum legis, quæ munimentum est libertatis, quam ad vultum vel imperatoris, qui legis lator est, vel procuratoris, cujus fidei ejus interpretatio commissa est, adcommodari debet. Libere consultare in foro, impune dissentire in senatu, & licenter disputare in judiciis fas & jura sine data principis venia non sinunt. §.

§. IV.

Quamquam vero concilia dimittendi vel habita rescindendi potestatem habet imperator, tamen eam non tam excubiis & armis tuetur, quam consilio & ratione moderatur. Sic a consultis amplissimi consessus, qui Galebe Divan vocatur, propter auctoritatem personarum, quibus hic conventus est compositus, discedere, periculosum videtur. Itaque summam potestatem hac etiam prudentia temperat princeps, ut coram senatu, coram populo, in templa, judicia, & fora veniat & in dubiis rebus, militem donis, populum annona, omnes suavitate otii & spe licentiæ pelliceat. Si enim conspectum hominum latebra palatii semper vitaret, ille, qui vocabulo gentis Vizir appellatur, & cuncta domi forisque, populum, exercitum, provincias, bella & pacem regit, præter vim imperii, illius etiam majestatem in se transferre posset. Adeo vulgi opinio interdum plus, quam veritas, metusque magis, quam principatus valet l). Si itaque iis,

l) Mem. du Bar. de Tott, pr. part. p. 78. Le préjugé aura toujours plus d'empire que la crainte, plus de force que despotisme. Sultan Osman

iis, qui rebus belli & pacis præfecti sunt, in consiliis sapientia, in periculis animus, & in labore industria desit, id non tam ingenio gentis, quam vitio

---

fut bientôt lui même obligé de payer à l'opinion un tribut, dont il fut la victime. En vain l'art des Médecins s'efforçoit de rétablir la santé de ce Prince, en même tems, que la politique en cachoit le dépérissement: il dut enfin, cédant au mal, se renfermer dans son intérieur, & réserver ses forces pour se rendre chaque Vendredi à la mosquée. Cette cérémonie publique, & que l'usage a consacrée, ne pouvoit être négligée sans exciter les clameurs des corps militaires & du peuple. La contradiction que présente au premier aspect une loi qui contraint le despote, disparoit quand on réfléchit qu'elle est necessairement dictée par le despotisme de la multitude, l'objet de la crainte perpétuelle du despote. Isolé dans l'impénétrabilité de son Serail, sa vue seule peut prouver légalement son existence. On sent encore que sans cette precaution, un Visir assez adroit pour dominer ou corrompre deux ou trois personnes après la mort de son maitre, pourroit la céler assez longtems pour tout entreprendre impunement.

vitio tyrannidis tribuendum est. Quamvis vero hæc ita sint, tamen non defuerunt celeberrima fori ingenia, & quidem talia, qualia libertas generare, æmulatio alere, & invidia exercere solet. Profuit ad hoc subtilitas judicii, quæ genti est insita, profuit calliditas animi, cujus necessitatem cuique tyrannis imponit, profuit etiam facilis ille aditus, qui omnibus, sine ætatis, ordinis & religionis discrimine, ad publica judicia patet m). Tali autem natura, vi, & fortuna ducti & excitati Ottomanni, quam

m) J. C. Haynes Abhandlung über die Kriegskunst der Türken, p. 9. Obleich die Türkischen Generale und Minister in der äussersten Unwissenheit ihre Jugend dahin leben mussen: so lernen dieselben die Staatskunst gleichsam spielend, weil es ihnen bey öffentlichen Berathschlagungen erlaubt ist, in den Divan (§. 167) zu kommen, und solche mit anzuhören; diese Versamlung wird als den Adschak Divan (der Divan zu Fuss) genennt. Hierzu werden sogar die ausrangirten Janitschaaren mit eingeladen, und ihre Meynung über wichtige Dinge, die das Reich angehen, vernommen; er wird auch stehend gehalten, und ein jeder hat die Freyheit zu

quam artem & facultatem domi & intra privatos parietes non pararunt, in publico et magno cœtu consequuntur, et quæ alii per præcepta, quæ remissius agunt, hi usu, qui optimus est discendi modus, arripiunt, ita ut iis nihil præter libertatem deesse videatur. Testes sunt ministri rei civilis, militaris, qui litteras contemnentes vel nescientes, ingenio tantum et vi naturæ, sine institutione et alienæ artis adminiculo, eam reipublicæ administrandæ scientiam consecuti sunt, ut, iis bella et pacem moderantibus, non se satis ad cavendum paratos putaverint legati et reges. Arroganti autem et in omnia suspicioso principi fidem sui et reverentiam facere, invidis et inimicis magnatibus metum injicere, lascivienti novarumque rerum cupidæ plebi obsequia imponere, et male constitutæ ac periclitanti patriæ opem ferre, qui hoc fecerit, quod certe multi Turcarum fecerunt, ingenio judicio et prudentia cæteros præstabit n).

§ V.

---

sagen, was er will. Und durch öftere Beratschlagungen mit andern Europäischen Ministern, ersetzen sie sich noch das jenige, was ihnen vorher an ihrer Kenntniss gefehlt hat.

n) Exemplo nobis eris Hassan Pascha, novissi-

§. V.

Si vero is, qui liberæ civitati præest, magna, certe ille, qui mancipiis imperat, ingenti pecunia opus habet. Qui enim ei per vim vel fraudem & contra naturæ ac rationis vocem subjecti sunt, non bonæ voluntatis pretio, patriæ amore & gloriæ cupidine commoti, sed laboris mercede conducti, aut principis metu adstricti, fidem & animum ad opera & pericula ostentant & adferunt. Genti videlicet obnoxiæ, quæ quo minus fortunæ & juris, eo plus cupiditatis habet, satis non faciunt inania honoris, speciosi tituli & vanæ imagines, quæ nec satiant nec tegunt o). Sine auro & argento dominum in cervicibus non imponit & sustinet populus. Sic imperatori Turcarum, qui gentem suam non justitia & æquitate, sed metu & terrore continet, ad suum in pace robur & in bello præsidi-

mus classis Ottomannicæ præfectus, qui quamvis litterarum rudis & studiorum haud bonus æstimator, tamen res belli & pacis ita gessit, ut suo & Turcarum nomini domi forisque celebritatem fecerit.

o) El. Habesci p. 299.

ſidium, ſatis non eſt pecuniæ. Quam vero ſuffecturam cum honeſtis conſiliis juſtisque factis parare non poſſit, eam apertis latrociniis vel obſcuris artibus conficit. Luxuria enim & avaritia, duo diverſa vitia, in hoc optime conſentiunt; quorum ut uni ſatis fiat, alterum exercetur. Qui ſuæ pecuniæ eſt prodigus, alienam appetit. Quocirca imperator Turcarum, ut ipſe in otio & voluptate vivere, & multa multis ſine modo & ratione largiri poſſit, in ſuorum vitam & ſanguinem ſævit, bona & fortunas in tributum agit, terras atque maria cæ bus ac exſiliis implet, aperta populatur, abdita ſcrutatur, & ubi ſolitudinem in urbibus & vaſtitatem in agris fecit, id pacem & ſecuritatem appellat. Commercii enim amplificandi cura & agri colendi ſtudio parare, quæ quieſcendo & inſidiis accipi poſſunt, longum & moleſtum videtur p). Cupidine alieni & raptu facilius, quam parſimonia, æquitate & induſtria diteſcit homo. Legesque ferre, quæ cupiditatibus & ſumtibus magiſtratuum, privatorum, modum faciant, periculoſum judicatur. Divi-

p) D. A. Büschings neue Erdbeschreibung, I Th. p. 1237.

Divitiæ & opes civium invisæ & suspectæ sunt ambitioso principi, quas perdendi libidine communi hic lætatur: & paupertas in universum, quo major, eo imperanti tutior. Itaque ne animi facultatibus & deliciis lasciviant, spiritum sumant, & jugum exuant, etiam corpora ipsa operibus & tributis, armis & castris, inopia & miseria conterit tyrannus, fines imperii amplificat, & novos ac viles servos in excidium petit.

§. VI.

Privatæ autem pecuniæ in suum & publicum usum vertendæ varias ingreditur princeps vias & rationes, manifestas, occultas, concessas, incestas. Ei non satis est, hominibus, dum vivunt, imperare, & subjectis, si divites sunt, munera, si inopes, tributa avare imponere, & superbe exigere. Cupiditati ipsius & imperio nihil quoque relictum est in mortuos, quorum non solum corpora supremis honoribus, ære & marmore, aut honesta sepultura decorari, sed etiam bona ad parentes, conjuges & liberos, natura carissimos, transire voluit pietas propinquorum, & mos gentium jussit. Ut dominus ita hæres omnium nuncupatur: provida cura,

qua bonus pater non hæredem, nisi timendum filio principem, testamento relinquit. De hoc autem jure, cui etiam sua ex lege constat auctoritas, in commune decedit, avidius dicam & cautius, an benignius & continentius; cum eo non utatur, nisi ubi pater aut patricius aut pecuniosus fuit, & metus manet, ne quid ambitiose & contumaciter fiat. Satisque liberalis in pauperes, æquus in potentes, & justus in omnes sibi videtur, cum iis, qui nihil habent, nihil aufert, illis autem, qui plus nominis & fortunæ, quam quod sibi profuturum sit, pararunt, id quod superfluum, eripit; ea solum patrimonii parte, quæ natu maximis ad vitam tuendam necessaria sit relicta q). Nec desunt

q) De his omnibus conf. Cl. Habesci. pag. 286. ubi hæc etiam verba leguntur: Es giebt auch unter den Mahometanern, eben so wohl, als unter den Christen eine gewisse Art von Leuten, welche sich einbilden, dass sie von höherer Geburt als der reste des Menschengeschlechts sind, weil sie edles Blut geerbt haben; und vor solchen Leuten hat man sich unter einer despotischen regierung wegen ihrer ehrgeizigen Denkungs-art gar sehr zu fürchten. Die Türkischen Monarchen sorgen

ſunt aliæ ſpoliarii ſui adjuvandi rationes, quæ minus ſævitiæ in fronte, plus autem artis a tergo habent. Vitium erroris humani, quo vana magis & ſplendida quam utilia & honeſta placent, in ſuam virtutem vertere didicit etiam Turcarum princeps. Si qui alii, certe Ottomanni ſuperbi ſunt & avari, ſive ſuo ingenio ſive principis imitatione. Quamquam natura ſegnes & principatu deſides ſunt, tamen, ſpe ad opes & honores propoſita, pecuniam, opera & pericula certatim offerunt, & in negotio cum periculo verſari, quam in otio cum honeſtate vivere beatius putant. Namque, ubi munus militiæ vel urbis vacat, ex provinciis & coloniis ruunt candidati; & quo plures, eo validius agunt. Cæſarisque propinquis & adfinibus, vel ejus libertis & janitoribus, quibus ut nocendi, ita juvandi plurima eſt potentia, noteſcere,

---

dafür dass sie den edlen Erben nicht viel mehr als dass vornehme Blut, welches in ihren Adern fleusst zu ihren Unterstützung lassen; damit sie nicht durch die Regierung ihres Reichthums und ihres Adels eine Verbindung zu Stande bringen, welche der Gewalt dess Monarchen zu mächtig werden könnte.

re, pro bono omine accipitur. Atque ut quisque non ingenii dotibus animique virtutibus, ſed fortunis & largitionibus maxime poteſt, ita ad ſpem voti & gratiam principis aditum facillimum invenit. Cæſar deinde, exquiſitis palam pretiis, & licitationibus per occultum factis, gubernatores per provincias deſcribit. Quæ autem mercatura utrimque, danti, accipienti quæſtuoſa, non ſtat, ſine communi pernicie r). Primum de auro, deinde de

r) D. A. F. Büschings neue Erdbeschreibung des ersten Theils Zweyter band p. 134 §. 7. Die Wallachey wird von einem Woywoden, oder Fürsten, den man auch Hospodar nennet, regieret, welcher ein Vasall des Ottomannischen Pfortes ist, und beym Antritte der Regierung derselben für seine Bestätigung eine halbe Million Turkischer Piaster, und überdiess einen järlichen Tribut von 200000 Piastern, entrichten muss. — Pag. 1249: Das Haupt der griechischen Kirchen in der Europäischen Turkey ist der Patriarch zu Constantinopel, welcher von den benachbarten Erzbischöfen und Metropoliten erwählet und vom Kajser oder Gross-Vizir bestätiget wird. Es kömmt aber auch bey der Wahl auf die Ge-

de negotio deliberatur: unumque ut omne propter formidinem solvatur, alterum per avaritiam fœde administratur. Adventus itaque novi procuratoris omine infaustus est: progressus injuriis magis quam beneficiis nobilitatur: & exitus infami vitæ respondet. Tardum & cruentum ejusmodi hominis iter: circa hospitia raptus & annona: in urbibus clausæ

ædes

---

nehmhaltung des Gross-Vizirs so viel an, dass man dieselbe voraus suchet, ja es wird versichert, dass der Gross-Vizir diese Würde an den meistbiethenden ohne Scheu verkaufe, und dass der gewählte und bestätige Patriarch sich immer in Gefahr der Absezung befinde, zumal wenn ein anderer Geistliche den Gross-Vizir eine grössere Summe Geldes anbiethe, als der bisherige Patriarch erleget habe. Sein Ansehen ist sehr gross, weil er der erste unter allen griechischen Patriarchen, auch dass Haupt und die Richtschnur der morgenländischen Kirche ist. Seine Einkünfte sind fast auf 120000 Gulden geschäzet, und es ist gemeldet worden, dass er dawon die Hälfte an jährlichen Tribute der Othmanischen Pforte erlegen, auch ausserdem am Turkischen Bejramfeste noch 6000 Gulden zu Geschenken anlegen musse.

ædes & tabernæ, dilapſis earum dominis, aut occurſum populantis, non transeuntis, declinantibus: vaſtitas & cædes ſequitur. Provinciamque ille ſuſcipiens, tanto avidius agit, quanto brevius ſuum imperium fore intelligit. Eam enim cum nonniſi annuam, ne diuturnitate dominationis creſcat auctoritas, accipiat, hoc tempore, quantum ſibi, conjugi & liberis in futurum ſatis ſit pecuniæ, per fas & nefas cumulare ſtudet s). Hinc in rebus vitæ & necis, æquitatis & juris, ambitus et honoris, non judicium, ſed arbitrium exercet. Et ut quisque deferendo auro eſt promtior, ita aut crimine capitis abſolvitur, aut cauſſam feliciter agit, aut gradu dignitatis extollitur. Aguntque gratias, qui accipiunt, non audent queri, quibus negatur. Sic eorum res agitur, qui in imperio hominis ſunt, non legis, in ſervitio domini, non manu tutoris. Namque provinciarnm præfectis ſummum rerum judicium imperator dedit t), earum vero inco-

s) Habesci l. cit.

t) Egregie de hac re in Memoires du Baron de Tott p. 140. pr. par. cujus verba integra hinc locum sibi vindicant: Plus le pouvoir du Grand Seigneur est étendue, moins il est

incolis obsequii gloriam reliquit; sive ut bella civilia et seditiones auctoritate unius facilius compescan-

---

facile de limiter celui des officiers, qui le représentent. Les Pachas sont dans tout l'étendue de l'Empire Ottoman les gouverneurs & les fermiers de leurs Pachaliks; ils y donnent à chaque district des gouverneurs & des fermiers particuliers; ceux-ci distribuent dans chaque canton d'autres sous-fermiers non moins despotes, de maniére que dans cette cruelle hiérarchie, chaque subalterne perçoit le double de ce dont il est comptable. Si le droit du fermier peut s'exercer d'une maniére si destructive sur le revenue annuel de chaque territoire, le Gouverneur de la province, armé d'un pouvoir plus vaste & plus redouté, détruit encore avec bien plus d'audace & facilité. Il est le maitre de multiplier les vexations, les avanies & les déprédations de tout genre au gré de ses desirs avides. Le moindre prétexte suffit pour citer à son tribunal ceux, qu'il lui plait de citer, & l'homme riche aux pieds de l'homme insatiable, n'est jamais innocent. Cependant le Souverain, observateur tranquille en apparence, attend pour punir le vexateur, que le produit des vexations soit suffisant pour

ſcantur, ſive ut bona ſubditorum crimine et pœna præpoſitorum commodius redimantur. Ubi enim omnes unum reſpiciunt, gignitur reverentia et quies. Et qui omnium opes concupiſcit, raptores in orbem emittere debet; quibus deinde damnatis, ſpo-

mériter une place dans son trésor particulier; mais si le Grand-Seigneur semble ne guetter que l'homme en place, en vain un homme riche voudroit échapper au despotisme, en se tenant dans l'obscurité, il sera bientôt revêtu d'un emploi, qui donnera tôt ou tard au Prince le droit de compter avec lui. Cet homme n'a donc rien de mieux à faire que de commencer par compter avec les autres, & de réduire le fruit de ses rapines en argent comptant pour le cacher plus facilement. On a déjà vu que les gens de loi sont les seuls, qui puissent jouir tranquillement de leur fortune, & je ne parlerai point des sujets chrétiens ou juifs. Ceux-ci méprisés, insultés même par le portefaix musulman, qui les sert, ne peuvent être considérés par le Gouvernement, que parce que leur industrie accumule des richesses, que les avanies journaliéres font refluer par le canal des gens en place, dans le gouffre où le souverain engloutit tout.

ſpolia occupanti cedunt. Eadem vero eſt ſcelerum, quæ virtutum ratio, ut, quæ magna ſunt, raro naſcantur. Sic Ottomanorum princeps tanta vi et injuria non utitur, niſi neceſſitas urgeat, inopia ærarii, aut ſeditionis metus. Placet occultior via, quæ non per brevia et ardua, ſed arte et actis velut cuniculis fortunam potentium, ne nimio plus quàm ſibi tutum ſit creſcat, ſubruit. Quos enim gubernatores ſpecie juſtitiæ damnare non audet, ut male partam pecuniam occupet, eos imagine amicitiæ conſanguineis ſuis, filiabus vel ſororibus deſpondet, ut munera nuptialia, digna imperio, digna conjuge, accipiat. Tali autem conſilii arcano priſtina et ſocero periculoſa cogitandi agendique ratio in aliam, genero aut adfini perniciosam, frugalitas in luxuriam, avaritia in liberalitatem, fortitudo in timorem mutatur; et qui antea auctoritate provincialis patroni metum principi tulit, jam titulo obnoxii clientis non ſolum abditos principis ſenſus exquirit, ſed etiam, ſi quid occultius parant cæteri miniſtri, ad dominum defert: optimus diſcordiæ, qua res tyranni creſcunt, inter proceres

concitandæ modus u). Et ne stirps virilis, ex novo matrimonio orta, propter splendorem natalium,

---

u) Cantemir p. 268: Die Türkischen Sultane pflegen ihre Schwestern und Töchter an die Paschen und Wessire zu vermählen, wenn sie gleich noch nicht die gehörigen Jahre haben, ja manchmal gar noch in der Wiege. Ihre Gemale müssen als dann dieselben verflegen, und haben die Sorge für ihre ganze Auferziehung: sie können auch keine andere Gemalinn nehmen, bis ihre Heirat mit der Sultane vollzogen ist. Wann nun die Sultane mannbar ist: so wird dieselbe mit grossem Prachte und State nebst ihrer Mitgabe von den Seraj in den Palast ihres Gemahls geführet. Wenn es aber mittlerweile geschiehet, dass ihr Gemahl stirbet oder auf dess Sultans Befehl seinen Kopf verlieret: so wird sie unverzüglich einem andern Pascha angetrauet, der alsdann in die Rechte und Pflichten des vorigen tritt. Murad des IV Schwester hatte in einem Jahre vier Gemahle, und allem Ansehen nach ist nicht eine einzige von diesen Heiraten vollzogen worden. Denn sobald als die Vermählungsfeierlichkeiten, wie gebräuchlich, vorbey waren: so wurden sie eines oder des andern Verbrechens beschul-

um, animum ad seditiones sumat, eam vel ab aditu honorum, qui seditiosis vires ministrant, prohibet, vel manu mulieris, quæ parienti opem tulit, statim interfici jubet v). Quin etiam pavida tyranni & avida mens eo odii adversus alienam fortunam & contumeliæ in suam domum procedit, ut filiam vix anniculam, potenti gubernatori, septuaginta vel octoginta annos nato, adstringat: qui senex pompæ illius in privato & speciei in publico sumtuose & magnifice prospicere tum debet. Eoqueexstincto, alii, nec annis nec fortunis minori, in matrimonium illa datur, pari conditione. Ex quo fit, ut, anno ætatis suæ vigesimo, vere affirmare possit, vicies se viduam fuisse relictam a totidem viris, quorum neminem vidit, quorum vero unumquemque ante conciliatas nuptias vixisse, his autem confectis, cecidisse audivit.

§. VII.

---

diget, und auf des Kaisers Befehl umgebracht. Ihre Schäze aber nebst ihrem ganzen Vermögen wurden zwar der Sultane, als ihrer rechtmessigen Gemahlinn, zugesprochen: in der That aber in den Kajserlichen Schatz geliefert. De ceteris conf. Habesci, l. c.

v) Mem. du Baron de Tott. prem. part. pag. 19. Conf. E. Habesci l. c.

§. VII.

Ex iis, quæ disputata sunt, satis constat, in Turcia nihil esse integrum & indomitum a). Et addere ausim, ne ipsum quidem imperatorem liberi hominis titulum sibi vindicare posse b): quippe cum non modo servam, quæ rapta, donata aut emta fuit, matrem habeat, sed etiam servili conditione in robore & tenebris, donec rerum dominus palam collocetur, ætatem traducat c). Eadem vero est servorum, quæ ferarum ratio, ut, liberæ cogitationis & orationis usu ademto, nihil nisi quod ad vitæ necessitates & voluptates conducat, cu-

---

a) Caussas infinitæ hujus dominationis in prioribus explicavimus, & plura de hac re apud Celeb. Montesquieu in L'Esprit des Lois Tom. II. Lib. XVII. Ch. V & VI. Lib. XVIII. Ch. I, II & XIV. atque Celeb. Rousseau in Contract Social Ch. VIII. p. 96. adserta invenimus.

b) Quoique L'Empereur paroisse être maitre absolu dans ses etats, il est aussi esclave, que le dernier de ses sujets. Histoire Moderne Tom. XXIX. p. 404.

c) Der gegenwärtige Zustand des Ottomannischen Reichs von Elias Habesci p. 282.

cupiant & anquirant, pascuis & latibulis contenti, ambitiosa & magnifica paullo admodum sentientes. Itaque si Sultanus, ut se, suam potestatem & securitatem sustineat, in sanguinem & bona civium aliquando sævire necesse habet; tum quoque, ut hi bene valeant, & ipse majorem ex iis prædam facere possit, operam dare debet. Nec ulli labori & sumtui parcit, ut omnia, quæ ad servientium vitam & corpus, fortunas & opes pertineant, cumulate parvoque pretio habeantur d). Scilicet, ne rerum copia robur & animum rebellantibus ex propinquo ministret, in agris, regni sedi vicinis, vastitatem facit; atque, ne rerum inopia rebellandi caussam præbeat, longe lateque circumspicit e). Animum itaque intendere, ex

d) Au lieu de gouverner les sujets pour les rendre heureux, le despotisme les rend misérables pour les gouverner. Rousseau Contract Social Ch. VIII. p. 98.

e) Anno 1780, dum Constantinopoli versabar, aquæ & frumenti inopia popularis motus & vasti incendii caussa esse cœpit. Neque hæc antea comprimi potuerunt, quam Vizirus suo munere remotus esset, & Janitschari dupplicata stipendia adipiscerentur;

ex quibus terris, ſive ſuæ provinciæ, ſive alienæ nationis ſint, hæc vitæ ſubſidia facillime parare, & quibus rationibus in illis quietem & cum his pacem optime tueri poſſit, præcipua eſt cura. Sic quamdiu Crimea, frugum & pecorum fœcunda regio, ſui erat juris, apud ejus principem id ſtudioſe egit Sultanus, ut ultro citroque commeandi contrahendique libera eſſet facultas f). Cum vero, creſcentibus Ruſſorum opibus, cuncta illuc vergere, eorumque primum fraude & inſidiis, deinde vi & armis, hanc peninſulam magis magisque in numen alienum cedere animadverteret, plurimum ſanguinis & virium nuper exhauſit, ut illa ex ſuo tantum arbitrio penderet. Præſentit enim, nec mens læva eſt, delato in hoſtem frumentariæ hujus provinciæ & Pontus Euxini imperio, Conſtantinopolis ſpe & ſubſidio, initium motus popularis & finem Ottomannicæ dominationis haud procul futurum.

§. VIII.

Ut vero cætera apud Turcas, ita & leges non tam ad judicium rationis & decretum civitatis, quam ad

f) Elias Habesci p. 295.

ad voluntatem judicis & poteſtatem principis ac⸗ commodatæ ſunt. Eandem quidem, quam in aliis terris, originem & ſpeciem habent, ut ex malis moribus natæ, honeſta imperent & contraria pro⸗ hibeant; uſu autem & affectu differunt, ut impro⸗ bis magis quam innocentibus ſpem & opem fe⸗ rant g). Qui eas tulit, majori quam humana am⸗ bitione præcepit, ut, ſicut Deus univerſam natu⸗ ram ſine ſocio & adminiſtro regit, ita Muhame⸗ danæ religionis & gentis princeps, divini numinis in terris umbra & imago, generi humano ſolus & pro lubitu imperitet. Et ne libera hæc & infinita poteſtas limite quodam circumſcribatur, in Corano & ſacra lege multi ſunt ſinus & receſſus, loci & ſententiæ discordes, quibus nihil iniquo rerum æ⸗ ſtimatori ad æqui ſpeciem utilius eſt. Omnis præ⸗ terea juris quæſtio fide teſtium pendet h). Hi autem

g) Histoire Moderne Tom. IX. p. 328.

h) Tout doit être jugé sur la déposition des témoins. C'est la première loi du Legislateur des Arabes. On ne peut donc se présenter en justice, sans que le demandeur & le défendeur en soient également pourvus: il n'y a donc point de procès sans faux témoins. L'art

autem servitio & animo degeneres, quovis pretio in sanctum & innocentem subornantur. Nec judicis

du juge consiste à deviner par des interrogations captieuses, à laquelle des deux parties il doit adjuger le droit affirmer, & ce premier jugement décide le procès: si une partie nie, l'autre est admise à prouver; de sorte que conduit en justice par un homme, que je n'ai jamais vu, pour lui payer une somme, que je ne lui ai jamais due, je serai contrait de la lui payer sur la déposition de deux témoins Turcs, qui affirmerons ma dette. Quel est le moyen de défense qui me reste? Ce seroit de convenir que j'ai dû; mais d'assurer que j'ai payé. Si le Cadi n'est pas gagné, il m'adjugera les témoins, j'en trouverai bientôt moi meme, & il ne m'en coutera qu'une rétribution fort modique pour les gens, qui auront pris la peine de se parjurer pour moi, & le droit de dix pour cent au juge, qui m'a fait gagner ma cause. C'est toujours celui qui gagne, qui paye les frais, la crainte de perdre l'argent, qu'on a, ne réprime donc pas le desir de s'emparer de celui des autres; & les peines portées contre les suborneurs, & contre les faux temoins eux-mêmes, doivent être rare-

dicis est officium, scientiam & religionem in iis quærere; fidem addere vel demere impune licet; maxima peccandi illecebra i). Ut quisque auro

---

ment prononcées: le juge dont ils font fructifier le domaine, leur doit des ménagemens. Mem. du Bar. de Tott Tom. prem. p. 142. Plura vid. in libro qui inscribitur: Utdrag af Tourneforts Resebeskrifning öfver Levanten, innehållande det som egenteligen rörer Turkiska Kejsaredömets Regeringssätt &c. p. 41 & 141.

i) Quæ nos verbis adserimus, ea exemplis confirmat Lib. Baro de Tott. Et ut gens non tam animum, qui natura integer, quam ingenium, quod principatu corruptum est, sequitur, ita rara sunt, quæ in alteram partem testimonia. Neque hæc repugnant iis, quæ in Tableau General de L'Empire Othoman scripta invenimus: Trouve-t-on un ministre ignorant, un juge prevaricateur, un officier vénal, un gouverneur inique, un sujet sans principes, sans vertus, sans morale — c'en est souvent assez pour généraliser tous ces faits & pour apprécier l'esprit, le caractere, les mœurs publiques de la Nation, son gouvernement, & ses lois. Mouradg. D'Ohsson Disc. Prel.

& argento maxime valet, ita caussam suam felicissime agit. Vidensque hæc Sultanus, tacet & consentit. Ubi autem satis pecuniæ & prædæ paratum sit, secretas indignationes & publicas querimonias palam audit aut ex occulto incendit, iram ac justitiam simulat, & inopi oppressoque ex ærario subvenit, potentem vero & judicem removet & diripit k).

§. IX.

Cum autem leges, tum etiam præmia, quæ virtutibus, & supplicia, quæ vitiis leges proponunt, ad robur & tutamen principatus instituta esse scias. Ea est indoles humani ingenii, ut parum vel nihil gratis & sua sponte, propter ipsam rem & solam ejus pulchritudinem & speciem, suscipiat & agat. Ex conscientia tantum petere mercedem,

k) Ein Glück ist es für die abgesetzen Richter, dass sie zu einer Gesellschaft gehören, von welcher sich die Sultane fürchten, weswegen sie denn ihren Kopf behalten, und Erlaubniss haben, den Rest ihres Lebens umbekant und verachtet zuzubringen. Habesci p. 298. Conf. Tournefort p. 46 & 142.

tedem, & judicio recti sensuque honesti conquiescere, singulare & prope divinum est. Operis enim incitamenta sunt illæ rationes, quæ inertem hominis naturam commovent, ut aliquid agere & moliri cupiat l). Opum vero & facultatum ipsa necessitas aut voluptas cupiditatem sui facit. Et honores, etsi vani sunt & inanes, tamen sua specie efficiunt, ut eos rudes admirentur, prudentes invidia prosequantur, & omnes concupiscant. Plures sunt, qui hæc fortunæ bona vituperent, quam qui in fastidio habeant m). At dupplici vero huic

hu-

l) Quand ceux, qui gouvernent, n'accordent les graces, & ne destribuent les emplois que par faveur ou peur de l'argent, c'est un grand mal pour le Royaume, dont ils ont l'administration. Car en vendant ainsi les charges au plus offrant, ils font tort au public, selon le proverbe qui dit, que qui achete une charge, a côutume de vendre la justice. D'ailleurs cela rebute les gens de mérite, qui sentent bien, qu'on leur ravit en quelque sorte ce que l'on donne aux autres. &c. La Veritable Politique des Personnes de Qualité de Gottl. Stolle. p. 80.

m) El. Habesci Der gegenwärtige Zustand des Ottomannischen Reichs p. 299.

humanæ naturæ infirmitati, magnis atque parvis civitatibus communi vitio, blandiri & satisfacere, cum omni principi utile, tum Turco facile est. Regem suum ut tutelare numen, cujus nutu & voluntate terræ & maria, exercitus & classes, provinciæ & urbes, publicæ & privatæ utilitates reguntur, colere & observare, hæc Ottomannis est juventæ institutio & reliquæ ætatis pietas n). Sic sive munera confert, sive supplicia irrogat, illa, licet meritis minora, plurimi faciunt, & hæc, quamquam delictis majora, promtissime subeunt. Bona & mala non tam ex sensu accipientis quam ex dignitate tribuentis æstimantur. Nobilis vero & mediocritatem supergressa virtus aut silentio transmittitur, aut vili pretio, fluitante veste & gladio, decoratur o). Atque hæc honoris insignia, loco nobilitatis, quæ principi suspecta & invisa est, & in vicem patrii amoris, quo servientes carent, inventa sunt; tantique in Turcia, quanti imagines & tituli apud alias gentes, ea fiunt. Nec pœnarum

n) Turneforts Berättelse om Turkiet s. 2, 3 och 9. Conf. Cantemir p. 354.

o) El. Habesci l. c.

rum distinctio est ex delictis: culpa erroris & scelus eodem modo puniuntur. Tamen hæc disciplinæ severitas, quæ liberis & omnia ad justitiam & æquitatem referentibus ingeniis displicet, mancipatis & nihil nisi per vim & imperium agentibus animis maxime necessaria est. Namque veniam & laxamentum, aut levem & sine verberibus animadversionem in licentiam & inertiam, aut libidinem & contumaciam facile verterent immanes & barbari p). Quod amor & virtus in nostro orbe, id terror & metus in Ottomannico præstabit. Ratio autem legis, quæ inexorabilis, nomen Sultani, cui punire quam ignoscere tutius est, & conscientia supplicii, quod parva & magna peccata pari passu sequitur q), hæc duo efficiunt, ut & qui rebus præsident, & qui eas exsequentur, suo singuli officio intenti agant. Quibus caussis tribuendum quoque videtur, quod Constantinopoli, amplissima & hominibus religione & vita diversis sibique in-

vi-

p) Conf. L'Esprit des Lois de M. de Montesquieu. Tom. II. Liv. XIV. Ch. XV.

q) Conf. Dem. Cantemir pag. 63. n. 28.

vicem infeſtis affluente urbe, pauca latrocinia & pauciora homicidia exiſtunt r).

§. X.

---

r) Non autem hæc cum publicis seditionibus, quæ frequentius oriuntur, confundi debent. De iis enim nobilissimus Bonnevall sic refert: Les revolutions continuelles, qui arrivent a la Porte, ne sont jamais excitées que par ces Soldats, tous fort mutins. Il n'en faut même, qu'un seule pour faire naitre une cruelle catastrophe, & ces revolutions ne sont causées pour l'ordinaire, que faut de paye ou à cause de la cherté des denrées. Il est vrai, qu'il y a toujours quelque Seigneur, qui fomente secrettement la sedition, mais il ne paroit jamais ouvertement: tout roule sur le compte des Janissaires. Leur paye est si petite qu'il sont obligés de faire quelque negoce ou de travailler. Ils tiennent presque tous des boutiques à Constantinople, du moins ceux de dernièr rang, qui n'ont que quatres aspres par jour. Ils parviennent par anciennité jusqu'au premier rang. Alors leur paye est de quatre vints aspres chaque jour. Cette somme est considerable, parceque tout est à un prix très modique dans cette grande ville. Anecdotes Turques ou Nouveaux Memoires du Comte de Bonnevall p. 30.

§. X.

Si autem princeps eſt Sultani cura, ut interna & domeſtica, quo propriora eo magis periculoſa, quæ mens ſit exercituum, quæ molimina procuratorum & quæ ſtudia vulgi, cognoſcat, tum hæc proxima & ſecundaria eſt, ut extera quoque & remota, quæ ambitio & avaritia regnorum, quæ partes & diſſenſiones civitatum, quid in toto orbe terra marique validum, quid infirmum ſit, intelligat s) Ad hæc vero arcana non tritam & regiam, ſed

s) Es giebt auch sehr verständige Leute unter ihnen, so wie bey allen Nationen untermischt sind. Die Statsminister und Generale der Türken haben eine sehr feine Staatkentniss von allen Mächten Europens, sie sind von einem jeden Staate unterrichtet, in wie weit dieser oder jener die Vortheile der Pforte verhindern oder befördern könne. Sie überdenken sich eine jede Sache, die in das Reich einigen Einfluss hat, sehr genau, und übereilen sich damit gar nicht. Sie wissen bey Friedens Unterhandlungen und bey Kritischen Vorfällen, die Sachen sowohl zu beschleunigen, als zu verzögern; und wenn sie anders Sinnes worden, wissen sie der Sache einen

ſed tectam & compendiariam ingreditur viam. Nulli ei ſunt legati, qui occulto ingenio & habitu circumeuntes, principum conſilia exquirant, in ſenatorum decreta penetrent, officia civium largitionibus provocent, & viſa ac audita ſignificent. Tamen quæ circa aut procul fiunt, celerrime inoteſcunt. Deceſſiſſe Ludovicum XV, quinque ante diebus Turcarum dominus, quam Francorum legatus, certior factus eſt. Rem vero tanti momenti non famæ, quæ errat, aut ſorti, quæ cæca eſt, ſed conſilio & rationi, quæ judicant & diſcernunt, committit ſuprema poteſtas. Per gentes enim & regiones mittuntur homines, obſcuro & ignobili loco nati, ingenio autem & induſtria ſpectati, qui quicquid in terris fiat, ex occulto ſpeculentur, & e veſtigio ac per itinerum compendia notum faciant. Quod vero ſollertiæ munus obeunt Judæi & Græci, quibus nihil natura & conſuetudine ad explorandum acutius, ad ſuſpicandum ſaga-

solchen Anstrich zu geben, als sollte man glauben, sie approbirten mit völliger Gewissheit die vorgeschlagenen Punkte. Haynes Abhandlung über die Kriegskunst der Turken §. 9. p. 8.

sagacius & ad agendum promtius est. Et quidem ut hi homines, qui in rebus privatis infidi sunt & fallaces, in hoc publico negotio integre & incorrupte versentur, faciunt proposita virtutis præmia & offensionis pericula. Sunt, qui aliarum gentium opes & rationes, quantum civium & sociorum sit in armis, quæ vectigalia & tributa, quis status provinciarum, qualis habitus præfectorum & subiectorum, hæc & alia diligenter perscripta apud Vizirum se invenisse dicant t). Cujus etiam rei satellites quoque sunt & administri Wallachiæ & Moldaviæ principes, Europæorum finibus rerumque notitiæ magis vicini, fidei tamen minus præclari; quippe qui sua dignitate ambitiosi, & odio adversus aviti regni usurpatorem u), vera & falsa juxta promunt, & Sultanum obscuris fallendi artibus circumvenire student. Plures autem sunt rationes, cur indagandis exterorum secretis opera plebeji magis quam patricii placeat. Primum ut quisque est humillimus, ita in hominum cœtu mi-

t) El. Habesci l. c,

u) Conf. der Allgemeine Welthistorie, 27 Theil, p. 477.

nime conspicitur, & quo quisque abjectior, eo facilius eorum sermonibus & consiliis interesse poterit. Ejusmodi enim homo, sive foribus curiæ adstiterit, sive in foro transierit, sive in subselliis hospitiorum sederit, consulta senatus, sententias judicum & opiniones populi audit & notat, quo longior a suspicione fraudis, eo cognitioni veritatis propior. Deinde magna ex hoc publicæ est pecuniæ parsimonia. Sine enim pompa et comitatu itinerum, annuis stipendiis, et ambitiosis muneribus, majestate utriusque imperii, tam mittentis quam accipientis legatum, dignis, per privata studia, quæ minime speciosa et sumtuosa sunt, non modo rerum humanarum casus et eventus, sed etiam rationes et caussas cognoscere licet. Ut et dignitati et tranquillitati reipublicæ sic optime consulitur. Injuriam enim foris sive fecerit, sive acceperit, qui privati tantum hominis personam gerit, illius princeps nec unius crimen, nec alterius ultionem sustinet v).

§. XI.

Porta vero Ottomannica, quatumcumque eminens, tamen legatis, qui ad eam præsto sunt, non nisi angu-

v) Habesci p. 292.

angufte patet. Ad hæc limina, fitu & opere ardua, difficilis eft aditus. Circumeunt celfa mœnia, & tanquam adverfus bellum aut feditionem parata, confpicuo faftigio & alluente pelago. Quibus vero introeundi data fuerit poteftas, exteriores tantum partes harum ædium videre licet: interiores ferrum & robur, aut fatellites minaci vultu & voce defendunt. Nec hofpitis & legati major eft verecundia, qui in veftibulo excipitur, & quidem raro, ne frequens conveniendi facultas aliquid majeftati detrahat, aut locum infidiis faciat. Adeft Sultanus fufpicaci filentio, grandi fupercilio & remiffis aut oblique intuentibus oculis: & interfunt, a dextra Vizirus, qui ad nutum domini fuperbe refpondet, & a læva interpres, qui refponfa ex barbaro in notum legato fermonem transfert x). Quin etiam via, quæ ad imperatoris vel vicarium vel a fecretis principem ducit, lubrica eft & faxa habet. Hi enim homines plerumque novi & inexperti, legum & magiftratuum infcii, fuaque munera ut fpolia ambitu & largitionibus adepti, aut non

x) Memoires du Baron de Tott, Tom. prem. p. 19.

non vident, quæ ad salutem publicam pertineant, aut suam anteponunt. Mens, lingua, fides, cuncta venalia: munera et ambitus antecedunt, deliberatio & decretum sequuntur a). Satis tamen pecuniæ non habes, si publico ministro, ubi metus est belli civilis, externi necessitatem & utilitatem persuadere volueris: quo casu patriæ & sui capitis discrimen plurimum momenti habet. Sed sunt etiam aliæ res, quæ illam adeundi contrahendique difficultatem augent. Ea est vox gentilitiæ superstitionis, ut cum iis, qui religione & moribus, templis & cæremoniis, foris & judiciis, monumentisque majorum & sepulcris differunt, nulla amicitiæ & necessitudinis jura intercedant. Quod & præceptum amplecti & exsequi sacramentum est b). Peregrinoque quodam familiarissime uti, sicut nulli non probum est, si id privatim fiat, ita nefas ducitur, si publice. Accedit magnitudo imperii, multitudo provinciarum, commercia urbium, ubertas agrorum, metalla montium, robur exercituum, & alia, quæ efficiunt, ut sua mirentur & aliena contem-

nant

---

a) De his omnibus plura legi possunt apud nominatum Tournefort p. 20, 35, 58 & 68.

b) Mouradgea D'Ohsson Disc. Prelim.

nant Ottomanni. Tantæque fortunæ, quæ ſua naturâ eſt inſolens, faces ſubdunt victæ gentes, Græci, Judæi & Armeni, quorum eſt, non ſolum obſequia & opera ſuis dominis præſtare, ſed etiam injurias eorum & contumelias domi foriſque perferre. Barbaræ autem arrogantiæ quædam etiam in nobis culpa reſidet. Legatos mittere, & gratiam ac amicitiam Sultani in belli ſubſidia aut pacis commoda petere, Europæ regibus & civitatibus diu mos fuit c): eorumque ambitum & certantia ſtudia in crimen avaritiæ aut paupertatis vertit hic princeps. Sic ſi fœdera inierit, non accipere ſe hæc ſed dare putat, & ſi religionem eorum & fidem ſervaverit, id non ex ſuo ſed alieno commodo æſtimat. Tamen notos & ignotos liberali hoſpitio excipere, ut priſca ſimplicitas & integritas, ita alias nationes in fidem & amicitiam accipere, clientela & patrocinium vocatur d). Supereſt etiam alia res, quæ cauſſas cum Turcis tractandi rationem maxime impeditam reddit. Deſpicere linguas, quæ Europæis in uſu ſunt, pars eſt Ottomannicæ ſuperbiæ. Eam vero, quæ

---

c) Conf. Hist. Moderne de M. Rollin T. 9. p. 310. d) El. Habesci p. 371.

quæ genti vernacula eſt, diſcere, Europæorum legatis nec vacat nec placet. Mira enim hujus eſt ſermonis amplitudo, quæ plura & magna volumina complet, & memorata gentis conſuetudo, quæ familiarem cum nobis ſermonem conferre vetat, in cauſſa ſunt, cur Turcarum litterarum cupidus, operam iis dare aut valde non velit aut commode non poſſit. Res itaque per interpretes aguntur: qui litterarum ſecreta utrinque vertunt & reſponſa referant e); ideoque ſemetipſos, nec falſis nominibus, Nobiles Peræ (pars hæc Conſtantinopolis), legationum antiſtites, conſiliorum ſuaſores rerumque auctores hi appellant. Græcaque eorum fides aut Armenia avaritia mentem nuntii ſollicitam & veri ambiguam facit. Si vero gentem, cui ſacra & honeſta putantur, quæ aliis turpia & pro-

e) Der Kajserliche Dolmetscher ist auch ein angesehener Kronbedienter, weil er in Namen des Gros-Vizirs alle Unterhandlungen mit den Christlichen Gesandten führet, daher er auch von diesen sehe geehret wird. Gemeiniglich bekleidet dieses wichtige Amt ein gebohrner Grieche. Büschings neue Erdbeschreibung, 1 Th. 2 b. p. 1264.

profana ſunt, ſibi conciliare, ſi gratia apud principem, auctoritate apud patres & amicitia apud populum valere cupit legatus, operam dare debet, ut nationis inſtituta & mores cognoſcat, ſuperſtitioni ejus & ignorantiæ indulgeat, caute de magnitudine ſui regis, quam Sultanus in ſui diminutionem facile verteret, loquatur, omnem cum aliis legatis familiaritatem, quam idem in ſe mutuam conſpirationem interpretaretur, fugiat, vota & deſideria, ſine arte & verborum apparatu, ad ſenatum deferat, & reſponſis tanquam ex oraculis edita eſſent, fidem & reverentiam adhibeat vel ſe habere ſimulet f).

§. XII.

Turcæ autem, quantumcumque ſuperbi, tamen ut non liberi a delictis, ita mala conſcientia pavidi ſunt. Quale illis imperium, tale ingenium eſt, non in medium, ſed aut primum in licentia, aut ultimum in ſervitute: & ut ſecundis rebus elatum & contumax, ita adverſis perculſum &

---

f) Conf. Habesci 27 Cap. quod continet Nützliche Erinnerungen für Botschafter, und andere bey der Pforte residirende Minister p. 375.

& proſtratum g): nec in hoc ſibi congruens, quod, ubi confidendum eſt, timet, ubi vero timendum, confidit. Haud rara eſt res, videre, cum leve periculum ex longinquo tantum, & per incerti auctoris rumorem oſtenditur, trepidos nuntios, attonitos vultus, & omnes ad pugnam vel fugam paratos. Et contra cum hoſtis obſidione urbes & caſtella cingit, portis ſigna infert, tectisque faces admovet, magna eſt quies, & talis rerum facies, qualis pacatæ civitatis eſſe ſolet. Hæc autem, quæ procul viſenti mira apparent, propius adeunti magnum prudentiæ Ottomannicæ exemplum præbent. Ubi Turcas ſine externa cauſſa timere vides, internam ibi eſſe ſcias. Cum enim Sultanus intus eſſe malum ſentit, cœtus clandeſtinos videt vocesque conjurationis audit, tum ut perturbatos animos, diſtrictos in patriam gladios, mœnibusque ſubjectos ignes alio avertat, metum & hoſtem ſimulat. In rebus autem dubiis, ne malos in rabiem magis quam bonos in defenſionem accendat periculi magnitudo, dolorem & deſperationem diſſimulat. Et hac ſimulandi & diſſimulandi arte, ſi qui alii, certe

g) Hayne §. 10 p. 8.

certe Ottomanni eruditi sunt h): cujus vim & originem cognoscere lubet. Sultanus, cum ingentem illam pecuniam, qua in sui & regni tutamen opus habet, ex æquo non semper parare possit, urgente necessitate, nomina & facultates civium per libertos exquirit, crimen & dolum componit, homines damnat, & bona rapit, aufert. Tantamque sævitiam cumulant legati & procuratores, qui principis ut auctoritatem, ita avaritiam et libidinem in provinciis exercent. Hæc autem et alia servitii mala tam æquo silentio quam animo ferre oportet. Periculosa est juris et æquitatis quæstio, et inutilis ad superiorem judicem provocatio. Quisque injurias secum agitet, de iis cum amico et in secreto loquatur, et, ne quis audiat, ex fenestris et foribus circumspiciat. In publico vicissim pau-

h) Es ist aller Welt bekannt, wie künstlich die Osmannen sich verstellen können, sonderlich in Sachen, welche Verrath betreffen, oder wenn es ihre Feinde angehet. Daher ist es ein gemeines Sprichwort bey ihnen: Kjesilmejen El öpilmeki gjereki: die Hand die wir nicht abhauen könen, müssen wir küssen. Cantem. p. 296.

ta et cauta verba, ut servos decet. Est videre, per multas horas in foris ambulare aut in hospitiis sedere Ottomannos, jugo servitii mutos et elingues, tardos et fractos. Atque ut tyranni suspicacem mentem et avidas manus effugiant, suum quisque aurum et argentum, qua maxima fieri potest diligentia, abdit, domo humili et veste servili in dissimulationem sui compositus. Tam obscuro autem ingenio a pueris adsuescunt; et quo magis ætate, opibus et honoribus crescunt, eo majorem aliud in pectore clausum, aliud in lingua expeditum habendi necessitatem vident. Sic ubi ratio temporum et rerum postulat, iis grave non est, sui oblivisci, osculo et rigida cervice terram contingere, invidis surgere, et inimicis loco cedere, omnia serviliter pro spe et voto. Quicquid moliuntur, involucris tum tegunt: et sive quid viderint aut audiverint, affirmant, se animum non advertisse, sive quid pacti fuerint, negant se meminisse i). Palam pudor et obsequium, intus autem

i) Juvat hanc rem exemplo confirmare. Finito bello Polonico & inita pace Belgradica anno 1699 Ottomanni pollicebantur, se in restituendo propugnaculo Kaminieck omnia, quæ

tem summa cupiditas. Tamen, cum patiuntur, de vindicta cogitant, cum tacent, deliberant, & cum se adhuc deliberare dicunt, constituunt. Namque fucata &, sincera miscere, audaciam quiete & nefas pietate velare, in gratia offensam & in odio amorem fingere, hæc & similia tam artificiose conjungere intelligunt, ut acutissimus ea videre, & prudentissimus sibi de iis cavere vix possit k). Quin arte & calliditate præfectorum sæpe accidit, ut,

---

ibi erant, tormenta bellica (canoner) relicturos esse. At non solum hæc eripuerunt, sed etiam magnam urbis partem solo æquarunt. Cujus facti caussam, cum Poloni ope virorum Paget, Anglici, & von Oettinger Cæsarei legati cognoscere vellent, Turcæ irridentes responderunt, se, legibus in consilium vocatis, intellexisse Musselmannis interdictum esse, instrumenta bellorum Christiano cuidam populo reddere. Scilicet Ottomanni cum pacem inirent, aut suarum legum prorsus imperiti erant aut minus curiosi. Multa de his conf. Cel. Cantemir p. 308.

k) Plurima de Turcarum calliditate legi possunt in Abt. Laugiers Geschichte der Belgrader Friedens. Leipzig 1769.

ut, quamquam cæsis exercitibus & direptis castris, tamen belli superstites ad matres & conjuges sua vulnera, tanquam triumphales imagines, tulerint; magna in his terris prudentia; quod adversa bellorum non ancipiti marti, sed inertiæ Cæsaris aut perfidiæ ducis tribui solent l).

§. XIII.

Enimvero non tam industrio quam sollerti ingenio noti sunt Ottomanni. Pinguis & contactu dominationis corruptus sanguis implet venas; tardumque quid & pigrum in mente & cogitatione, vultu & ore, gestu & habitu, quiete & labore is efficit. Hanc vero inertiam, quam iis tribuit natura, auget patriæ solum, quod quo facilius corpora alit, eo minus ingenia excitat & acuit m). Longius

l) El. Habesci, p. 291.

m) La stérilité des terres rend les hommes industrieux, sobres, endurcis au travail, courageux, propres a la guerre; il faut bien, qu'ils se procurent ce que le terrein leur refuse. La fertilité d'un pays donne, avec l'aissance, la mollesse, & un certain amour pour la conservation de la vie. Oeuvres de M. Montesquieu, Tom. Sec. L. XVII. Ch. IV.

gius eam provehit poteſtas, non modo Sultani in ipſos, ſed etiam ipſorum in ſocios. Nam ſi Ottomanni, more mancipiorum, inviti & lento gradu juſſa ſequuntur Sultani, cujus arbitrio opes & fortunas, vitam & ſanguinem commodare oportet; exemplo dominorum, otioſi & ſedendo imperant conſervis, qui in hac familia novi et viles, veteribus et natis ludibrio ſunt, et graviſſima onera ſuſtinere debent. Faſtigium imponit hæc perſuaſio, fatalem eſſe ordinis ſempiterni continuationem, quam nullus ſuo conſilio et opere mutaverit. Hinc fit, ut inutile putent, eventus ſæculorum, ſeries cauſſarum et progreſſus rerum conferre, et de præteritis prudentiæ et induſtriæ exempla capere; ſibi autem ſatis eſſe arbitrentur, ad ea tantum, quæ circumſtant, et in præſens profutura aut nocitura videantur, animum attendere, et ſequi aut vitare. Sultanoque magis placet, ſolitudinem maris quærere, ex ſuo palatio diffuſæ Propontidis aut anguſti Boſphori pulcherrimos ſinus, nemora, tecta urbis, et alia, muta et inanima, proſpectare, et occulto luxui maloque otio indulgere, quam publicis curis animum intendere, in Senatum aut vulgus ire, et nuntiis, congreſſibus ac colloquiis tempus im-

impendere. Quo autem loco in angustum, et custodiis ac vigiliis, ille clausus, quae foris in urbe, et provinciis fiunt, non videt, sed audit, non scit, sed credit, non experitur, sed auguratur. Nec, nisi ubi clamore et fremitu strepit campus, ex suo torpore redit animus; populique iris vel ministros vel libertos piaculum dedere moris est n). Socii rursus et administri reipublicae, si nobilis et erecti sunt ingenii, nihil aut prisco more agere, quam nova et salutaria periculose tentare malunt; si contra avari et humilis sunt animi, nimiae esse industriae videtur, ea mereri, quae per raptus acqui-

ri

n) Ce n'est point par des nommes injurieux qu'on se venge d'un Ministre. Lorsqu'il a le malheur de déplaire au peuple, on l'arrache d'entre les bras de son Maitre; on lui coupe les mains, les pieds & la tete, & on jette son cadavre mutilé devant la porte du Palais. Pendant ce tems le Sultan, pour le quel on paroissoit avoir la plus grande soumission, s'enferme dans son apartement; ou il est tout tremblant de peur sans oser défendre ni venger son favori. Histoire Moderne Tom. XXIX. p. 404.

ſi poſſint. Atque cives, ut ſciunt, ſe non ſibi ſed principi aratra ferre aut arma ſumere, ſomno ciboque dediti, in pace et otio, bellis et periculis languent et torpent.